COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XVIII.

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. ALEXANDER ALEXANDRINUS.

JUVENCUS. S. EUSTHATIUS.

EUSEBIUS, I.

PROSTAT INSUPER VENALE

LUGDUNI,

Apud **RUSAND**, bibliopolam;

MONTIS PESSULANI,

Apud **VIRENQUE**, bibliopolam;

PARISIIS,

Apud **GAUME** fratres, bibliopolas;

ROMÆ,

Apud **MERLE**, bibliopolam.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO DECOURCHANT,
VIA VULGO DICTA D'ERFURTH, N° 1.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

MISSIONUM GALLICANARUM PRESBYTERO,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, PRÆDICATORE REGIO, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE: *BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.*

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS DECIMUS OCTAVUS.



PARISIIS,


APUD MÉQUIGNON-HAVARD, BIBLIOPOLAM,

VIA VULGO DICTA DES SAINTS-PÈRES.

BRUXELLIS, APUD EUMDEM.

PARISIIS, APUD A. POILLEUX, BIBLIOPOLAM,

VIA VULGO DICTA DU CIMETIÈRE-S.-ANDRÉ-DES-ARCS.



M. DCCC. XXX.

SANCTUS ALEXANDER,

ALEXANDRINUS EPISCOPUS.

ESPISTOLA PRIMA,

AD OMNES EPISCOPOS.

EPISTOLA SECUNDA,

AD ALEXANDRUM CONSTANTINOPOLITANUM.

SANCTUS ALEXANDER,

ALEXANDRINUS EPISCOPUS.

(ANNO 326.)

GRÆCUS.

Achillæ Magno, qui sancti Petri Alexandrini locum susceperat, suffectus est circa annum 313 sanctus Alexander, « Evangelicæ doctrinæ propugnator » acerrimus, » (Theodoret. Hist. lib. I, c. II), vir *Divinæ fidei* (Faustin. et Marcell. tom. V Bibl. Patrum), « in summo honore ab omni Ecclesia, clero » et populo, habitus, magnificus, liberalis, facundus, » æquus, Dei amator, amans hominum, pauperum » studiosus, bonus et mansuetus circa omnes, si » quis alius. » (Gelas. Cyziq. Hist. Conc. Nicæn. lib. II, c. I.) Puerum adhuc Athanasium futuræ vocationis jam signa expromentem, « ad Ecclesiæ minis» terium et officia educandum *curavit* : nec multo » post eum in contubernium suum ascivit, eumque » notarium deinceps habuit. » (Sozom. Hist. lib. II, c. XVII.)

Ædificata apud Alexandriam ecclesia, quæ *Theonæ* vocabatur, ejus *dedicationem* solemniter *celebravit*. (S. Athan. Apolog. ad Constant.) A Meletianis primum vexatus, Arium jam impia dogmata disseminantem, « plenus sapientia et Spiritu sancto fervens, » primus detexit; » (Faustin. et Marcell.) et « natura

» lenis et quietus (Rufin. Hist. lib. I), primum quidem orationibus et consiliis hominem de sententia deducere conatus est : at ubi insanire vidit et » impiam doctrinam manifeste profiteri, Apostolicorum vindex dogmatum, ex sacerdotali gradu » eum dejecit. » (Theodoret. Hist. lib. I, c. II.)

Hinc expulso Ario et in Palæstinam secedente, scriptæ plurimæ ab Alexandro epistolæ, necnon et, ut ipse vocat, *tomus* ad illustrandam veritatem. Hinc delatæ ad illum ab Osio Corduensi imperatoriæ litteræ, quibus scripta responsa per eumdem legatum ad Constantinum remisit. (Epiphan. Hæres. LXIX, nº IX.) Hinc congregatum apud Nicæam concilium, cui inter primos licet ætate procerus affuit Alexander, adducto secum Athanasio, quem summo honore prosequebatur. Excommunicationis sententiam adversus Arium in particulari Alexandriæ concilio emissam, uno ore confirmarunt patres Nicæni, Meletiumque adhuc reluctantem sancti Alexandri auctoritati se subjicere coëgerunt.

Jam autem, ut Sozomenus refert, « ex hac vita » migraturus, Athanasium successorem reliquit, di» vinis, ut equidem arbitror, jussionibus ad eum » designandum impulsus. Etenim Athanasius ipse » fugam paravisse dicitur, et per vim ab Alexandro » coactum esse ut sacerdotium susciperet. Nam cum » ex hac vita vocaretur, et jam morti vicinus esset, » Athanasium absentem nominatim vocare cœpit; et » cum alter ejusdem nominis, qui illic aderat, vocanti » respondisset, isti quidem nihil dixit, quippe quem » non vocabat. Rursus vero vocare perstitit. Cum» que id sæpius fieret, is quidem qui aderat silentio » transmittebatur; designabatur vero is qui aberat. » Quin et prophetico spiritu beatus Alexander ita

» locutus est : Effugisse te credis, Athanasi : non effugies; significans scilicet eum ad certamen vocari. » (Sozom. Hist. lib. II, c. XVII.) Sic tam digno relicto successore, in pace Domini quievit, quinto post concilium Nicænum mense, die 26 februarii, anno 326.

Scripserat autem epistolas encyclicas ad singulos episcopos fere septuaginta, teste S. Epiphanio (Hæres. LXIX); nisi forsan intelligendum sit eamdem encyclicam ad septuaginta episcopos fuisse directam. Quidquid sit, nunc duæ tantum integræ supersunt, prior ad omnes catholicæ Ecclesiæ episcopos, posterior vero ad Alexandrum Constantinopolitanum.

Epistola ad omnes Ecclesiæ Episcopos legitur inter opera S. Athanasii, tom. I : *Epistola* autem *ad Alexandrum Constantinopolitanum* servata est a Theodoreto, Hist. Eccles. lib. I, c. IV, ex quibus depromptas utrasque lectori subjicimus.

Utraque Epistola fere integra gallice habetur apud D. Ceillier, Historia scriptorum Ecclesiasticorum, tom. IV, p. 109 et seqq. Vide etiam D. Guillon Biblioth. Gall. tom. V, p. 86 et seqq. Parisiis, 1824, in-8o.

S. ALEXANDRI ALEXANDRIÆ EPISTOLA PRIMA, AD OMNES EPISCOPOS.



DEPOSITIO ARII ET SOCIORUM

AB ALEXANDRO, ALEXANDRIÆ ARCHIEPISCOPO.



Alexander, presbyteris diaconisque Alexandriæ et Mareotæ, præsens præsentibus, dilectis in Domino fratribus, salutem.

Licet jam suscripseritis litteris meis ad Arium suosque missis, quibus hortabar illos ut, abnegata impietate, sanæ et catholicæ fidei obtemperarent; eaque in re rectum propositum vestrum, necnon Ecclesiæ Catholicæ circa dogmata consonantiam, palam feceritis : attamen quia omnibus etiam ubique terrarum comministris, quæ Arium sociosque ejus spectant litteris significavi, necesse duxi vos Urbis clericos convocare, vos item Mareoticos arcessere ; præsertim cum ex vobis Chares et Pistus presbyteri, Sarapion, Parammon, Zosimus et Irenæus diaconi, ad Arii partes transierint, atque voluerint deponi cum illis : ut nota sint vobis quæ jam scripta sunt, utque vestram in hisce concordiam declaretis, ac depositioni Arii, Pisti sociorumque suffragium addatis vestrum. Par quippe est comperta vobis esse quæ a

me conscripta sunt, eaque singulos, quasi quisque vestrum scripsisset, corde complecti.

PRIMUM EXEMPLAR.

Charissimis honoratissimisque ubique Ecclesiæ Catholicæ comministris, Alexander in Domino salutem.

I. Cum unum sit Ecclesiæ Catholicæ corpus, in divinisque Scripturis jussum sit ut concordiæ pacisque vinculum servetur[1]; consentaneum est ut quæ a singulis geruntur invicem significemus, ut scilicet si membrum quodpiam vel patiatur, vel lætetur, mutuo omnes una patiamur, vel una lætemur. In nostra itaque parœcia haud ita pridem exorti sunt viri improbi, Christique adversarii, docentes defectionem, quam jure merito quis Antichristi prodromum suspicetur et vocet. Equidem volebam rem silentio tegere, ut in solis hæreseos præfectis malum assumeretur, ne in cætera loca pervadens, simpliciorum quorumdam aures contaminaret. At cum Eusebius, jam Nicomediæ episcopus, ratus penes se sita esse ecclesiastica omnia, quia scilicet, postquam relicta Beryto ambitione motus Nicomediensium invasit episcopatum, nulla hujusce ausus habita est ultio; cum ille, inquam, apostatarum istorum patrocinium susceperit, litterasque pro iis commendatitias ubique scribere aggressus sit, ut quosdam rei ignaros in hanc turpissimam Christique oppugnatricem pertrahat hæresim : necesse mihi fuit haud ignoranti quid in Lege scriptum sit, non ultra rem silentio premere, sed vobis omnibus significare, ut cognoscatis tum eos qui apostatæ effecti sunt, tum inauspicata eorum hæresis verba; et si scripserit Eusebius, ne animum adhibeatis. Ille quippe cum veterem animi malitiam, quam aliquandiu occultarat, nunc eorum opera renovare studeat,

[1] Ephes. IV, 3.

sese simulat eorum gratia scribere : opere tamen comprobat, se id suapte causa agere.

II. Ecclesiæ autem desertores hi sunt : Arius, Achilles, Aïthales, Carpones, Arius alter, Sarmates, olim presbyteri; Euzoïus, Lucius, Julius, Menas, Helladius et Gaïus, olim diaconi; ac cum ipsis Secundus et Theonas, olim episcopi nuncupati. Verba autem ab illis adinventa ac præter Scripturarum mentem prolata, hæc sunt.

III. Non semper Deus pater fuit, sed fuit quando Deus pater non erat. Non semper erat Dei Verbum, sed ex non-exstantibus factum est : Deus enim, qui est, non-existentem ex non-existente condidit; quare, erat aliquando cum non esset. Res quippe creata resque facta est Filius, neque similis est Patri secundum substantiam, neque verum et naturale Verbum est Patris, neque vera ejus Sapientia; sed una ex rebus factis conditisque : abusive autem Verbum dicitur et Sapientia, cum factus ipse sit per proprium Dei Verbum, et per eam quæ in Deo est Sapientiam, in qua cum cætera omnia, tum eum ipsum fecit Deus. Quapropter natura sua mutari atque verti potest, perinde atque omnia rationabilia. Extraneum autem, alienum atque semotum Verbum est a Dei substantia. Inenarrabilis etiam est Pater Filio : nam neque perfecte neque accurate Patrem novit Verbum, neque perfecte illum videre potest. Etenim ne suam quidem substantiam novit Filius, sicut illa est. Propter nos quippe factus est, ut nos illo quasi instrumento crearet Deus : neque extitisset, nisi nos Deus condere voluisset. Sciscitante quodam, num perinde mutari possit Dei Verbum atque diabolus mutatus est, non veriti sunt illi respondere : Sane potest; nam, utpote factus et creatus, mutabilis est naturæ.

IV. Hæc Arianos loquentes, hæc impudentissime affirmantes, nos, cum episcopis Ægypti et Libyarum prope

centum, in unum coacti, illos cum sectatoribus suis anathemate percussimus. At Eusebius et socii admiserunt illos, operamque navarunt ut veritati mendacium, pietati impietatem admisceant. Sed nequaquam id efficere valebunt : vincit quippe veritas, nullaque « societas luci ad tenebras, » *nulla* consonantia Christi ad Belial[1]. » Quis enim unquam talia audivit? quis jam audiens non obstupescat, auresque non obstruat ut ne ejusmodi verborum sordes aures suas contaminent? Quis hæc Joannis audiens, « In principio erat » Verbum[2] » homines non condemnet qui aiunt : Fuit aliquando cum non esset? Quis si hæc Evangelii verba audiat, « Unigenitus Filius, *et,* per ipsum facta sunt omnia[3], » illos non aversetur hæc loquentes : Una ille est ex rebus factis? Nam qui potest una ex rebus a se factis esse, aut qui Unigenitus erit, qui, ut aiunt illi, omnibus annumeratur, si quidem et ille res est facta atque creata? Quomodo ex non extantibus factus ille fuerit, cum Pater dicat, « Eructavit » cor meum Verbum bonum[4], » et, « Ex utero ante lucife- » rum genui te[5]? » Aut quomodo absimilis substantiæ Patris fuerit, qui est imago perfecta splendorque Patris, quique ait : « Qui vidit me, vidit et Patrem[6]? » Quo pacto si Verbum seu ratio et sapientia Dei, Filius est; fuit tempus cum non esset? Perinde est enim ac si dicerent, Deum aliquando ratione et sapientia caruisse. Qui item verti mutarive potest qui ait per se quidem ipse : « Ego in Patre, et Pater in » me[7]; » et, « Ego et Pater unum sumus[8]; » per Prophetam vero : « Videte me, quia ego sum, et non mutor[9]? » Nam etiamsi ad Patrem dictum illud referri queat, aptius tamen de Filio jam dicitur, quia cum homo sit, nequaquam mutatus est; sed, ut ait Apostolus : « Jesus Christus heri et

[1] 2 Cor. VI, 14. — [2] Joan. I, 1. — [3] Ibid. 13 et 18. — [4] Psalm. XLIV, 1. — [5] Psal. CIX, 3. Hebr. I, 3. — [6] Joan. XIV, 9. — [7] Ibid. 10. — [8] Id. X, 30. — [9] Malach. III, 6.

» hodie, ipse et in sæcula [1]. » Quis induxit illos ut dicerent, propter nos illum factum esse, licet Paulus dicat : « Propter » quem omnia, et per quem omnia [2] ? »

IV. Quod spectat autem illam eorum blasphemiam qua aiunt, Filium non nosse perfecte Patrem; nequaquam mirandum : cum enim in animum induxerint Christo bellum inferre, oppugnant item hæc illius verba : « Sicut novit me » Pater, et ego agnosco Patrem [3]. » Proinde si ex parte tantum Filium novit Pater, constat Filium non perfecte cognoscere Patrem. Quod si nefas sit ita loqui, et si Pater perfecte novit Filium; planum est sicut Pater Verbum novit suum, perinde Verbum suum nosse Patrem, cujus ipsum Verbum est.

V. Hæc dicendo, atque divinas Scripturas explanando, sæpenumero illos convicimus. Verum illi, quasi chamæleontes, mutata subinde sententia, dictum illud sibi vindicare nituntur : « Impius cum in profundum venerit, con» temnit [4]. » Multæ sane ante illos extitere hæreses, quæ plusquam par erat ausæ, in dementiam collapsæ sunt. At hi qui voculis suis omnibus id moliuntur, ut Verbi divinitatem tollant, id effecere, ut quodammodo justæ viderentur illæ, cum propius ipsi ad Antichristum accedant. Quamobrem proscripti et anathemate percussi sunt ab Ecclesia. Et quidem, tametsi de illorum exitio dolemus, cum præsertim illi, postquam Ecclesiæ doctrinam didicissent, ab illa jam desciverint; nequaquam tamen magnopere miramur : idipsum enim Hymenæo contigit et Phileto, et ante istos Judæ, qui cum Salvatorem secutus esset, postea proditor fuit atque desertor [5]. Porro de his ipsis nequaquam nobis prævia monita defuere; sic enim præfatus Dominus est : « Videte ne quis vos seducat; multi enim venient in nomine

[1] Hebr. XIII, 8. — [2] Idem. II, 10. — [3] Joan. X, 15. — [4] Proverb. XVIII, 3. — [5] 2 Timoth. II, 17.

» meo, dicentes, Quia ego sum, et tempus appropinquavit; » et multos seducent: nolite ergo ire post eos[1]. » Paulus autem hæc a Salvatore edoctus, scripsit : « Quia in novissimis » temporibus discedent quidam a sana fide, attendentes » spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum veritatem » aversantium[2]. »

VI. Cum itaque Dominus et Salvator noster Jesus Christus per se ipse ita præceperit, et per Apostolum res nobis hujusmodi significaverit; jure nos qui impietatem illorum ipsi coram audivimus, homines, uti supra dictum est, anathemate damnavimus, ipsosque a Catholica Ecclesia et fide alienos declaravimus : remque, charissimi atque honoratissimi Comministri, vestræ religioni indicavimus ut ne quosdam ex illis, si petulanter vos adire ausi fuerint, recipiatis; neve Eusebio vel alii cuipiam de illis ad vos scribenti, fidem habeatis. Nos enim, utpote Christianos, decet omnes qui contra Christum loquuntur aut sentiunt, velut Dei hostes animarumque corruptores aversari, ac ne quidem Ave illis dicere : ne quando scelerum ipsorum participes simus, ut præcipit beatus Joannes[3]. Salutate fratres qui vobiscum sunt : vos qui mecum sunt salutant.

Sequuntur presbyterorum et aliorum ministrorum subscriptiones.

[1] Luc. XXI, 8. — [2] 1 Tim. IV, 1. — [3] 2 Joan. X.



S. ALEXANDRI ALEXANDRIÆ

EPISTOLA SECUNDA,

AD ALEXANDRUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Charissimo et unanimi fratri Alexandro Alexander, in Domino salutem.

I. Improborum hominum voluntas, dominationis et pecuniæ avida, majoribus Ecclesiis semper insidiari solet, dum illi per varias occasiones ecclesiasticam pietatem oppugnant. Etenim a diabolo qui in ipsis operatur, ad propositam ipsis libidinem incitati, abjecta omni religione, divini judicii metum conculcant. De quibus ego qui patior, necesse habui significare pietati vestræ, ut ab hujusmodi hominibus caveatis, ne quis illorum in vestras etiam Ecclesias pedem inferre præsumat, sive per se, sive per alios : callent enim malefici simulatione uti ad fraudem faciendam, et per litteras mendaciis compositas atque adornatas, quæ hominem ad simplicem ac sinceram fidem intentum possint decipere. Arius igitur et Achillas nuper conjuratione facta, Colluthi ambitionem æmulantes, longe pejores illo extiterunt. Nam Colluthus quidem, qui hos ipsos reprehendit, mali propositi sui prætextum nactus est. Isti vero impiam illius ex Christo nundinationem cernentes, non amplius Ecclesiæ subjacere voluerunt ; sed speluncis latronum sibi constructis, sine intermissione conventus in illis agunt, noctu atque interdiu calumnias adversus Christum et adversum nos comminiscentes. Qui cum omnem piam et Apostolicam doctrinam incusent, Judaïco more ad impugnandum Christum officinam instituerunt : Servatoris

nostri deitatem negantes, et reliquis omnibus æqualem eum esse prædicantes. Collectisque omnibus locis in quibus sermo est de salutari ejus dispensatione, et de abjectione nostri causa ab eo suscepta, impietatis suæ doctrinam eorum auctoritate confirmare nituntur : loca quibus æterna ejusdem divinitas, et inexplicabilis apud Patrem gloria astruitur, aversantes. Cum igitur Gentilium ac Judæorum impiam de Christo sententiam confirment, laudem ab illis omni arte ac ratione aucupantur : ea quidem quæ illi in nobis deridere solent, omnia confingentes; seditiones autem ac persecutiones adversus nos quotidie excitantes. Et nunc quidem ad judicum tribunalia nos trahunt per interpellationes mulierum disciplinam non servantium, quas ipsi in errorem induxerunt : nunc Christianæ religioni probrum atque infamiam aspergunt, dum juvenculæ ipsorum per omnes vicos et compita turpiter circumcursant. Sed et indissolubilem Christi tunicam, quam carnifices olim dividere noluerunt, isti ausi sunt discindere. Ac nos quidem, cum ea quæ vitæ ipsorum ac nefariis conatibus competunt, serius propter ipsorum latebras deprehendissemus, communi omnium suffragio, ex cœtu Ecclesiæ quæ Christi divinitatem adorat eos ejecimus. Ipsi vero contra nos huc et illuc discurrentes, ad collegas nostros idem nobiscum sentientes proficisci instituerunt : specie quidem pacem et concordiam expetere se simulantes, reipsa vero quosdam eorum blandis sermonibus in errorem suum traducere conantes. A quibus etiam verbosiores epistolas flagitant, ut eas legentes hominibus quos ipsi deceperunt, eos pertinaciter in errore perseverare faciant absque ullo pœnitentiæ sensu, in impietate obduratos, quasi qui episcopos idem secum sentientes ac sibi suffragantes habeant. Ea porro quæ apud nos perperam docuerunt et egerunt, et quorum causa a nobis sunt expulsi, nequaquam illis confitentur : sed vel silentio ista tradunt, vel fictis sermonibus et li-

bellis conscriptis velantes, fucum faciunt. Probabilibus itaque et ad assentationem compositis colloquiis pestiferam suam doctrinam obtegentes, simpliciorem quemque et fraudi expositum circumveniunt : neque interim parcunt pietatem nostram apud omnes calumniari. Unde fit, ut nonnulli litteris eorum suscribentes, in Ecclesiam eos recipiant. Cum tamen comministris nostris qui hoc ausi sunt, gravissima, ut opinor, reprehensionis immineat infamia, eo quod nec Apostolica regula id permittit, et diabolica in ipsis operatio adversus Christum hoc facto validius accenditur. Quamobrem nihil cunctatus, fratres dilectissimi, animum ac fiduciam sumpsi ut perfidiam istorum vobis indicarem, qui dicunt : Fuit tempus cum non esset Filius Dei ; et qui prius non erat, postea extitit ; talis factus quandocumque demum factus est, qualis quilibet hominum nasci solet. Omnia enim, ut aiunt, Deus fecit ex nihilo ; in creatione omnium rerum, tam rationalium quam ratione carentium, etiam Filium Dei comprehendentes. Quibus etiam consequenter addunt, eum mutabilis esse naturæ, virtutisque ac vitii capacem. Positaque semel hac sententia, Filium Dei ex nihilo esse, divinas Litteras de æternitate ejus evertunt, quibus immutabilitas et divinitas Sapientiæ ac Verbi, quæ sunt Christus, ostenditur.

II. Possumus ergo, ut aiunt isti scelerati, nos quoque esse filii Dei perinde ac ille. Scriptum est enim : « Filios » genui et exaltavi[1]. » Cum vero illis objectum fuerit id quod sequitur : « Ipsi autem spreverunt me[2], » quod quidem non convenit naturæ Servatoris, qui suapte natura est immutabilis ; illi omni reverentia ac religione abjecta, Deum aiunt cum præsciret ac prævidisset quod Filius ipsum spreturus non esset, illum ex omnibus elegisse. Non enim ut natura et prærogativa quadam præcipuum quidquam præ cæteris filiis habentem, eum elegit ; quippe qui natura fi-

[1] Is. I, 2. — [2] Ibid.

lius non sit, ut inquiunt : neque ut qui aliquam haberet proprietatem ac dotem ad ipsum proxime accedentem ; sed ipsum quoque mutabilis existentem naturæ, ob studium tamen et accuratam morum diligentiam ad vitium neutiquam deflectentem, elegit Deus. Adeo ut, si Paulus ac Petrus contento studio in id incubuisset, nihil ab istorum filiatione discrepatura fuerit hujus filiatio. Atque ut insanam istam doctrinam confirment, Scripturis sacris contumeliose illudentes, afferunt illud quod in Psalmis de Christo dictum est : « Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem. Propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus » tuis [1]. »

III. Verum quod Filius Dei factus non sit ex nihilo, et quod tempus non fuerit cum non esset, abunde docet Joannes Evangelista, de illo ita scribens : « Unigenitus Filius » qui est in sinu Patris [2]. » Nam cum divinus Magister ostendere vellet, Patrem ac Filium duas res esse a se mutuo inseparabiles, hunc in sinu Patris esse dixit. Jam vero quod Verbum Dei inter res ex nihilo creatas non contineatur, idem Joannes testatur cum ait omnia per ipsum facta esse. Propriam enim ejus hypostasim declaravit dicens : « In » principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et » Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt : et sine » ipso factum est nihil quod factum est [3]. » Nam si omnia per ipsum facta sunt, quomodo his qui rebus factis præstitit ut essent, ipse aliquando non extitit? Verbum enim quod facit, nequaquam ejusdem esse naturæ cum rebus factis intelligitur; quippe cum ipsum quidem esset in principio, cuncta vero per illud facta sint et ex nihilo condita. Porro id quod est, contrarium esse videtur et longe diversum ab illis quæ sunt ex nihilo. Nam illud quidem declarat nullum esse intervallum inter Patrem et Filium, cum animus ne simplici quidem cogitatione fingere possit

1. Psal. XLIV, 8. — 2 Joan. I, 18. — 3 Ibid. 1.

ullam inter utrumque distantiam. Ex nihilo vero creari mundum, recentiorem indicat ac nuperam substantiæ originem, cum universa hujusmodi essentiam a Patre acceperint per Filium. Cum igitur divini Verbi essentiam longissime, et ultra omnem cogitationem eorum quæ genita sunt positam contemplaretur piissimus Joannes, generationem ejus et facturam dicere noluit, factorem iisdem verbis quibus ea quæ facta sunt designare minime ausus. Non quod Verbum sit ingenitum; solus enim Pater ingenitus est : sed quia solertissimam Evangelistarum, ipsorumque adeo Angelorum, comprehensionem transcendit unigeniti Filii inexplicabilis subsistantia.

IV. Quare inter pios, meo quidem judicio, censendus non est qui ultra ista aliquid inquirere præsumit; non auscultans id quod scriptum est : « Altiora te ne quæsieris, et » sublimiora te ne scruteris[1]. » Nam si multarum aliarum rerum cognitio quæ hac longe inferiores sunt, humanæ mentis captum excedit; cujusmodi sunt apud Paulum Apostolum ea « quæ oculus non vidit nec auris audivit, nec in » cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligenti» bus se[2]; » cujusmodi etiam sunt stellæ, quas Deus Abrahamo dicit non posse numerari; et illud : « Arenam maris » et guttas pluviæ quis dinumerabit[3]? » quomodo divini Verbi essentiam curiosius investigare quispiam poterit, nisi atra bile sit percitus? De qua propheticus spiritus ita dicit : « Generationem ejus quis enarrabit? » Et Servator noster totius mundi columnas beneficio obstringens, hujus rei notitiam tanquam onus ab illis removere studuit : omnibus quidem ipsis supra naturam esse dicens istud animo comprehendere; soli vero Patri competere divini hujus mysterii perceptionem. Nemo enim, inquit, novit quis sit Filius præter Patrem, et nemo novit Patrem præ-

[1] Eccli. III, 22. — [2] 1 Cor. II, 9. — [3] Is. LIII, 8.

terquam Filius. Qua de re etiam Patrem dixisse arbitror : « Arcanum meum mihi et meis[1]. »

V. Quod vero extremæ dementiæ sit, Filium Dei ex non extantibus factum opinari, cum id quod ex non extantibus factum est temporalem habeat essentiam, res ipsa indicat, licet stupidi isti insaniam vocum suarum non intelligant. Illud enim, non erat, in tempore censeri oportet aut in aliquo ævi spatio. At si verum est omnia per ipsum facta esse, constat utique et ævum et tempus, et spatium omne, et illud aliquando, in quibus non fuisse reperitur, per ipsum facta esse. Et quomodo absurdum non sit, eum qui tempora et sæcula ac tempestates condidit, in quibus quod non erat confusum est, ipsum aliquando non extitisse dicere. Est enim alienum a sensu, omnique plenum inscitia, eum qui alicujus rei auctor sit, eadem re posteriorem affirmare. Quippe juxta illorum sententiam, spatium temporis quo dicunt filium Dei non extitisse ex Patre, præcessit sapientiam Dei omnium rerum conditricem : mentiturque secundum eos Scriptura quæ primogenitum omnis creaturæ illum vocat. Quibus consona sunt quæ vocalissimus Paulus de illo prædicat ita dicens : « Quem constituit hæredem universorum ; per quem fecit et sæcula. Sed et in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Principatus, sive Potestates, sive Dominationes, sive Throni : omnia per ipsum creata sunt, et ipse est ante omnia. »

VI. Proinde cum ab omni pietate alienissimam esse appareat sententiam illam de non extantibus, necessario dicendum est Patrem semper esse Patrem. Pater autem est, præsente semper Filio ob quem dicitur Pater. Quocirca cum semper ei præsens sit Filius, semper est perfectus Pater, nulla re destitutus in bono : qui non in tempore, neque

[1] Is. xxix, 16.

ex intervallo, neque e non extantibus, unicum Filium genuit. Quomodo autem impium non sit dicere, Sapientiam Dei aliquando non extitisse, quæ de se ipsa ita loquitur : « Ego eram apud ipsum cuncta componens : ego eram cui » aggaudebat[1] ; » aut virtutem Dei aliquando non extitisse; aut verbum ejus aliquando fuisse mutilatum ; aut alia quandoque defuisse, ex quibus Filius cognoscitur et Pater designatur. Is enim qui negat splendorem gloriæ existere, simul tollit primitivum lumen cujus est splendor. Et si imago Dei semper non fuit, nec illum semper fuisse liquet cujus imago est. Denique negando figuram substantiæ Dei semper fuisse, simul tollitur ille qui perfecte ab eo exprimitur. Ex quo licet perspicere, filiationem Servatoris nostri nihil prorsus habere commune cum reliquorum filiatione. Nam quemadmodum inexplicabilem ejus substantiam incomparabili excellentia præstare ostensum est reliquis omnibus quibus ille essentiam tribuit; sic et ejus filiatio quæ juxta naturam est paternæ Divinitatis, ineffabili quadam præstantia superat filiationem eorum qui per ipsum adoptati sunt filii. Nam ipse quidem immutabilis est naturæ, undecumque perfectus, nec ullius rei indigens. Hi vero cum mutationi in utramque partem sint obnoxii, opus habent illius auxilio. Quem enim profectum facere potest Dei sapientia? Quod augmentum accipere potest ipsa veritas et Deus Verbum? Qua ratione melior fieri possit vita et lux vera ? Quod si ita se habet, quanto absurdius est ut sapientia aliquando stultitiæ capax fuerit, ut virtus Dei infirmitati conjuncta sit, aut ut ratio obscurata fuerit vecordia, aut tenebræ cum vera luce permixtæ ? cum Apostolus diserte dicat : « Quæ societas luci cum tenebris, aut quæ conventio Christo cum Belial ? » et Salomon neget fieri posse ut cogitatione comprehendatur via colubri super petram, quæ Christus est

[1] Prov. VIII, 30.

juxta sententiam Pauli? Homines vero et Angeli, qui sunt ejus creaturæ, benedictionem acceperunt ut proficerent, in virtutis studio et in mandatis legis sese exercentes, ne in vitia dilabantur. Quamobrem Dominus noster, cum natura sit Filius Patris, ab omnibus adoratur. Hi vero deposito spiritu servitutis, ubi ex fortibus factis et ex continuo progressu spiritum adoptionis acceperint, beneficio ejus qui natura est Filius, filii fiunt adoptivi.

VII. Ac germanam quidem, et propriam ac naturalem, eximiamque ejus filiationem Paulus declaravit, ita dicens de Deo : « Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis, *non » naturalibus scilicet filiis,* illum tradidit [1]. » Nam ut illum distingueret ab iis qui non sunt proprie filii, proprium Filium esse eum dixit. In Evangelio vero legitur : « Hic est » Filius meus dilectus in quo mihi complacui [2]. » Præterea in Psalmis Servator ait : « Dominus dixit ad me, Filius meus » es tu [3] : » ubi se germanum ac genuinum esse demonstrans, alios præter se genuinos non esse significat. Jam vero quidnam illud est : « Ex utero ante luceferum genui te [4] ? » An non aperte indicat naturalem Paterni partus filiationem, quam non accurata morum castigatione, non exercitatione virtutum ac profectu, sed naturæ proprietatem sortitus est? Quamobrem unigenitus quidem Filius Patris firmam ac stabilem possidet filiationem. Rationalium vero filiorum adoptionem, non natura illis competere, sed morum probitate et Dei beneficio parari, mutabilemque esse agnoscit Scriptura : « Videntes enim filii Dei filias hominum, acceperunt » sibi uxores [5], » et quæ sequuntur. Et alibi : « Filios genui » et exaltavi, ipsi autem spreverunt me [6], » Deum per Esaiam prophetam dixisse accepimus.

VIII. Plura cum possim dicere, fratres charissimi, con-

[1] Rom. VIII, 32. — [2] Matth. III, 17. — [3] Psal. II, 7. — [4] Psal. CIX, 3. — [5] Genes. VI, 2. — [6] Isai. I, 2.

sulto prætereo, quippe qui importunum esse ducam, doctores qui nobiscum consentiunt, pluribus admonere. Ipsi enim a Deo docti estis : nec ignoratis, eam doctrinam quæ adversus ecclesiasticam pietatem nuper caput extulit, Ebionis esse et Artemæ; nec aliud esse quam imitationem Pauli Samosateni Antiochiæ episcopi, qui omnium ubique episcoporum concilio ac judicio ab Ecclesia remotus est. Cui succedens Lucianus, pluribus annis a communione trium episcoporum sese abjunxit. Horum impietatis fæcem cum hausissent, nuper nobis orti sunt Exucontii : occulta illorum germina, Arius scilicet et Achillas, et reliqua impiorum istis adhærentium turba. Ac nescio quo modo ordinati in Syria tres episcopi, illis consentiendo, eos ad pejora incitant. Quorum judicium vestro examini reservetur. Qui salutaris passionis et abjectionis atque exinanitionis, et paupertatis quam vocant, eorum denique omnium quæ ille nostra causa suscepit, ascititias voces memoria retinentes, eas ad supremam æternamque illius divinitatem refellendam afferunt. Eorum autem verborum quæ naturalem ejus gloriam ac nobilitatem et apud Patrem mansionem designant, prorsus immemores sunt. Cujusmodi est illud : « Ego et Pa» ter unum sumus[1]. » Quod quidem Dominus dicit, non quo seipsum Patrem renuntiet, nec quo duas personas unam esse demonstret; sed quoniam Patris Filius expressam Patris similitudinem exactissime servat, quippe qui omnimodam ejus similitudinem a natura impressam habeat, sitque imago Patris, nulla in re discrepans et primitivi exemplaris expressa figura. Unde etiam Philippo tunc videre cupienti Dominus abunde commonstrat. Dicenti enim : « Ostende » nobis Patrem, » respondet : « Qui vidit me, vidit et Pa» trem[2]. » Quippe cum per purissimum et animatum speculum divinæ imaginis ipse conspiciatur Pater. Quibus simile est id quod sancti dicunt in Psalmis : « In lumine tuo

[1] Joan. x, 30. — [2] Idem, xiv.

» videbimus lumen[1]. » Quocirca qui honore afficit Filium, simul honore afficit Patrem; et qui honorat Patrem, honorat etiam Filium[2], et quidem merito. Omne enim impium verbum quod profertur in Filium, ad personam Patris pertinet. Posthæc vero cui mirum videatur id quod scripturus sum, si calumnias ab illis confictas adversus me et adversus religiosissimam plebem exposuero? Nam qui divinitatem Filii Dei oppugnare aggressi sunt, nos quoque ingrato animo conviciis appetere non verentur. Qui nec ullos ex antiquis sibi comparari volunt; nec eos quibus nos ab ineunte ætate magistris usi sumus, exæquari sibi patiuntur. Sed nec ullum ex omnibus qui hodie sunt collegæ nostri, ad mediocrem scientiam pervenisse censent : solos sapientes ac nihil possidentes, solos dogmatum inventores se esse jactantes, sibique solis ea revelata esse quæ nemini unquam eorum qui sub cœlo sunt in mentem venerint. O impiam arrogantiam! o vesaniam immensam! o inanem gloriam, atra bile percitis convenientem! o superbia Satanæ, quæ insceleratis eorum mentibus insedit! Non illis pudorem incussit veterum Scripturarum perspicuitas religiosa; nec collegarum nostrorum consentiens de Christo doctrina, audaciam eorum adversus illum repressit. Quorum impietatem ne ipsi quidem dæmones laturi sunt, quippe qui cavent ne quam adversus Filium Dei impiam vocem emittant. Atque hæc pro virili parte nunc a nobis disputata sint, adversus eos qui in imperita materia tanquam in pulvere volutati, Christum impugnare aggressi sunt, et nostram erga illum pietatem calumniari instituerunt.

IX. Aiunt enim isti ineptarum fabularum inventores, nos, qui impiam et nullo Scripturarum testimonio fultam blasphemiam, ex non extantibus, aversamur, duo increata asserere. Duorum enim alterum necessario esse dicendum affirmant imperiti : aut illum ex non extantibus esse, aut

[1] Psal. xxxv, 10. — [2] Joan. v, 23.

certe duo esse increata : nec intelligunt rudes atque ignari, multum interesse inter Patrem ingenitum et res ab illo creatas ex nihilo, tam rationales quam rationis expertes. Inter quæ duo medium obtinens unigenita natura (1) Dei Verbi, per quam Pater universa condidit ex nihilo, ex ipso vero Patri progenita est. Sicut ipse Dominus quodam loco testatus est his verbis : « Qui diligit Patrem, diligit etiam » Filium qui ex eo genitus est[1]. »

X. De quibus nos ita credimus, quemadmodum Apostolica sentit Ecclesia : In unum ingenitum Patrem, qui a nullo causam habet essentiæ suæ, nec conversioni obnoxium nec mutationi; qui semper eodem modo se habet, nec profectum nec diminutionem admittit; qui Legem et Prophetas et Evangelia nobis dedit; qui Dominus est Patriarcharum et Apostolorum sanctorumque omnium : Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, non ex nihilo genitum, sed ex eo qui Pater est; non corporum more, per incisiones aut defluxus divisionum, quemadmodum Sabellio videtur et Valentino; sed inexplicabili et inenarrabili quodam modo, juxta Prophetæ verba quæ supra retulimus : Generationem ejus quis enarrabit? Quippe cum ejus subsistentiam nulla mortalis natura pervestigare possit, sicut nec Pater ab ullo investigari potest, propterea quod rationalis natura modum divinæ illius ex Patre generationis percipere haudquaquam valet. Verum homines qui spiritu veritatis moventur, non opus habent ista a me discere, cum auribus nostris insonent verba jam olim a Christo hac de re prolata, nosque ita doceant : « Nemo novit Pa- » trem nisi Filius, et nemo novit quis sit Filius nisi Pater. » Hunc conversionis ac mutationis expertem perinde ac Patrem, nullius egentem, et perfectum Filium Patrisque similem esse didicimus, hoc solo inferiorem Patre, quod ingenitus non est. Est enim imago Patris exactissima et in nullo

[1] Joan. VIII, 42.

discrepans. Quippe liquet eum imaginem esse plene omnia continentem, quibus maxima similitudo declaratur, sicut ipse Dominus docuit cum ait : Pater major me est. Et secundum hoc Filium e Patre semper existere credimus. Est enim splendor Paternæ gloriæ, et figura substantiæ ejus. Sed nemo eam vocem, *semper* ad suspicionem trahat ingeniti, sicut existimant ii qui qui sensus animi occæcatos habent. Nam nec verbum *erat,* nec *semper,* nec *ante sæcula,* idem est quod ingenitum. Sed neque aliud ullum vocabulum humana mens comminisci potest, quod significet ingenitum. Atque ita vos intelligere credo, vestroque in omnibus recto consilio ac proposito confido, quandoquidem hæc verba nullatenus ingenitum significant. Etenim hæc verba nihil aliud videntur esse quam temporis productio; sed divinitatem et quasi antiquitatem Unigeniti pro dignitate exprimere non possunt : a sanctis autem viris prolata sunt, dum singuli hoc mysterium pro captu suo nituntur exprimere, veniam petentes ab auditoribus, cum justa ac probabili excusatione dicendo : huc usque pertigimus. Quod si qui sunt qui ab ore mortali vocem aliquam expectent præstantiorem humano sensu captuque, abolita esse dicentes ea quæ ipsis ex parte sunt cognita; longe profecto inferius est illorum spe atque expectatione verbum *erat,* et *semper,* et *ante sæcula.* Et quidquid tandem prolatum fuerit, non idem est cum ingenito. Itaque Patri quidem ingenito propriam dignitatem servare oportet, nullam eum habere existentiæ suæ causam profitendo. Filio vero competens honor tribuendus est, principio carentem ex Patre generationem ei assignando, cultumque ei sicut diximus exhibendo : ita ut tantummodo, *erat,* et *semper,* et *ante sæcula* pie ac religiose de illo prædicemus : divinitatem quidem ejus nequaquam rejicientes; sed imagini atque exemplari Patris respondentem in omnibus similitudinem ei ascribentes. Solum vero ingenitum, Patris proprium esse dicamus,

cum et ipse Servator dixerit : Pater major me est. — Præter hanc autem piam de Patre et Filio sententiam, unum insuper Spiritum sanctum, ut divinæ Scripturæ nos docent, confitemur, qui et sanctos homines veteris Testamenti, et divinos doctores ejus quod novum appellatur innovavit. Unam præterea ac solam Catholicam, Apostolicam Ecclesiam : quæ semper quidem inexpugnabilis est, licet universus orbis eam oppugnet : victrix autem est omnis impiæ factionis hæreticorum qui adversus ipsam consurgunt. Quippe Sponsus illius animos nostros confirmavit his verbis : « Confi» dite, ego vici mundum[1]. » Ad hæc novimus resurrectionem mortuorum, cujus primitiæ fuit Dominus noster Jesus Christus, qui carnem revera gestavit, non sola specie, sumptam ex Maria Deipara : qui in fine sæculorum, ut peccatum tolleret, ad humanum genus advenit, crucique fixus et mortuus est; nec tamen idcirco divinitatis suæ detrimentum sensit : suscitatus ex mortuis, assumptus in cœlum, sedensque ad dexteram Majestatis.

XI. Hæc ex parte perscripsi in hac epistola, singula accurate persequi importunum arbitratus, ut antea dixi, eo quod religiosam vestram diligentiam non lateant. Hæc docemus, hæc prædicamus. Hæc sunt Apostolica Ecclesiæ dogmata, pro quibus mortem quoque libenter oppetimus : parvi facientes eos qui nos ista negare compellunt, spemque in iis positam non abjicientes, licet isti tormentis adhibitis vim afferant. Quibus adversantes Arius et Achillas, et qui cum illis sunt hostes veritatis, Ecclesia expulsi sunt, utpote alieni a nostra pia doctrina, juxta beatum Paulum, qui ait : « Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, » anathema sit, licet Angelum de cœlo se esse simulet[2]. » Sed et : « Si quis aliud doceat et non acquiescat sacris ser» monibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundum » pietatem est doctrinæ; is inflatur nihil sciens[3] : » et quæ

[1] Joan. XVI, 33. — [2] Galat. I, 8, 9. — [3] I Tim. VI, 4.

sequuntur. Hos igitur ab universis fratribus anathematizatos nemo vestrum suscipiat, nec ea quæ ab illis aut dicuntur aut scribuntur admittat. Omnia enim mentiuntur præstigiatores, nec veritatem unquam loquentur. Circumeunt siquidem civitates, nihil aliud molientes quam ut amicitiæ specie, et sub nomine pacis, per simulationem et blanditias dent litteras atque accipiant; quibus « mulierculas paucas » ab ipsis deceptas et peccatis onustas in errorem indu» cant[1]; » et cætera. Hos ergo qui tot ac tanta ausi sunt contra Christum; qui Christianam religionem partim irriserunt publice, partim in judiciis traducere ac denotare student; qui pacis tempore persecutionem adversus nos quantum in ipsis est excitarunt; qui ineffabile mysterium generationis Christi enervarunt : hos, inquam, adversantes, charissimi atque unanimes fratres, suffragamini nobis adversus furiosam illorum audaciam, perinde ac collegæ nostri, qui indignati sunt et nobis epistolas scripserunt adversus illos, et tomo nostro suscripserunt. Quæ etiam ad vos misi per filium meum Apionem diaconum, partim ex universa Ægypto ac Thebaïde, partim ex Libya ac Pentapoli; item ex Syria, Lycia, Pamphylia, Asia, Cappadocia aliisque finitimis provinciis. Quorum exemplo a vobis quoque litteras me accepturum esse confido. Nam cum multa a me præsidia comparata sint ad sanandos eos qui læsi sunt, tum illud præcipue remedium excogitatum est ad curandam multitudinem quæ ab illis decepta est : ut collegarum nostrorum consensui obtemperent, et per hoc ad pœnitentiam redire festinent. Salutate vos invicem una cum fratribus qui vobiscum sunt. Opto vos in Domino valere, dilectissimi; meque ex vestra in Christum pietate fructum percipere.

[1] 2 Tim. III, 6.

JUVENCUS,

PRESBYTER HISPANUS ET POËTA.

HISTORIA EVANGELICA.

MONITUM

DE ECCLESIA HISPANENSI.

Incipit hic cum Juvenco Ecclesiæ Hispanensis splendor, qui juxta communem sententiam a S. Paulo primum exorsus, et jam tempore S. Cypriani episcoporum multitudine clarior, tot postea tantisque viris innotuit. Quis enim est qui nesciat ad Ecclesiam Hispanensem pertinere et Osium illum Corduensem Nicænæ fidei propugnatorem acerrimum, et S. Damasum qui Romano Petri solio insidere meruit, et S. illum Pacianum quem doctiores primum Hispaniæ virum prædicarunt, et S. Isidorum Pelusiotam qui christianum orbem scriptis illustravit, et S. Leandrum Hispalensem Hispalensemque Isidorum, et S. Il defonsium Toletanum, aliosque complures qui sequentibus sæculis non Hispanam modo, sed et catholicam Ecclesiam nova luce recrearunt?

Magna prorsus et quæ honorabilem inter omnes mentionem percipiat Ecclesia illa Hispanensis, cujus monumenta, adhibitis præsertim traditionibus indigenis, memoriæ commendare curabimus.

JUVENCUS,

PRESBYTER HISPANUS ET POËTA.

(ANTE ANNUM 337.)

« Juvencus, nobilissimi generis Hispanus presby- » ter, quatuor Evangelia hexametris versibus pene » ad verbum transferens, quatuor libros composuit. » (S. Hieronym. in Catalog. CLXXXIV.) Juxta alios *Caïus* vel *Gaïus, Vectius* seu *Vettius Aquilinus Juvencus* vocabatur; juxta alios vero *Aquilinus Caïus Vettius*. Regnante Constantino potissimum floruit, qui anno 337 defunctus est : unde idem S. Hieronymus : « Ju- » vencus presbyter, *inquit*, sub Constantino histo- » riam Domini Salvatoris versibus explicavit, nec » pertimuit Evangelii majestatem sub metri lege » mittere. » (Epist. LXXXIII ad Magn.)

Poëma illud, quo solum innotescit Juvencus, cæteris omnino deperditis vel spuriis, versibus non ad unguem compositis coalescit; sed ita apprime accommodatur Evangelio, ut propria fere semper sanctæ Scripturæ verba adhibeantur. Non desunt etiam mendæ circa metrum; quæ tamen non fuerunt impedimento quominus opus illud, ab antiquis valde laudatum et a concilio Romano (Concil. tom. IV), tempore Gelasii papæ, tanquam admiratione dignum commendaretur.

Juvenci *Evangelica Historia* sæpius excusa est, scilicet cum Sedulio an. 1499, in-fol. curante Jacobo Lefèvre; cum Sedulio, Aratore, Proba-Falconia et aliis quibusdam, Venetiæ, an. 1502, in-4° : iterum autem, tum Lipsiæ, an. 1505, in-fol., tum Pari-

siis, an. 1506, in-40; tum secundo Lipsiæ, an. 1511, in-4°; tum Rothomagi an. 1509, Viennæ 1519, Basileæ 1537, 1541, 1545, 1562, 1564; Parisiis 1545; Lugduni 1588; Mediolani 1569; Calaris 1573, Coloniæ 1537 et 1616. Editiones illæ aliæ sunt in-8°, aliæ in-4°, aliæ autem in-12. Legitur iterum Juvenci poëma in Collectione Latinorum Poëtarum, Lugduni 1566 et 1603. Rursus prodiit Genevæ 1611 et 1627, Londini 1713; et in Bibliothecis Patrum: cum notis denique Francofurti an. 1710 recusum est in-8°.

JUVENCI,

PRESBYTERI HISPANI,

HISTORIÆ EVANGELICÆ

LIBRI QUATUOR.

PRÆFATIO.

Immortale nihil mundi compage tenetur,
Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,
Non mare, non tellus, non ignea sidera cœli.
Nam statuit Genitor rerum irrevocabile tempus,
Quo cunctum torrens rapiet flamma ultima mundum.
Sed tamen innumeros homines sublimia facta,
Et virtutis honos, in tempora longa frequentant,
Accumulant quorum famam laudesque poëtæ.
Hos celsi cantus, Smyrnæ de fonte fluentes :
Illos Minciadæ celebrat dulcedo Maronis.
Nec minor ipsorum decurrit gloria vatum,
Quæ manet æternæ similis, dum sæcla volabunt,
Et vertigo poli terras atque æquora circum
Æthera sidereum justo moderamine volvet.
Quod si tam longam meruerunt carmina famam,
Quæ veterum gestis hominum mendacia nectunt :
Nobis certa fides æternæ in sæcula laudis
Immortale decus tribuet, meritumque rependet.
Nam mihi carmen erunt Christi vitalia gesta,

Divinum in populis falsi sine crimine donum.
Nec metus, ut mundi rapiant incendia secum
Hoc opus, hoc etenim forsan nec subtrahet igni,
Tunc cum flammivoma descendet nube coruscans
Judex, altithroni Genitoris gloria Christus.
Ergo age, sanctificans adsit mihi carminis auctor
Spiritus, et puro mentem riget amne canentis
Dulcis Jordanis, ut Christo digna loquamur.

LIBER PRIMUS.

Rex fuit Herodes[1] Judæa in gente cruentus,
Sub quo servator justi, templique sacerdos
Zacharias, vicibus cui templum cura tueri
Digesto instabat lectorum ex ordine vatum.
Hujus inhærebat thalamis dignissima conjux :
Cura iis ambobus parilis, moderaminis æqui,
Ambos annexos legis præcepta tenebant.
Nec fuit iis soboles, jam tunc urgentibus annis,
Gratius ut donum jam desperantibus esset.
Sed cum forte adytis arisque inferret odores
Zacharias, visus cœlo descendere aperto
Nuntius, et soli jussas perferre loquelas :
Cætera nam foribus plebes astrata rogabat.
 Quid tibi terribilis concussi corda pavore
Visus, cum læti sermonis gratia placet :
Nam me popitius rerum Pater unicus alto
A cœli solio tibi nunc in verba venire

[1] Luc. 1.

Præcipit, et chara tibi mox de conjuge natum
Promittit, grandis rerum cui gloria restat,
Plurima qui populis nascendo gaudia quæret,
Sobrius æternum, clausum quem Spiritus ipsis
Visceribus matris complebit lumine claro.
Istius hic partem populi pleramque docendo
Ad verum convertet iter, Dominumque Deumque
Continuo primus noscet, plebemque novabit,
Nomine Joannem quem tu vocitare memento.
  Olli confusa respondit mente sacerdos :
Æmula promissis obsistit talibus ætas,
Nec senibus soboles poterit contingere fessis,
Quam Deus avertens primævo in flore negavit.
Hæc trepidans vates, cui talia nuntius infert :
Si tibi mortalis sobolem promitteret ullus,
Ad desperandum forsan cunctatio mentis
Debuerat tardis hærens insistere verbis :
Nunc ego, quem Dominus cœli terræque creator
Ante suos vultus voluit patere ministrum,
Auribus ingratis hominis visuque receptus,
Summi jussa Dei non contemnenda peregi.
Quare promissis manet irrevocabile donum :
Sed tibi claudetur rapide vox nuntia mentis,
Donec cuncta Dei firmentur munera vobis.
Hæc ait, et sese teneris immiscuit auris.
Interea populum miracula longa trahebant,
Quid tamen in templo vellet cessare sacerdos.
Egressus trepide, numen vidisse supernum
Nutibus edocuit, miseræ et dispendia vocis.
Inde domum rediit completo ex ordine vates
Officio, amissamque levant promissa loquelam.
Nec dilata diu venerunt munera prolis,
Anxia sed ventris celabat gaudia conjux,

Donec quinque cavam complerent lumina lunam.
Tunc majora dehinc idem mandata minister
Detulit, ad Mariæ demissus virginis aures.
Hæc desponsa suo per tempora certa propinquo,
Abdita virgineis caste pubescere tectis,
Et servare diem, jussis permissa parentum.
Ad quam tranquillum sermonem nuntius infit :
Salve, progenie terras jutura salubri,
Desine conspectu mentem turbare verendo.
Nam tua concipient cœlesti viscera jussu
Natum, quem regnare Deus per sæcula cuncta,
Et propriam credi sobolem gaudetque jubetque.
Huic, ubi sub lucem dederis, sit nomen Iesus.
Ad quem Virgo dehinc pavido sic inchoat ore :
Nullos conceptus fieri sine conjuge dicunt,
Unde igitur sobolem mihi nunc sperabo venire ?
Nuntius hæc contra celeri sermone profatur :
Virtus celsa Dei circumvolitabit obumbrans,
Spiritus et veniet purus, lectissima virgo,
Ac tibi mox puerum casto sermone jubebit
Magnificum gigni : populis quem credere sanctum,
Supremique Dei natum vocitare necesse est.
Sic cognata tibi sterilis quæ credita cunctis,
Zachariæ conjux, mortali germine nuper
Ævo defessis auxit miracula membris.
Sextus adest mensis, parent sic omnia jussis.
Virgo dehinc : Domino famulam nunc ecce jubenti,
Ut tua verba sonant, cernis servire paratam.
Nuntius abcedens vacuis se condidit auris.
Illa dehinc rapidis Judæam passibus urbem,
Zachariæque domum penetrat, gravidamque salutat
Elizabeth : clausæ cui protinus anxia prolis
Membra, uteri gremio motu majore resultant :

Et simul exiliit mater concussa tremore,
Divinæ vocis completa afflamine sancto,
Et magnum clamans : Felix o fœmina salve,
Felicem gestans uteri sinuamine fœtum.
Unde meam tanto voluit Deus æquus honore
Illustrare domum, quam mater Numinis alti
Viseret? ecce meo gaudens in viscere proles
Exultat, Mariæ cum prima affamina sensit.
Felix, quæ, confisa fidem mox affore verbo,
Quod Deus ad famulos (magnum dignando) locutus.
Illa trahens animum per gaudia mixta pudore
Suppresso, vocis pavitantia dicta volutat :
  Magnificas laudes animus, gratesque rependit
Immenso Domino mundi : vix gaudia tanta
Spiritus iste capit, quod me dignatus in altum
Erigere ex humili celsam cunctisque beatam
Gentibus et sæclis voluit Deus æquus haberi.
Sustulit ecce thronum sævis, fregitque superbos,
Largifluis humiles opibus ditavit egentes.
Tunc illic mansit ternos ex ordine menses,
Ad propriamque domum repedat, jam certa futuri.
  Jamque aderat tempus quo sarcina deserat alvum
Elisabeth, liquidas solvenda in luminis auras.
Ad partus fama tantos collecta cucurrit
Turba propinquorum; tum gaudia mira frequentes
Concelebrant, nomenque jubent genitoris habere.
Abnuit hoc genitrix, sed, Joannes vocitetur,
Ingeminat : placuit muti tunc jussa parentis
Consulere, scriptoque rogant edicere nomen.
Sed pro mira fides! tabulis cum scribere tentat,
Implicitam solvit per verba sonantia linguam.
Mox etiam assuetam penetrans spiracula mentem,
Completusque canit venturi conscia dicta.

Concelebrent cuncti laudes, gratesque frequentent,
Astrorum et terræ, pontique, hominumque Parenti,
Visere qui voluit propriamque absolvere plebem.
En beat antiquam gentem, cornuque salutis
Erecto, indulget Davidis origine lumen.
Hoc est, quod prisci cecinere ex ordine vates :
Hæc est illa salus, quæ nos ex hostibus atris
Eripit, ut juste justo servire queamus.
Et tu parve puer, sanctus dignusque propheta
Dicere, et Dominum mox prægredicre viando,
Illius et populum duces per lumen apertum :
Errorem per te spernent, mortisque tenebras
Abrumpent omnes, tua qui præcepta sequentur.
Exin secretis in vallibus abdita semper
Vita fuit puero, donec poscentibus annis,
Vatis ad officium pleno pubesceret ævo.
Interea [1] Mariæ sponso miracula mentem
Sollicitant, manifesta uteri quod pondera vidit,
In secum volvit, quanam ratione propinquæ
Dedecus oppressum celet, thalamosque recuset.
Talia tractanti torpescunt membra sopore.
Mox stertente, Dei vox est audita monentis :
Accipe conjugium nullo cum crimine pactæ,
Spiritus implevit sancto cui viscera fœtu.
Hanc cecinit vates venturam ex virgine prolem,
Nobiscum Deus est cui nomen. Protinus ille
Hæc præcepta sequens, servat sponsalia pacta.
Sed tum forte [2] novus, capitum discussio, census,
Cæsaris Augusti jussu per plurima terræ
Describebatur Syriæ, quam jure regebat
Cyrinus, proprii cui tota per oppida fines
Addebant populi vires, nomenque, genusque.

[1] Matth. I. — [2] Luc. II.

Urbs est Judææ, Bethlem, Davida canorum
Quæ genuit, generis censum quæ jure petebat.
Obtulit hic illum, genus hinc quod uterque trahebat,
Desponsamque sibi scribens, gravidamque professus.
Hospitium amborum Bethlem sub mœnibus urbis
Angusti fuerant perparva habitacula ruris.
Illic Virgo novum completo tempore fœtum
Edidit, et leni pannoso tegmine fœtum
Texit, cui durum cunas præsepe ministrat.
Citra sollicitæ pecorum custodia noctis
Pastores tenuit vigiles per pascua læta.
Ecce Dei monitu jussus descendere cœlo
Nuntius, ac subito terror tremefacta pavore
Prostravit viridi pastorum corpora terræ;
Talis et attonitis cœlo vox missa cucurrit :
Ponite terrorem mentis, mea sumite dicta,
Pastores, quibus hæc ingentia gaudia porto.
Nam genitus puer est Davidis origine clara,
Qui populis lucem mox lætitiamque propaget.
Hoc signum dicam, Puerum quod cernere vobis
Jam licet, implentem gracili præsepia voce.
Talia dicenti junguntur millia plebis
Cœlestis, cunctique Deum laudantque rogantque,
Talis et uniti vox agminis aëra complet :
Gloria supernum comitetur debita Patrem,
In terris justos homines pax digna sequatur.
Et simul iis dictis, cœli secreta revisunt.
Pastores propere veniunt, Puerumque jacentem
Præsepis gremio cernunt; post inde frequentes
Dispergunt late celebris vaga semina famæ.
Mirantes laudant, lætantes constupuerunt,
Omnia nocturnis monitis quod vera recurrant.
Viderat octavam lucem puer : ecce recidi


Ad mortem legis, nomenque aptare necesse est,
Impositumque illi est (monitis cœlestibus olim
Quod Mariæ vox missa Deo præcepit) Iesus.
Scripserat antiquæ Moses moderamina legis :
Atque inter primos prisco de sanguine vatum
Observare dedit, fœtus offerre sacrandos,
Implumesque simul ferre ad delubra columbas.
Hæc ubi per Mariam templo servata feruntur,
Ecce senex Simeon, dignus comprendere sensum
Cœlestis vocis, cui quondam præscia rerum
Virtus prodiderat, quod carcere corporis ægri
Deposito mortem liber requiemque videret,
Cum primum cœli laudem, terræque salutem,
(Omnia quem vatum spondent oracula) Christum
Vidisset templo, solennes ferre palumbos.
Isque ubi curvato defessus corpore templum
Jam gravior penetrat, monuit quod Spiritus auctor,
Ecce simul parvum gremio genitricis Iesum
Ad templum sensit venisse; trementibus ulnis
Accepit Puerum, lætusque hæc dicta profatur :
Nunc nunc me famulum Dominus, nunc liberet arctis
Corporis e vinclis, finemque imponere verbis
Dignetur cum pace suis : en splendida nostros
Lux oculos tua circumstat, radiisque refulget,
Quam cunctis hominum lustratis gentibus addet
Israëlitarum cumulatæ gloria plebis.
Hinc ait : Hæc quid, Virgo, tibi tam mira videntur ?
Quid tantum Mariæ stupuerunt pectora matris ?
Hic puer ad populi casum datur, iste renasci
Concedet populis : illi signum esse negabunt
Fœderis, hi contra cœlo venisse tenebunt.
Livor edax faciet, lethum ut percurrat amarum,
Atque animam matris ferro fulgente machæra,

Quo pateant tecti tenebrosa volumina cordis.
Hæc ait in Simeone Deus : vox ecce prophetæ
Fœmineam sancto complet spiramine mentem.
Anna fuit natu gravior, quam in flore juventæ
Destituit viduam mors immatura mariti.
Hinc fruitur casta caro pro conjuge vita,
Continuoque Dei cultu : quæ numine ducta,
Cognovit Christum, et simili sermone locuta est.
Inde ubi solennem pueri pro nomine legem
Complevit genitrix, et Joseph omnia mirans,
Ad patriam læti repedant, Puerumque reportant.
Gens est Eoi [1], Phœbo orto proxima, regni
Astrorum solers ortusque obitusque notare;
Hujus primores nomen tenuere Magorum :
Hinc lecti proceres, Solymas per longa viarum
Deveniunt, regemque adeunt, orantque doceri
Quæ regio imperio Puerum Judæa teneret
Progenitum; et sese stellæ fulgentis ab ortu
Admonitos, venisse viam, quo supplice dextra
Exortum terris venerabile Numen adorent.
Territus Herodes, vatum legumque peritos,
Quique prophetarum veterum præsagia noscunt,
Imperio accitos, jubet omnia quærere legis,
Qua pateat, quæ sint genitalia mœnia Christo,
Omnia venturum spondent quem oracula vatum.
Tunc manifestatur, Bethlem quod mœnibus illum
Progigni maneat, cui sacram ducere plebem
Israëlitarum sacra virtute necesse est.
Tunc jubet Herodes Persas pertendere gressum,
Inventumque sibi Puerum monstrare colendum.
Ecce viæ medio stellam percurrere cernunt
Sulcantem flammis auras : quæ in culmine summo

[1] Matth. II.



Restitit, et Pueri lustrata habitacula monstrat.
Gaudia magna Magi gaudent, sidusque salutant.
At postquam Puerum videre sub ubere matris,
Dejecti prono texerunt corpore terram,
Submissique simul mox mystica munera promunt :
Aurum, thus, myrrham; regique, Deoque, hominique,
Dona ferunt. Totam mox horrida somnia noctem
Sollicitant, sævumque jubent vitare tyrannum :
Denique diversis Herodis callibus aulam
Diffugiunt, patriamque Magi rediere latentes.
  Ipsum etiam Puerum, monitis cœlestibus actus,
Ægyptum cum matre simul transportat Ioseph.
At ferus Herodes sibimet succedere credit,
Quem callens astris quæsisset cura Magorum :
Quorum præcauto discessu sollicitatus,
Crudeli tinxit Bethlemica compita cæde,
Infantes mandans, teneroque sub ubere plebem
Innocuam, in sinubus rigido succumbere ferro.
Hæc etiam cædes olim præscripta manebat.
Nam pius hanc vates divino numine doctus
Complerat, misero sobolis pro funere matres
Horrendis graviter cœlum pulsare querelis.
Ast ubi sopitus furor est, et sæva tyranni
Infantum horribili feritas satiata cruore,
Extinxisse putat cunctos, quos unus et alter
Annus lethiferi misere suppresserat ævi.
  Mirandis rursum, devinctus membra sopore
Joseph, urgetur monitis, Mariam Puerumque
Ægypto ad patriam vectare : ubi Nazara felix
Olim prædictum Puero dedit addere nomen.
Dixit et alterius quondam prænuntia vatis
Vox instincta Deo : Veniet, veniet mea proles
Ægypto ex alta, terris lumenque salusque.



Crescebat rapidis annorum gressibus infans,
Præcurrens ævum sapientia præveniebat,
Gratiaque in vultu et verbis veneranda micabat.
At jam bissenos [1] ævi comprenderat annos,
Cum Paschæ ritum servando ex more parentes,
Ad templum lætis Puerum perducere festis,
Omnibus annorum vicibus de more solebant.
Ergo aderant Paschæ pariter, cunctisque diebus
Festorum impletis patriam remeare parabant.
Tum Puer in populo comitis vestigia matris
Deseruit, templique libens secreta petivit.
Illum per vicos, urbisque per abdita tecta,
Perque viæ stratas, per notos, perque propinquos
Quærebat genitrix : sed lux ubi tertia venit,
Ad templum propere remeat, vatumque coronæ
Invenit insertum, legumque obscura senili
Tractantem cœtu ; vix admiratio digna
De pueri verbis senibus fuit : at pia mater :
Nate, ait, amissum lacrymis te quæro profusis
Anxia cum genitore gemens ; quæ causa parentum
Secernit gressu, templique in sede retentat?
Ille autem : Quid me tantum, quid quæritis? inquit.
An nondum sentis, genitrix, quod jure Paternis
Ædibus atque domo Natum inhabitare necesse est ?
Hæc ait, et gressum sociat, patriamque revisit.
Nec genitrix tanti persensit pondera verbi,
Ordine cuncta tamen cordis secreta reservat.
At Puer obsequiis apte prædulcibus ambos
Ad proprium semper cogens nectebat amorem.
Interea veteris [2] scripti per debita currens
Omnia sæclorum series promissa trahebat.
Zachariæ soboles, desertis vallibus, omnes

[1] Luc. II. — [2] Matth. III. Marc. I. Luc. III. Joan. I.

Ad deponendas maculas clamore vocabat,
Fluminis ut liquidi caperent miranda lavacra,
Quis animæ species abluta sorde niteret.
Isaias vates cecinit quod numine jussus :
Vox late resonat desertis vallibus : Amplas
Sternite jam stratas, omnis sit recta viarum
Semita, quæ Domini digne vestigia gestet :
Subsident colles, vallis complebitur omnis :
Corriget anfractus callis bona linea recti :
Corporeisque oculis lumen tractare serenum
Omnibus indulget genitor, Dominusque salutis.
Ergo aderant populi, passimque hinc inde ruentes
Complebant ripas, avidique lavacra petebant.
Texta camelorum fuerant velamina setis,
Et zonæ pellis medium cinxere prophetam,
Arvis qui solitus ruralibus esse locustas,
Et tenuem victum, silvestria mandere mella.
Isque ubi tot populos diversis sedibus ortos,
Irruere ad fluvium cernit, sic increpat ore :
Viperæ gentis soboles, quis debita vobis
Supplicia urgentesque iras evadere monstrat ?
Sed facite, o miseri, fructum (si pœnitet) aptum,
Nec generis vestri tollat fiducia mentes.
Nam potis est dura superum Rex caute creare
Progeniem, quando soboles sua degener errat.
Proxima roboreis jamjam radicibus instat
Cunctorum ante oculos acies sublata securis.
Cædentur silvæ steriles, ignemque fovebunt.
Nunc ego præteritas maculas in flumine puro
Abluere institui : veniet sed fortior alter,
Cujus vincla pedum non sum contingere dignus.
Abluet ille homines sancto spiramine mergens,
Flammarumque globis purgabit noxia corda.

Illius et manibus ruralis pala tenetur,
Et propria ipsius purgabitur area frugum,
Horreaque implebit secreti copia farris,
Æternusque leves paleas populabitur ignis.
Hæc ait, et properis per silvam passibus ipsum
Cernit Jordanis veneranda lavacra petentem.
Sed vetat increpitans vates, et talia fatur :
Tune meis manibus digneris mergier undis,
Cum tua me melius possint mundare lavacra?
Dixit Joannes; cui talia reddit Iesus :
Nunc sine : nam decet hoc, sic sancta per omnia nobis
Justitiæ consectandus complebitur ordo.
Hæc memorans, vitreas penetrabat fluminis undas :
Surgenti manifesta Dei præsentia claret.
Scinditur auricolor cœli septemplicis æthra,
Corporeamque gerens speciem descendit ab alto
Spiritus, aëream simulans ex nube columbam,
Et sancto flatu corpus perfudit Iesu.
Tunc vox missa Dei longum per inane cucurrit,
Ablutumque undis Christum flatuque perunctum
Alloquitur : Te, Nate, hodie per gaudia testor
Ex me progenitum, placet hæc mihi gloria prolis.
Tum petit[1] umbrosos montes et lustra ferarum,
Obsequiumque illi Patris præbere ministri
Certabant, rabidi mox livor dæmonis ater
Cum terrore rapit mentem, nec defuit ægro
Tentandi interea Christum versutia fallax.
Quadraginta illi fuerant ex ordine soles,
Ex quo nulla cibi potusque alimenta dabantur :
Sed contexta simul firmi jejunia cordis,
Terrarum ad regnum mentis secreta tenebant.
Tunc epulas demum monuit conquirere corpus

[1] Matth. et Luc. IV. Marc. I.

Horrendi interea sceleris fallacia tentans :
Si te pro certo genuit Deus omnibus, inquit,
His poteris saxis forti sermone jubere
Usum triticei formamque capessere panis.
Christus ad hæc fatur : Nil me jam talia terrent.
Nam memini scriptum, quoniam non sola tenebit
Vitam credentis facilis substantia panis,
Sed sermone Dei complet pia pectora virtus.
Rursus at ille dolos versutis artibus aptans,
Nectere tentator properat : nam mœnibus urbis
Mox inferre pedem sensit, vis livida Christum
Culmine marmorei suasit consistere templi.
Tunc sic aggreditur vocis fallente veneno :
Si Deus est vere genitor tibi, culmine templi
Aëra per vacuum saltu jaculabere corpus.
Testis erit Scriptura tibi, quæ spondet aperte,
Mandatum summi Genitoris tale ministris,
Ut lapsum studeant casu descendere corpus,
Et famulis manibus curent tua membra levare,
Ne lapidis lædat summas offensio plantas.
Reddidit his Christus dictis contraria dicta :
Me meminisse magis scripti cœlestis oportet,
Ne vires Domini fidens audacia tentet.
Rursus in abrupti montis consistere celsis
Mox furibunda jugis sensit fallacia Christum,
Ostendens olli fulgentia regna per orbem :
Cernis, ait, quæ sit tantarum gloria rerum ?
Cuncta tibi possum jamjam concedere regna,
Talia donantem si me veneratus adores.
Tum sic instantem dictis rejecit Iesus :
Effuge, pestiferi rabies vesana veneni,
Hæreat ut semper nobis immobile jussum,
Ut justus cœli Dominum devotus adoret,

Unius et famulans veneretur nomen in ævum.
Talibus excussus fugit per devia dæmon.
Inde ubi Joannem cognovit carceris umbris
Submersum, tristi compressit corda dolore,
Finibus et statuit Zabulonum ponere sædes,
Ut dictum Isaiæ concurreret ordine sæcli :
Terra Zabulon, et regio cui Nephthala nomen,
Et via trans pelagus longe, Galilæaque rura,
Trans et Jordanem gentes, populique tenebris
Inclusi, magnum lumen subitumque videbunt :
In mortisque illis umbra residentibus, alma
Exoritur fidei respondens luce voluntas.
Ergo instare Dei regnantis munera Christus
Nuntiat, increpitans præconia larga salutis.
Præteriensque videt geminos per littora fratres,
Præsolidum Simonem, dignum cognomine Petri,
Andreamque simul, sinuosa volumina lini
Piscibus insidias disponere marmoris undis :
Nunc, inquit, pisces capitis maris æstibus altis :
Sed me si libeat sectari, fortia vobis
Provenient hominum præpulchra indagine lucra.
Illi confestim firmato pectore certi,
Retibus abjectis, pariter præcepta sequuntur.
Post fratres Jacobum Joannemque marinis
Insidias gregibus maculoso innectere textu
Ut vidit, similemque dedit de littore vocem,
Illi Zebedeum genitorem in puppe relinquunt,
Illico sectantes pulcherrima jussa salutis.
Exin[1] per terram Galilææ sancta serebat
Insinuans populis regni præconia Christus,
Donabatque citam invalidis ægrisque medelam.
Et mox crebra procul Syriam jam fama tenebat,

[1] Matth. IV. Marc. III. Joan. VI.

Mille sonans linguis præsentia munera Christi.
Denique certatim languoris tabe peresos,
Diversisque malis nexos, quis longa dolore
Absumpsit populans membrorum robora tabes,
Monstrabant Christo : facili sed munere cunctos
Reddebat propere miranda ad gaudia sanos.
Jamque animæ ipsius morbi, sævique furores,
Et lunæ cursum comitata insania mentis,
Discessere, gravi sermonis pondere jussa.
Illum stipantes miracula magna moventem
Mixtæ sectantur turbæ, Solymique, Syrique,
Et Judæa frequens populis, Galilæaque plebes,
Et quos Jordanis dirimit stagnante fluento.
Hos populos cernens[1], præcelsa in rupe resedit,
Ac sic discipulis gremium cingentibus infit :
Felices humiles, pauper quos spiritus ambit :
Illos nam cœli regnum sublime receptat.
His similes mites, quos mansuetudo coronat,
Quorum debetur juri pulcherrima tellus.
Hic modo lugentes, solatia digna sequentur.
Pabula justitiæ qui nunc potusque requirunt,
Illos plena manet saturandos copia mensæ.
Felix qui miseri doluit de pectore sortem :
Illi nam Domini miseratio larga manebit.
Felices puro cœlum qui corde tuentur :
Visibilis Deus iis per sæcula cuncta manebit.
Pacificos Deus in numerum sibi prolis adoptat.
Felices nimium, quos insectatio frendens
Propter justitiam premit : iis mox regia cœli
Pandetur. Gaudete, operum quos justa tenentes
Urgebit præceps stimulis injuria sævis;
Plurima nam merces vobis servatur in æthra,

[1] Matth. v. Luc. vi.

Namque Prophetarum fuit insectatio talis.
Discite vos hac in terra salis esse saporem :
Hic sapor amissa si jam virtute senescit,
Quæ salis absumptos acuet substantia gustus?
Nec quisquam fatui posthæc superest salis usus,
Ni longe abjecti cuncta ut vestigia calcent.
Vos istis mundi clarum (ne abscondite) lumen;
Nam quis præcelsis impostam rupibus urbem
Occultare queat? vestrum sed lumen ad omnes
Perveniat, rerumque decus sub luce serena
Ponatur : cunctis Genitoris gloria vestri
Laudetur, celsi thronus est cui regia cœli.
Non ego nunc priscas leges dissolvere veni,
Vertere nec veteres ponunt quæ jussa Prophetæ.
Omnia nam vobis per me complenda manebunt.
Vera loquor, donec cœli terræque marisque
Interitus veniat, legis nec littora saltem
Aut apicis parvi gracilis distinctio derit,
Omnia quin fiant digesta ex ordine sæcli :
Si quis enim minimam mandati solvere partem
Ausus erit, pariterque homines suadendo docebit,
Hic minimi nomen cœlesti in sede tenebit.
At quicumque operis proprii moderamina servans,
Inviolata simul tradet præcepta priorum,
Magnus erit, magnique feret trans sidera nomen.
Audistis veteris jussum moderamina Legis :
Humano si quis macularit sanguine palmas,
Ille reus ferro persolvet vindice pœnas.
Ast ego præcipio, ne quis consurgere in iras
Audeat, atque odio fratris fervente moveri.
Nam reus hic æquo pœnas sub judice pendet.
Nec minor illorum convicia flamma sequetur,
Qui fatui miserive cient sub nomine fratrem.

Sin offerre voles, venerans altaria donis,
Et tua tunc tacitæ mentis penetralia tanget,
Quod tibi sit cum fratre domi suscepta simultas :
Munera cuncta adytis illis admota relinque,
Et prius ad pacem properans transcurre petendam :
Fraterno demum jam conciliatus amori,
Offer grata Deo tranquillo pectore dona.
Est tibi præterea[1] virtus contraria semper?
Corporis hæc casti celeri curetur amore,
Dum rapidæ tecum graditur per compita vitæ.
Accusabit enim polluti corporis usus,
Et te sublimi statuet sub judice vinctum,
Damnatum rapient ad vincula sæva ministri,
Nec prius e tenebris solveris carceris atri,
Ultima quam minimi reddatur portio nummi.
Haud ignota reor vobis stat cautio legis,
Corpus adulterio prohibens : sed nunc mea jussa
Occulta internæ frænent molimina mentis.
Nec minus optati quam facti pœna luenda est.
Si te forte[2] oculi dextri laqueaverit error,
Auctorem miseræ properans convellito labis,
Et jaculare procul : nam membrum perdere præstat
Exiguum, flammis quam totum dedere corpus,
Perpetuisque animam pariter convolvere pœnis.
Et si dextra manus mentem per devia ducit,
Erroris causam præstat decidere ferro,
Quam totum æternis corpus concedere flammis.
Præcipiunt veteres, si quis connubia rumpit,
Scribere dissidium juris feralia verba.
Sola viri recte discedet adultera tectis.
Ast aliæ maneant, nam casti jura pudoris
Auctore amittet mulier deserta marito.

[1] Luc. xii. — [2] Matth. v.

Antiquæ leges prohibent perjuria linguis;
Sed nostris cedat jurandi audacia jussis.
Nec fas est homini cœlum jurare per altum,
Quod sedes Domini: nec quæ vestigia gestat
Terra Dei, Solymæve urbis venerabile nomen,
Quod Regis magni patria est, jurabitur unquam.
Nec caput in proprium cuiquam jurare licebit:
Namque potestatem minimi non esse capilli
Cernitis, albumve aut nigrum mutare colorem.
Est est, sufficiat; quod non est, dicite, Non est:
Quod superest istis, totum fallaciter ægro
Suggerit obreptans animo vis tetra veneni.
Pervulgata diu Legis præcepta tenetis:
Lædentem semper similis vindicta sequatur,
Sed tranquilla malum melius patientia vincet.
Ac si quis partem palma percusserit oris,
Mox aliam vultus partem præbere memento.
Auferat aut tunicam si quis, vi judicis instans,
Cede libens, pariterque ferat tua pallia secum.
Si te forte aliquis passus per mille jubebit
Ire viam, gravis atque oneris perferre laborem,
Mox perges, aliudque viæ comitabere duplum.
Si quis egens poscet, vel se simulabit egentem,
Ex animo miserans largire: aut mutua si quis
Orabit, tribue, et mitem ne subtrahe vultum.
Nec tibi sit placitum solis succurrere amicis,
Aut cæcis odiis inimicos ducere dignos.
Quin ego præcipiam, semper blando esse per omnes
Obsequio, precibusque Deum mollire benignis
Pro vita ipsorum qui vos excindere gaudent,
Adversisque truces animis odiisque sequuntur.
Nam Genitor noster communia lumina solis,
Communesque dedit pluvias justisque malisque.

Quod si conjunctos tantum veneramur amicos,
Quis locus hic justæ poterit mercedis haberi?
Servit amicitiæ tantum gens dedita lucris :
Sed vos perfecto similes estote Parenti.
Sicubi[1] justitiæ pandetur justa facultas,
Devitate oculos hominum : nam nulla manebit
Merces in cœlo, quæ factum tale sequatur.
Applaudet tantum sterilis laudatio vulgi.
Sed quod dextra facit, facias nescire sinistram.
Cum veniet, justis meritis tum digna rependet
Occulti solus scrutator præmia cordis.
Sunt quos prætumidæ tollit jactatio mentis,
Et precibus propriis gaudent assistere turbas,
Multifluisque diem verbis ducendo fatigant :
His votis pompæ fructus succedit inanis.
Sed secreta domus precibus penetralia castis
Claudantur, paucisque Deum venerabere verbis :
Scit Pater ipse, tui quæ sit trepidatio cordis.
Nil absente Deo loquimur, nil abdita clausum
Pectoris antra tegunt : præsens Deus omnia cernit.
His igitur vatum placeat concludere verbis :
Sidereo genitor residens, in vertice cœli,
Nominis oramus veneratio sanctificetur
In nobis, Pater alte, tui : tranquillaque mundo
Adveniat, regnique tui, lux ampla patescat :
Sic cœlo ut terris fiat tua clara voluntas :
Vitalisque hodie sancti substantia panis
Proveniat nobis : tua mox largitio solvat
Innumera indulgens erroris debita pravi,
Et nos haud aliter concedere fœnora nostris :
Tetri sæva procul tentatio dæmonis absit :
Deque malis tua nos in lucem dextera tollat.

[1] Matth. vi.

Tunc etenim Genitor populis delicta remittet,
Si vestra alterni vobis peccata velitis
Cedere, nec durum erratis intendere pectus.
Sunt etiam pergrata Deo jejunia plebis,
Sed propriam multi faciem fœdare laborant,
Quo vanam captent hominum jejunia famam.
Tu vero et grato crinem nitefactus olivo,
Lætantem puris de fontibus ablue vultum,
Ut solus Genitor devoti pectoris aptum
Servitium cernens, laudem meritumque rependat.
Vanum est defossis terra invigilare talentis,
Illic ærugo et tineæ dominantur edaces,
Cunctaque diripiunt fures egesta latebris.
Condite thesauros vobis in vertice cœli,
Non ærugo illos, tineæve, aut horrida furum
Factio diripiet : vobis ubi condita res est,
Illic corda etiam simili ditione tenentur.
Corporis est lumen, quo publica lumina cernis :
Sed si pura acies oculi simplexque nitebit,
Clare totius splendebunt corporis artus.
Sin vero nequam fuerit, pravumque videbit,
Obscuræ incumbent super omnia membra tenebræ.
In nigras lumen sed si convertitur umbras,
Ipsis horror erit quantus sine luce tenebris?
Nemo potest dominis æque servire duobus,
Unius aut odiis cedet, vel cedet amori;
Nec pariter dominum servus patietur utrumque :
Haud unquam poterit quis divitiisque Deoque
Inservire simul; sed vos hæc jussa tenete :
Sollicitet proprio ne vos pro corpore vestis,
Neu faciles victus ægra disquirite cura.
Nonne animam pluris facimus quam corporis escas?
Aut dubitat corpus quisquam præponere vesti?

Aërias spectemus aves, non vomere presso
Terga soli subigunt, jaciunt nec semina farris,
Aut segetum culmos incurva falce recidunt :
Provenit et tamen his satias potusque cibique.
Nonne Deo magis est hominum curatio cordi ?
Nec dignum fuerat, vestis suspendere curam
Pectoribus nostris, num sicubi talia possunt
Incrementa suis homines imponere membris ?
Cernite per pingues agros ut lilia florent,
Non ulli tamen iis unquam incubuere ligones :
Nec Salomona gravem, cum regnis divitis aula
Afflueret, talis contexit gratia vestis.
Quod si pratorum fruticumque virentia læta
Ipse Deus vestit, nostris obnoxia flammis,
Cur vobis potior non est fiducia Patris?
Ergo cibum, potum, vestemque, et inania cuncta,
Gentibus infidis terrenam linquite curam.
Vos potius digne cœlestia quærite regna,
Justitiamque Dei : spontanea cætera current.
Crastina nec vobis curetur copia rerum,
Quisque dies sibimet satis est pro fraude diurna.
Judicium[1] vestrum fugiat damnatio sæva,
Nam Dominus vestri juris documenta sequetur.
Quæ vos in terris statuetis, tempore capti,
Hæc eadem vobis Genitor servabit in æthra :
Mensuram tibi quam ponis, portare necesse est.
Cernis adhærentem festucam lumine fratris,
Nec tamen in proprio tignum consistere sentis :
Atque oculum prius alterius purgare laboras ;
Diripe sed proprio fallax de lumine tignum.
Demere tum minimam alterius curabis aristam.
Ne canibus sanctum dederitis, neve velitis

[1] Matth. vii. Luc. vi.

Turpiter immundis jactare monilia porcis :
Namque illa in cœno pedibus subjecta jacebunt,
Conversique canes vasto vos vulnere rumpent.
Poscenti dabitur, quærens inventa tenebit,
Pulsantique aditus foribus pandetur apertis.
Vos homines natis panem poscentibus, omnes
Num lapidem dabitis? piscemve petentibus, anguem?
Vos, inquam, rigidi, quibus alte est insita cordi
Durities, vestris dabitis dona optima natis :
Indulgens hominum Genitor, bona mitia digne
Quam præstare magis gaudet poscentibus æquis?
Quæ cupitis vobis hominum benefacta venire,
Hæc eadem vestro cunctis præstate favore.
Hæc Legis summa est, hoc jus dixere Prophetæ.
Ite per angustam justi super æthera portam :
Quam lata et spatiosa via est, quæ limite lævo
Præruptum convolvit iter caligine mortis,
Innumeræque illam penetrant per prona catervæ!
Vitalis vastis stipatur semita saxis,
Celsaque vix paucos ducet per scrupea virtus :
At si quos nimium fallax illexque malorum
Planities suasit, deformi lubrica lapsu,
Arripit hos, pronosque trahit, velut impetus amnis,
Aut alacer sonipes ruptis effrænis habenis,
Aut rectoris egens ventosa per æquora puppis.
Observate illos falso qui nomine vobis
Insidias faciunt, appellanturque prophetæ :
Hos ovium species vestit, sed sæva luporum
Pectora fraude tegunt, lacerantque incauta trahentes
Agmina credentum, sævus quos decipit error.
Fructibus e propriis noscuntur talia monstra,
Quemque petat finem fallax doctrina, videndum est.
Nam neque de tribulis ficus, de sentibus uvas

Provenisse unquam ruris per terga notastis.
Utque arbor proprio vestitur germine pomi,
Sic dolus illorum fructu monstrante patescit.
Non ego palpantum verbis et honore movebor,
Nec me quod Dominum perblanda adulatio dicit,
Præmia cœlestis capiet spontanea sedis.
Olli sed merito gaudebunt munere regni,
Qui faciunt nostri Genitoris jussa volentes.
Adveniet mox summa dies, quæ jure severo
Præmia justitiæ tribuet, scelerique gehennam.
Tum mihi multorum clamabit talia fletus :
Nonne tuo quondam nobis sub nomine virtus
Extitit, et nostris parebant omnia jussis?
Sæpe etiam nostra est vox annumerata prophetis,
Servivitque tuo nobis sub nomine dæmon.
Tunc jurabo illis, quod talis cognita nunquam
Vita mihi est hominum, gestis quæ sordet iniquis.
Quisque meis monitis auresque et facta dicabit,
Hunc æquabo viro solidis fundamina saxis
Ponenti, librata super quæ mœnia surgent.
Illa domus pluviis ventisque illæsa manebit,
Torrentumque minas firmato robore vincet :
Hærent immotæ quoniam fundamina petræ.
Qui vero auditu tantum mea jussa tenebit,
Diversisque procul factis per lubrica perget;
Hunc similem faciam volucri qui fulcit arena
Fundamenta domus : cui mox ut flamina venti
Et pluvia effusis cœpere incumbere rivis,
Omnis subverso procumbit pondere moles,
Insequiturque gravis tectorum strage ruina.
Talia dicentem magna admiratio plebis
Immensum stupuit, quoniam transcenderet alte
Doctrinam veterum, Christo concessa potestas.

Denique[1] linquentem celsi fastigia montis
Stipabat gaudens populorum turba sequentum.
Ecce sed horrenda confixus viscera tabe,
Quem toto obsessum fœdarat corpore lepra,
Procubuit venerans juvenis, Christumque precatur :
Ut careat tandem languoris pondere tanti,
Sufficiat voluisse tuum. Tum dextera Christi
Attactu solo purgavit lurida membra :
Incolumique dehinc celaret gaudia jussit,
Et Legi parens offerret munera templo.
Inde recedenti supplex se protinus offert
Centurio, et precibus projectis talibus orat :
Impubis pueri cruciatur spiritus æger,
Cujus cuncta repens membrorum munia languor
Dissolvit, vitamque tenet jam pœna superstes.
Sed jussu miserere, precor : nam tecta subire
Crimina nostra vetant vitæ lucisque parentem :
Nunc verbo satis est jubeas remeare salutem.
Subjectos mihi sæpe viros, sic nostra potestas
Officiis verbo jussis parere coëgit.
Dixerat : ille viri motus precibusque fideque,
Talia conversus populo dat dicta sequenti :
Haud unquam talem memini me gentis avitæ
Invenisse fidem, sed veris discite dictis,
Quam multos homines, diversis partibus orbis
Progenitos, cœli regnum sublime vocabit,
Cum patribus nostris vitali accumbere mensæ :
Progenies quorum cæcis demersa tenebris,
Dentibus horrendum stridens, fletumque frequentans,
Perpetuis pœnam cruciatibus acta subibit.
Ac tibi jam, juvenis, mentis virtute fidelis,
Ut credis, veniet fructus cum luce salutis.

[1] Matth. VIII. Marc. I. Luc. V.

Dixerat, et dicto citius cum voce loquentis
Ad puerum celeris transcurrunt munera verbi.
Ingressusque domum miles properante recursu
Prævenisse Dei lætatur dona medentis.
Ædes inde Petri sanctus penetrabat Iesus,
Cujus anhela socrus æstu febrique jacebat.
Utque illi dextram tetigit salvator Iesus,
Sana ministerium præbebat fœmina mensis.

LIBER SECUNDUS.

Jamque[1] dies prono decedens lumine pontum
Inciderat, furvamque super nox cærula pallam
Sidereis pictam flammis, per inane trahebat :
Cum multos homines, mentis languore ruentes
Devinctasque animas scelerata dæmonis arte,
Certatim populi cæca jam nocte ferebant.
Sed verbum Christi, tanto languore remoto,
Omnibus indulgens, præbebat munera patris.
Ecce sed exortus major cum luce tumultus
Gratantis populi, cum turbis anxius ille,
In mare velivolum celsam deducere jussit
Discipulis puppim : precibus tum scriba profusis,
Navigio sancti pariter poscebat abire.
Olli Christus ait : Quo tu me, scriba, sequeris ?
Vulpibus in saltu rupes excisa latebram
Præbet, et aëriis avibus dat silva quietem.
Ast hominis Nato nullis succedere tectis
Est licitum : gentis sic sunt molimina vestræ.
Tunc e discipulis unus sic ore rogabat :
Ultima defuncto debentur munera patri,
Hinc spatium tribuat tua nobis sancta voluntas,
Ut liceat miseri genitoris condere corpus.
Christus ad hæc : Itiner potius comitabere nostrum,
Et sine defuntis defunctos condere terra.

[1] Matth. VIII. Luc. IX.

Conscendunt navem, ventoque inflata tumescunt
Vela suo, fluctuque volat stridente carina.
Postquam altum tenuit puppis, consurgere in iras
Pontus, et immensis hinc inde tumescere ventis
Cœpit, et abruptos ad cœlum tollere montes.
Et nunc mole ferit puppim, nunc turbine proram,
Illisoque super laterum tabulata receptant
Fluctus, disjectoque aperitur terra profundo.
Interea in puppi somnum carpebat Iesus,
Illum discipuli pariter nautæque paventes
Evigilare rogant, pontique pericula monstrant.
Ille dehinc : Quam parva subest fiducia vobis!
Infidos animos timor arguit : inde procellis
Imperat, et placidam sternit super æquora pacem.
Illi inter sese timidis miracula miscent
Colloquiis, quæ tanta illi permissa potestas,
Quodve sit imperium, cui sic freta concita ventis,
Erectæque minis submittant colla procellæ.
Jam Gerasenorum steterat sub littore puppis,
Ecce sed egresso juvenis (mirabile dictu)
Occurrit, miseram cui mentem spiritus ater
Horrenda implebat lacerans virtute furoris.
Illi grata domus, tetris habitare sepulcris :
Nec poterat rabidum quisquam retinere furorem.
Ferrea quinetiam rumpebat vincula membris,
Scindebatque graves ut linea fila catenas.
Et jam compedibus levis insultare soluto
Ludus erat, saxisque ferum concidere pectus.
Isque ubi pergentem Christum per littora vidit,
Cum clamore ruit, longeque accurrit adorans :
Regnantis semper Domini certissima proles,
Oramus, solitæ ne nos regionis ab oris
Excutias, longe tormentis excruciatos :

Nam nomen Legio est nobis, multosque sub uno
Nomine consociat flatus vis sola nocendi.
Cernis ut immundi subigunt hæc pascua porci,
His saltem liceat rabiem satiare repulsam,
Per Patris altithroni nomen sublime rogamus.
Imperat iis hominis mentem dimittere Christus,
Porcorumque sinit gregibus finire furores.
Jamque hominis stupidum discusso dæmone pectus,
Insperata suæ veneratur dona salutis,
Et jam præcipites scopulorum margine porci
In mare dejecti, properant disperdere vitas.
At vero e speculis miracula tanta paventes,
Diffugiunt, urbisque ruunt ad tecta subulci,
Et famam spargunt, populosque ad littora cogunt.
Insanum juvenem postquam resipisse videbant,
Credere cernentum populorum turba coacta est :
Orabant pavidi regionem linqueret illam.
Inde[1] domum repedat terrarum lumen Iesus,
Ecce revertenti juvenis torpentia membra,
Officium quorum morbus dissolverat acer,
Ante pedes ponunt tepido recubantia lecto.
Quem miserans animo, verbis compellat Iesus :
Adsit certa tuæ, juvenis, constantia menti,
Nam tibi præteritus vitæ donabitur error.
Hoc dictum scribæ mentis per operta maligne
Carpebant, quod verba Dei virtute verenda
Protulerat Christus : sed pectora talia cernens,
Hoc, inquit, verbum scribarum dicta retractant ;
Quod quanto levius fuerit dixisse, sequentis
Et dicti et facti pariter virtute probabo,
Ut mihi concessum peccata remittere cernant :
Quapropter, juvenis, firmato corporis usu

[1] Matth. IX. Marc. II. Luc. V. Joan. V.

Surge vigens, stratumque tuum sub tecta reporta.
Surrexit, lectumque humeris jam fortibus aptat;
Per mediumque vigens populi mirantis abibat.
Tunc timor et laudes Domini per pectora plebis
Concelebrata, simul miracula læta frequentant.
Progrediens tunc inde ad vectigalia, vidit
Consessu in medio Matthæum; protinus illi
Discipulis hærere jubet: nihil ille recusans,
Imperio Christi paret, gaudetque secutus.
Inde[1] iter ingrediens, simili sermone Philippum
Hortatur, comitemque suis ascivit amicis.
Ille ubi cognovit Christi viresque viamque,
Tum primum justo concurrit Nathanaëli:
En nostris, inquit, concessum est visere sæclis
Quem voces veterum et sancti cecinere Prophetæ.
Hunc genuit veniens Davidis origine virgo,
Nazara cui felix patria est, et nomen Iesus.
Ille refert: Genuit quidquam si Nazara, miror
Quod dignum tantis unquam virtutibus esset.
Inde Philippus ait: Cernes, dubitare quiesce,
Progrediensque vide, nam oculis spectare licebit.
Illum ubi tendentem longe respexit Iesus:
Vir venit hic justus, cui pectora nescia falsi,
Virtutem puram servans, sine fraude maligna.
Ille sub hæc: Ubinam, vel quo me tempore nosti?
Cui Dominus dicta hæc divino pectore promit:
Cum te diffusæ tegerent umbracula ficus,
Ante etiam quam te vocitarent verba Philippi,
Vidit et elegit comitem te Spiritus auctor.
Talibus attoniti sequitur vox Nathanaëlis:
Progenies veneranda Dei, rex inclyte gentis,
Tu populi terræque salus, vitæque magister.

[1] Joan. I.

Christus ad hæc : Facilis suasit tibi credere virtus,
Arborea quod te vidi recubare sub umbra :
Sed majora dehinc rerum miracula restant.
Cernetis pariter totum se scindere cœlum,
Atque Dei celeres æthram penetrare ministros,
Inde hominis Nato claram deferre coronam.
Interea [1] thalamis connubia festa parabant
In regione Chanaan, ubi mitis mater Iesu
Cum Nato pariter convivia concelebrabat.
Vina sed interea convivis deficiebant.
Tunc mater Christum per talia dicta precatur :
Cernis lætitiæ jam defecisse liquorem?
Adsint, Nate, bonis ex te data munera mensis.
Olli respondit terrarum gloria Christus :
Festinas, genitrix; nondum me talia cogit
Ad victus hominum tempus concedere dona.
Mensarum tunc inde vocat lætata ministros
Mater, et imperiis Nati parere jubebat.
Sex illic fuerant saxis præpulchra cavatis
Vascula, quæ ternis aperirent ora metretis;
Hæc jubet e fontis gremio complere ministros.
Præceptis parent juvenes, undasque coronant,
Completis lapidum labiis; tum spuma per oras
Commixtas undis, auras ad summa volutat :
Hinc jubet ut summo tradant gustanda magistro.
Ille ubi perepcit venerandi dona saporis,
Nescius in vini gratum transisse liquorem
Egestas nuper puris de fontibus undas,
Increpat ignarum sponsum quod pulchra reservans,
Deteriora prius per mensas vina dedisset.
His signis digne credentum discipulorum
Perpetuam stabili firmavit robore mentem.

[1] Joan. II.

Inde ubi Judæis aderant solennia Paschæ,
Ad Solymos direxit iter, temploque subibat :
Repperit hic populum venalia multa locantem ;
Pars vendebat oves, pars corpora magna juvencum,
Pars inhians nummis mensas oneraverat ære.
Restibus hic Christus connectit verbera flagri,
Et tales populos sancta proturbat ab æde,
Et mensas vertens æris profundit acervos,
Et super increpitans : Procul hæc auferte, profani,
Ut meus hic Genitor, non sordida lucra colantur.
Tunc poscens[1] signum plebes Judæa fremebat,
Quo fidens animos in talia facta levaret.
Ventura obscuris tunc Christus talia miscet :
Solvite pollutis manibus venerabile templum
Hoc, ego restituam cum tertia lumina solis
Incipient rutilam terris infundere lucem.
Illi inter sese tractantes murmure cæco :
Hoc, aiunt, vix sex et quadraginta per annos
Constructum veteris regni molimine templum,
Tu poterisne trium spatio renovare dierum?
Hoc verbum quondam post tempora debita, digni
Cognovere viri, proprio de corpore Christum
Delubrum dixisse Dei : sed signa videntes,
Tum multi cepere fidem, sanctumque secuti.
Nocte sub obscura[2], celso sublatus honore,
Primorum procerum Judæi nominis unus
Venit, et ad Christum submissa voce profatur :
Haud dubium est quod larga Dei te sancta voluntas
Humanis lucem concessit surgere rebus ;
Nec quisquam tantis tribuit miracula signis,
Ni comitata Dei jubeat splendescere virtus.
Christus ad hæc : Callis justi si culmina quæris,

[1] Joan. II. Matth. XVI. Marc. VIII. — [2] Joan. III.

Nullus ad excelsum poterit conscendere regnum,
Reddita ni penetret nascendi exordia rursus,
Atque novam capiat divino munere vitam.
Ille autem tantis stupefactus corda loquelis :
Hoc, inquit, nostræ non est comprendere mentis.
Quis poterit cœptæ revocare exordia vitæ?
An rursus senior matris correpet in alvum,
Ut novus in lucem veniat, vitamque resumat?
Ille sub hæc : Liquido si quis de fonte renatus,
Et flatu sancto, rudibus consistere membris
Cœperit, æthercam liber conscendet in aulam.
Terrenum corpus terreno corpore natum est :
Spiritus haud aliter similem generat sibi flatum.
Spiritus hic Deus est, cui parent omnia mundi.
Hic ubi vult quocumque volat, vocemque per auras
Jactat : sed nescis quæ sint exordia vocis,
Quamque petent ejus currentia flamina partem.
Quisque igitur justæ repetit primordia vitæ,
Hunc, similem sancti flatus, revigescere certum est.
At Judæus ad hæc : Nihil horum cernere possum.
Talia tum Christus : Solymorum magne magister,
Israëlitarum sublimis gloria gentis,
Tune etiam mentem vitæ de lumine raptam
Demergis præceps furvis miserande tenebris,
Nec potes obtuso comprendere talia sensu?
Ecce fides nulla est, tantum terrestria dixi :
Quid si cœlestis vires conscendere sermo
Cœperit, et superas rerum comprendere formas?
Quis vestrum duram poterit mihi pandere mentem?
Accipite ergo novis quæ sit sententia rebus.
Sidereum nullus poterit conscendere cœlum,
Ni solus cœli missus qui venit ab aula.
Idem hominis Natus, cœli qui in sede moratur.

Ut serpens olim vastæ regionis in oris
Moseis manibus summo sublatus honore est :
Sic hominis Natum tolli in sublime necesse est,
Ut quicumque fidem mentis penetralibus altis
Illius ad lumen statuit, sub turbine sæcli,
Proculcet pedibus lethum, et trans sidera surgens,
Sublimis capiat donum inviolabile vitæ.
Namque Deus mundum tanto dilexit amore,
Ejus ut in terras descenderet unica Proles,
Credentes domino vitæ junctura perenni.
Nec Deus hunc Natum disquirere jure severo,
Judiciove truci terras expendere misit;
Mitia sed populis veniant ut munera vitæ.
Namque ubi certa fides fuerit complexa salutem,
Non erit ulla illic anceps agitatio juris.
Ast ubi dona procul fuerint exclusa medelæ,
Jam propria ipsorum mentem damnatio torquet ;
Unica nam Domini fuit iis incognita Proles,
Adventum lucis miseri fugere supernæ,
Et magis amplexi cæcas tenuere latebras.
Sic quicumque malis mentem maculaverit actis,
Ad tenebras pavidus refugit, ne lumine claro
Sordida pollutæ pateant contagia mentis :
At quicumque piæ tenuit vestigia vitæ,
Ad medium properat, lucemque nitescere gaudet :
Splendeat ut claris virtutis gloria factis.
  Inde [1] Galilæam repetit salvator Iesus.
Præteriens sed forte venit Samaritida Sichem.
Illic fundus erat, Jacob de nomine pollens,
Et puteus gelido demersus in abdita fonte.
Sederat hic rapido Servator anhelus in æstu,
Discipulique escas mercantes mœnibus urbis

[1] Joan. IV.

Passim dispersi, solum liquere magistrum.
Mœnibus egrediens Samaritis fœmina venit,
Hauritura cavis putei penetralibus undas.
Olli Christus ait : Laticis da, fœmina, potum.
Respondens mulier : Mirum mihi præcipis, inquit,
Ut tibi Judæo mulier Samaritica potum
(Dispernens veterum Samaritum jussa) ministrem.
Tunc Salvator ait : Domini si munera nosses
Et quis te sitiens putealia pocula poscat,
Tu potius peteres vivam tibi traderet undam.
Illa sub hæc : Puteus gremium sinuatur in altum,
Urceus est nullus, nec sunt tibi vincula funis;
Unde igitur poteris undam mihi tradere vivam?
Num tu major eris nostri virtute parentis?
Hoc etenim Jacob puteo cum prole bibebat,
Et proprios huc sæpe greges ad pocula duxit.
Olli respondit mundi regnator Iesus :
Ex ista plene nullus satiabitur unda,
Nam rursus sitiet : sed nostri dona liquoris
Ardorem excludent æterna in sæcla bibendi.
Dulcia provenient nostri cui pocula fontis,
Largior inde fluet vitalis gratia fluctus.
Sed desiderium nostræ si te capit undæ,
Excitus veniat tecum mox urbe maritus.
Conjugio sese mulier negat esse revinctam.
Tunc sic prosequitur mentis perspector Iesus :
Fœmina, veridicis loqueris de conjuge verbis.
Nam tu connubiis nexa es jam quinque virorum,
Nunc aliena super thalamorum vincula tollis.
Tum mulier : Sanctum te certum est esse prophetam.
Sed nostri istius venerandum montis in arce
Præceptum nobis quondam liquere parentes :
At vos in Solymis orandum dicitis oris.

Talia dicenti, mox talia reddit Iesus :
En aderit tempus, montis cum vertice vestri
Omnibus et Solymis aberit veneratio longe.
Sed nunc certa salus Judæis surgit ab oris,
Et nunc instantis cursus jam temporis urget,
Cum veri sanctum Genitorem, errore remoto,
Cultores, justis armati legibus, orent.
Spiritus iis ac plena fides erit, et Pater altus
Talia conquirit cultorum pectora terris.
Illa dehinc : Scimus quod Christus nuntius orbi
Adventu proprio vitalia sæcula pandet.
Et tunc peccatum largus miserator Iesus,
Se lumen terris Christum venisse fatetur.
Et jam discipuli reduces, stupuere Magistrum,
Quod secreta piis potiretur fœmina verbis.
At properans urnam mulier fontem prope liquit,
Et populum totis eduxit mœnibus urbis :
Omnia nam memorat sibimet sermone Prophetæ,
Gesserat ipsa prius quæcumque ex ordine dicta.
Tum propere Christum fusæ petiere catervæ.
Discipuli interea rogitant ut sumeret escas :
Ille satis sibi pulchrorum superesse ciborum
Respondit; sed tum mirantum discipulorum
Inter se occultis currebat sermo loquelis :
Forte aliquis prior hic epulas dedit ante Magistro,
Nostras ut merito satiatus respuat escas.
Ille sed interne cernens molimina mentis :
Hæ mihi sunt epulæ, pectus satiabitur istud,
Si faciam magni Genitoris jussa per orbem :
Quatuor hinc menses lætæ ad primordia messis,
Frugiferæ æstati certe superesse putatis :
Erigite ergo oculos, albentes cernite campos,
Cunctaque maturam jam rura exposcere messem.

Nunc quicumque metet, pulchri mercede laboris,
Vitalique dehinc gaudebit fruge redundans,
Et sator accipiet messorum gaudia lætus.
Hos ego nunc misi gravidam succidere messem,
Quæ non est vestro sulcis inserta labore.
Vos aliena bonæ ditabunt munera frugis.
Talibus alloquiis comitum dum pectora complet,
Ecce Samaritum populi venere rogantes,
Exorantque illic geminos expendere soles.
Jamque fides multos plebis fundaverat alta,
Nec jam fœmineis tantum concredere verbis
Ipsos, sed coram virtus manifesta docebat,
Venisset sæcli quod jam salvator Iesus.
Jamque Galilæam remeaverat in regionem,
Quondam ubi fontanas vino mutaverat undas.
Regius hic juvenis (cui natum morbus anhelo
Ardore extremis vitæ torrebat in oris),
Comperit ut Christum certo remeasse recursu,
Advolat, et precibus sobolis pro sorte profusis
Orabat, celeris deposcens dona salutis,
Ne pius ad lethum natus traheretur acerbum.
Christus ad hæc : Signis nisi suadeat omnia virtus,
Non erit ulla fides : sed perge, et sospite vita
Ædibus in vestris dulcem complectere natum.
His verbis, fructum mox perceptura salutis
Pulchra fides, animum lætanti in pectore firmat.
Jamque iter ingresso properantibus obvia servis
Nuntia fama venit, pueroque in luminis oras
Limine de mortis subitam remeasse salutem.
Ille ubi cognovit certum concurrere tempus,
Sanantis Christi verbis, seseque domumque
Mancipat, amplexus fidei venerabile donum.

Forte[1] dies epulis multos sociaverat unus,
Publica conductis qui vectigalia lucris
Professi rapiunt alieno nomine prædam;
Hos cum discipulis simul accipiebat Iesus.
Ecce Pharisæi occulto reprendere risu,
Quod legis doctor convivia talia adiret.
Ille sed inspiciens quid pectora clausa tenerent:
Non, inquit, medicis opus est ubi fortia membra
Intemerata salus vegetat, viresque ministrat:
Ægris sed merito miserans adhibenda medela est.
Discite nunc saltem jubeant quid verba Prophetæ:
Non ego sacra magis quam mitia pectora quæro.
Haud etenim justos veni ad directa viantes,
Sed revocare malos peccantum a limine gressus.
Ecce sed e numero mirantum munera Christi,
Unus Joannis quærebat discipulorum,
Cur ipsi legis jejunia crebra tenerent,
Nullaque sub Christo plebes jejunia ferret?
Christus ad hæc contra placido sic ore profatur:
Qui sponsi lætis comitantur vota choreis,
Non præsente illo jejunia tristia portant.
Jamque dies aderit, cum sponsus turbine sæcli
E medio comitum rapietur: tristibus illi
Tuncque dabunt animos lacrymis; horrore ciborum
Languida concipient animis jejunia flentes.
Quam stultum est rudibus veteres subtexere pannos
Vestibus, ut veteris pejor scissura patescat?
Utribus aut calidum tritis committere mustum,
Quis ruptis, totum sequitur disperdere vinum?
Utribus est rectum rudibus spumantia musta
Condere: sic vinum conservant fortia vasa.

[1] Matth. IX. Marc. II.

Talia tractanti, perculsus pectora luctu,
Ecce sacerdotum princeps procumbit adorans,
Et sibi defunctam, funus miserabile, natam,
Implorat lacrymans, certamque venire salutem
Defunctæ vitam poscebat munere Christi.
Haud mora, consurgens graditur salvator Iesus.
Progressi mulier sequitur vestigia servans,
Quam languore gravi bis sex labentibus annis
Carpebat fluxus, lacerans sine fine, cruoris,
Viribus absumptis, et toto corpore fessam;
Pectoris hæc tacitam volvebat credula mentem,
Arcana secumque fide jam certa tenebat,
Acturum fesso fugeret quod corpore tabes,
Extremam Christi posset si tangere vestem.
Hæc ubi per populum summi pendentia pepli
Fila manu trepida tractavit, protinus ille
Et causas morbi et credentia pectora cernens,
Concessit celerem tali cum voce salutem:
Accipe, quod meruit fidei constantia, munus.
Et mox constricto riguerunt sanguine venæ.
Postquam perventum est ubi funera virginis ingens
Plangentis populi fremitus, clangorque tubarum
Ultima supremæ celebrabant funera pompæ:
Abscedant, inquit, tectis hæc tristia vestris;
Namque puella jacet placido demersa sopore,
Defunctam retur flentum quam nescia plebes.
Talia dicentem, ridentum turba reliquit,
Quod morte abreptam dixit dormire puellam.
Sed Christus, lethi victor, vitæque repertor,
Frigentis dextram dignatus prendere dextra,
Surgere mox jussit miranda ad gaudia patris.
Inde revertenti clamor se protinus offert
Lumine captorum gressu labente duorum.

Atque his Christus ait : Si credunt pectora vestra,
Nunc virtute mea se reddet lumen ademptum.
Olli firmato se credere corde fatentur.
Tunc Christus fatur : Credentes cernite lucem,
Nec cuiquam nostrum post hæc edicite nomen.
Dixit : sed major per gaudia tanta videntum
Ardor inexpletus famam per cuncta ferebat.
Offerturque dehinc juvenis cui rapta sonoræ
Dæmonis incursu fuerat substantia vocis.
Atque ubi propulsus fugit de pectore dæmon,
Confestim sanæ redierunt munera linguæ.
Talia mirantis populi stipante tumultu
Vallatur : cernens sed millia tanta virorum,
Ingemit, ut ruris dominus cui pascua læta
Innumeræ tondent pecudes, rectoris egentes;
Tunc ad discipulos depromit talia verba :
Quam late segetes ruris per terga patescunt,
Sed rarus messor frugis superatur acervo.
Jam superest, dominum segetis deposcere tantæ,
Ut sua rura velit numero complere colentum.
Hæc fatus [1], populo ex omni delecta seorsum
Fortia conglomerat bisseno pectora cœtu.
Hos ubi delegit, præceptis talibus implet :
Devitate viam quam gentes perfidiosæ
Et Samaritarum fraudis vestigia calcant.
Pergite qua patrii pecoris custodia balat.
Pergentes vero similem mihi sumite mentem,
Ut vobis subigat virtutes dæmonis atri
Sancta fides, curamque piam languoribus aptet :
Hæ vires nulla vobis mercede dabuntur,
Et vos haud aliter cunctis impendite dona :
Non auri argentive domet possessio mentem,

[1] Matth. x. Marc. III et VI. Luc. IX.

Nec vos nummorum subigat scelerata cupido :
Nec geminas vestes, nec plantis tegmina bina,
Virtutis nudæ cupiat servire minister.
Ingressi muros urbis, perquirite semper
Hospitio quorum par sit succedere justis,
Ingressique dehinc pacem sub tecta vocate.
Si tranquilla domus fuerit, pax illa manebit :
Sin erit indignis habitantum motibus horrens,
Diffugiet, vestrumque abitum pax vestra sequetur.
Excludet quicumque ferus vos limine tecti,
Auribus aut duris spernet vitalia verba,
Sive aversa Dei famulos succedere tectis,
Hospitiique focos miscere gravata vetabit :
Excutite egressi domibus vestigia vestra,
Hæreat injustæ ne vobis portio vitæ.
Illos deterior Sodomorum pœna manebit
Suppliciis, veniet mundo cum terminus omni.
Pergitis en ut oves sævorum præda luporum,
Sed vos arguto serpentum corde vigete,
Simplicitate tamen puras superate columbas.
Nam sæpe incumbet vobis injuria præceps,
Conciliisque hominum statuentur corpora vestra.
Vos flagris, vinclisque feris, durisque tyrannis
Frendens urgebit pro me violentia sæcli.
Cum vos prodiderint, verborum ponite curam,
Sponte fluens dabitur sermonis gratia vobis :
Spiritus in vobis pro vobis digna loquetur.
Prodet enim fratrem scelerata insania fratris,
Ad lethumque dabunt genitorum corpora nati.
Vos odia urgebunt semper pro nomine nostro :
Sed finem fidei comitatur gloria vitæ.
Profugite e tectis, quæ vos sectabitur, urbis.
Inde aliam, mox inde aliam conquirite sedem.

Nam vobis urbes semper superesse necesse est
Israëlitarum quæ dent sub nomine plebem.
Discipulus nunquam transcendat celsa magistri
Culmina, nec dominum tentet præcellere servus.
Discipulo satis est vires æquare magistri,
Vel domini similem virtutem prendere servo.
  Pectoribus vestris semper timor omnis aberret.
Nam nudata suis promentur cuncta latebris.
In tenebris tacite vobis quæcumque jubentur,
Dicite præclaro nitidi sub lumine solis.
Auribus et vestris dicam quæcumque susurrans,
Excelso in populos spargantur culmine tecti.
Despicite illorum rabiem qui corpora vestra
Prosternent ferro : non est his ulla potestas
Vivacem letho pariter demittere mentem.
Illum sed potius cordis secreta pavescant
Corporis est animæque simul cui cuncta potestas.
Passeribus pretium nummi vix portio parva
Proveniet : non est tamen unum credere dignum,
Ni jussu Domini, laqueos incurrere vestros.
Quis dubitet sapiens Domini sub pectore multis
Cedere pennatis hominum pro millibus unum ?
Qui me confessus fuerit sub judice terræ,
Hunc ego non aliter coram Genitore fatebor :
Sic itidem coram Genitore negabo negantem.
Non ego nunc pacem terris immittere veni,
Sed gladium, patrio dirimat qui pectore natum,
Et dulcem natam dirimat qui pectore matris.
Si quis amore meo genitorem pluris habebit,
Vel matri sobolive meum postponet amorem,
Sentiet horribilem nostra de sede repulsam.
Contemnet quicumque animam pro nomine nostro,
Inveniet læta florentem fruge salutis.

Qui vos suscipiet, me suscepisse benignis
Obsequiis, idem me pro Genitore supremo
Suscepisse sibi gaudebit perpete vita.
Talia discipulis[1] bis sex cum jussa dedisset,
Justus Joannes cæci de carceris umbris,
Sectantum e numero delectos, talia dicta
Ad Christum portare jubet, verumque referre:
Tune piis animis requies, quam regia cœli
Pollicita est terris, nostro sub tempore fulges?
An superest aliam posthac sperare salutem?
Talibus hæc Christus dictis mandata remittit:
Cæcorum tenebræ mutantur lumine lucis,
Debiliumque vigent firmato robore membra,
Lurida discutitur squamoso corpore lepra,
Aëriæ vocis penetrat surdas sonus aures;
Redditur, amissa lethi post funera vita,
Ad corpus remeans animæ jam libera virtus;
Pauperibusque suis non dedignata patescit
Fulgentis splendens adventus gloria terris.
Ille beatus erit, quem non deceperit error.
Talia discipuli referunt mandata magistro.
Hæc super ad populum depromit talia Christus:
Cur in deserto voluistis visere nuper
Stramen arundineum vento vibrante moveri?
Cur etiam molli vestitum veste videre?
In domibus regum molli cum veste tenentur.
Ille prophetarum solus transcendere vires,
Indicio veteris scripti, promittitur olim.
Hunc etenim memorat venerandæ lectio vocis:
En ego mitto meum stratas aptare ministrum
Ante tuos vultus: genuit nec fœmina quemquam,
Major Joannis nostri qui viribus esset:

[1] Matth. XI. Luc. VII.

Sed minimus cœli qui in regno est, major habetur.
Hujus ab exortu vim cœli regia sensit,
Et cœli regnum violentia diripit atrox.
Lex omnis summam Baptistæ ad tempora cepit,
Atque prophetarum finis conclusus eodem.
Si vultis volucris penetralia noscere sæcli,
Ipse est Elias, felix venturus in ævum :
Corpus Joannis felix habitabile sumpsit
Elias quondam, quem turbine jussa corusco
Flammipedum rapuit simulatio quadrijugorum.
Audiat hæc dictis pandens vitalibus aures.
  Nunc tibi confiteor, Genitor, cui gloria servit
Fulgentis cœli et terrarum frugiferarum,
Cœlesti nunc quod sapientibus ista superbis,
Parvulaque infantum vis hæc comprendere corda.
Jam mihi regnantis sunt omnia tradita Patris :
Nec quisquam Domini poterit cognoscere Natum,
Ni solus Genitor; Genitorem mente videbit
Filius, aut idem pandet cui talia Natus.
Huc omnes veniant oneris quos sarcina vasti
Comprimit, iis poterit virtus mea, munere Patris,
Antiquas vires hilari reparare quiete.
Sumite forte jugum, levis est mea sarcina justis,
Namque humili dulcem largitur corde salutem.
  Hæc ubi dicta dedit[1], messis per culta gravatæ
Præterit, et populus sectantum discipulorum
Spicarum gravidam carpebat in ordine frugem.
Ille dies veteri poscebat lege quietem;
Sabbata nam priscis repetebant otia justis.
Ecce Pharisæi curant reprehendere Christum,
Quod sanctæ legis calcarent jussa metentes
Discipuli; legum sed tunc completor Iesus

[1] Matth. XII. Marc. II. Luc. VI.

Incipit, his veteris scripti monumenta retexens :
Legistis certe in templo Davida canorum,
Cum populo quondam panes sumpsisse sacratos,
Et propriam comitumque famem sedasse; sed illos
Illicitum cuiquam fuerat contingere panes,
Sumere quos solus poterat de lege sacerdos,
Ejusdem scriptum est justo moderamine legis.
Vates in templo sine crimine festa profanent,
Nec minor est istic vestræ glomeratio turbæ,
Quam templi virtus, caperent si pectora vestra,
Quod non sacra Deus, sed mallet mitia corda,
Non tam sæpe viros damnasset factio vestra
Expertes culpæ, sed nunc ego sabbata cuncta,
Sponte mea dominans, legis sub jure tenebo.
Tunc conventicula ipsorum post talia dicta
Ingreditur; mox hic juvenem pro limine cernit,
Siccatum ex humero cui pondus inutile palmæ
Pendebat : sed tum dictis tentando dolosis,
Ægris an liceat per sabbata ferre medelam,
Quærunt, calcatæ ut legis vindicta maneret.
Christus ad hæc : Foveam si forte pecuscula vestra
Inciderint, certe transibitis otia legis,
Et pecus abrupto tolletis vile profundo.
Quanto igitur nobis hominum curatio major
Ad benefacta animos tollens accendere debet?
Ergo age tu, juvenis, redivivam extendito dextram.
Cum dicto, palmam sanus porrexit utramque.
Istis pro signis, quæ vix veneratio posset
Mirantis digno populi sustollere cultu,
Conciliis trucibus conclamant decipiendum.
Talia prospiciens procerum molimina Christus,
Decedens, variis hominum languoribus aptat
Concessam in populos patria virtute medelam.

Oblatusque illi est quem dæmonis horrida virtus
Et lingua et visu truncatum, vivere pœnæ,
Et propriis escam cruciatibus esse volebat.
Hunc ubi curatum, visuque et voce vigentem,
Cæca Pharisææ cognovit factio gentis,
Dæmonis auxilio (qui princeps dæmoniorum
Solus nequitiæ vires ditione teneret)
Hæc illum fecisse ferunt; sed talia Christus
Veridicis aperit convincens pectora verbis :
Si gemina regnum distractum parte dehiscat,
Et scissa adversum sese distractio pugnet,
Disruptis propere labentur cuncta medullis :
Horridus et dæmon si dæmone pellitur atro,
Adversa sibimet scissus virtute repugnat.
Quis poterit prædam tectis auferre virorum,
Ni prius aggressor custodum brachia nodis
Vinciat, ut facilis veniat direptio prædæ?
Quisque meis aberit discretus miles ab armis,
Hostis in adversa consistet fronte duelli :
Quisque meis gregibus cogendis liber oberrat,
Disjicit ille mei pecoris per devia pastus.
Sed quicumque hominum fuerit super omnibus error,
Dimitti poterit : tantum, ne spiritus unquam
Vocibus insana laceretur mente profusis.
Sive furens hominis Nato convicia quisquam
Ingerit, hæc etiam poterunt peccata remitti :
Spiritus at sanctus tantum a quocumque profana
Verborum rabie violabitur, irrevocatis
Suppliciis nunc et semper torrebitur igni.
Quando veneniferi serpentis sæva propago
Sermonum dulci poterit mitescere fructu?
Nam bona thesauris promuntur dulcia justis,
Et mala lethifero procedunt ore venena,

Verborum meritis dabitur sub judice vita,
Verborum meritis veniet sub judice pœna.
Quæ Genitor faciet[1], sectabitur omnia Natus :
Namque idem Nato manifestat cuncta videnda,
Et potiora dehinc tribuet miracula rerum.
Sicut enim Genitor demortua corpora reddit
Ad claram vitæ lucem : sic omnia Natus,
Quæ volet, ad superos surgentia corpora ducet.
Nec Genitor quemquam vestrum se judice quæret,
Sed dedit hæc Nato quærendi jura per orbem,
Gloria quo maneat similis Natoque Patrique;
Namque repulsus erit vestro si Natus honore ,
Improbitate pari Genitorem despicietis.
Sed cui nostra fidem sermonis gratia figit,
Mox me mittentis Genitoris dona videbit,
Æternamque dabit præsens constantia vitam;
Judiciumque illi non est, sed migrat ab atra
Morte procul, lucisque vigens ad limina tendit.
Adveniet tempus, quo mortua corpora vocem
Accipient nostram, et vitam cum voce tenebunt.
Nam sicut Genitor vitam sibi possidet in se,
Sic tribuit Nato vitam, et jus dicere jussit
In terris, hominis quoniam de corpore venit.
Nec vobis mirum videatur, corpora cuncta
Vocis ad auditum propriis exurgere bustis,
Justorumque animas redivivo corpore necti,
Judicioque gravi miseros exurgere pravos.
Nec mihi judicium tribuet mea sola potestas :
Arbitrio quoniam Genitoris cuncta jubentur,
Qui me justitiam terris disquirere jussit.
Namque ego si proprio testis pro nomine surgam,
Falsa loqui possem : ast alius quia testis habetur

[1] Joan. v.

Pro nobis, recte mihi talia temnere fas est.
Nam veris operum signis manifestior omni
Luce nitet, præsens nostris testatio factis.
Talia concedens Genitor mihi testis adhæret,
Qui me demisit terris, sua ponere jussa.
Hujus enim vocem nunquam comprendere quistis
Nec speciem propriam concessit visere vobis.
Nec sermo ipsius poterit per vestra sedere
Pectora, credendi quoniam substantia nulla est.
Quæratur veterum scriptorum lectio vobis,
Perpetuam cunctis vitam quam ferre putatis :
Hæc etiam nostrum testatur lectio donum.
Nec tamen audetis propius consistere nobis,
Ne veræ vobis contingant gaudia vitæ.
Non mihi captatur terrenæ gloria laudis.
Namque ego, qui summi Genitoris nomine veni,
Respuor a vobis : veniet sed dyscolus alter,
Nomine quem fultum proprio gens vestra sequetur.
Alternæ in vobis captatur gloria famæ,
Unius et solam fugitis disquirere laudem,
Ne vos arguerim coram Genitore : sed illic
Accusator erit, quem spes modo vestra celebrat,
Moses, quem fidei nullo servatis honore.
Ejus enim scriptis vester si crederet error,
Crederet et nobis, Mosi quem scripta frequentant.
Talia tum contra[1] scribarum verba sequuntur :
Vocibus indubitata fides comitabitur istis,
Si virtus certis firmet miracula signis.
Ille dehinc : Polluta malis generatio quærit
Signa sibi, rebus stabunt sed signa futuris.
Namque Propheta cavo quantum sub pectore ceti
Temporis absumpsit, terræ in penetralibus altis

[1] Matth., XI. Luc. XI. Marc. VIII.

Progenies hominis tantum demersa manebit.
Adveniet tempus cum surget reddita vitæ,
Gens hominum propriis in fletum dedita gestis,
Hæc istam digno damnabit crimine gentem:
Quód maris e fundo surgentis voce Prophetæ
Commonita, in lacrymas dominum projecta reflexit.
Hic et Jonæis monitis potiora jubentur,
Contemnitque feris animis gens impia lucem.
Et regina Noti vitales surget in oras,
Illius ad specimen damnabitur effera plebes;
Finibus extremis Libyæ quod venerit illa,
Ut Salomona pium præceptis dedita justis
Audiret: potior nunc est Salomone potestas,
Et tamen obtusæ cæcantur pectora plebis.
Expulsus si quando fugit de pectore dæmon,
Quem turbat sanctus purgato e corpore flatus,
Ille venenatis collustrat passibus oras,
Qua nulla excurrit fontani gurgitis unda.
Si requiem placidæ sedis non repperit, ardens
Tunc repetit suetæ sitiens habitacula mentis.
At si forte suis obnoxia corda venenis,
Ornatuque levi ridentia limina cernit,
Associat septem similes glomerando furores
Vis inimica homini, penetratque in viscera serpens.
Sic genus hoc vero sensu cum degener errat,
Vincula perpetuis deflebit subdita pœnis.
　Atque ea cum populis vitalia dicta frequentat,
Pro foribus mater cum fratribus astitit illic,
Et miscere foris sermonem cominus orat.
Talia tum matris mandatis dicta remittit:
Hic mecum genitrix, mecum germana residunt
Corpora; nam Patria impletur cuicumque voluntas,
Ille meo proprium connectit sanguine corpus,

Et matris generisque mei sub nomine habetur.
Progreditur templo[1] terrarum lumen Iesus,
Et maris extrema terræque resedit in ora.
Innumeræque illuc plebis fluxere catervæ.
Ille sed excelsam scandens quæ proxima puppim,
Littora complenti depromit talia plebi :
Ecce sator proprio commendat semina ruri,
Illa cadunt diversa solo, sortesque locorum
Pro virtute ferunt: nam sicubi trita viarum
Sub pedibus solido densetur limite tellus,
Aëriis avibus dant nudam semina prædam.
Ast ubi pertenui velantur pulvere saxa,
Farra quidem viridem depromunt germinis ortum :
Sed quia nulla subest siccis substantia glebis,
Inserto arescunt radicum fila calore,
Cunctaque mox apicum labuntur acumina letho.
Seminibusque aliis contingunt aspera rura,
Sentibus hic spinisque feris velocius exit
Roboris augmentum, frugemque internecat angens.
Uberibus vero dantur quæ semina glebis,
Illa ferunt pulchram segetem, cui læta frequentat
Incrementa sui centeno copia fœtu.
Audiat hæc aures mentis qui gestat apertas.
Talia discipuli mirantes dicta requirunt,
Implicitis populo cur clauderet omnia verbis ?
Ille sed admota credentum plebe profatur :
Vobis, qui firmo robustam pectore mentem
Ad capienda Dei penetralia constabilistis,
Concessum est adytis penitus consistere regni :
Illis pro merito clauduntur lumina mentis.
Si quid habet dignus, capiet potiora redundans.
Qui vero expertes cœlestis muneris errant,

[1] Matth. xv. Marc. iv. Luc. viii.

Amittent etiam proprium quodcumque retentant.
Idcirco obscuris cooperta ambagibus, illum
Promitur in populum sermonis gratia nostri,
Ut dictum Isaiæ merita de plebe recurrat :
En populi mentes velantur ad omnia crassis
Obicibus, sensu ne tangant munera vitæ.
Auribus assistunt clausis, oculisque gravatis,
Ne conversa bono sanetur noxia plebes.
Quam vestræ nunc sunt aures oculique beati !
Nam multi veteres justi sanctique Prophetæ,
Quæ vobis clarent, orarunt cernere dona.
Accipite ergo animis, qui sit de semine sensus.
Quisque meum verbum summas demittit in auras,
Nec sensus recipit stabili præcepta vigore,
Eripit illius totum de pectore dæmon :
Hic agro est similis, duro qui germina calle
Exponit rapidis avibus sine fruge rapinam.
Sunt alii, læto qui pectore nostra receptant,
Sed brevis est illis perceptæ gratia frugis ;
Nam si dura premat mentem strictura coërcens,
Continuo trepidi produnt sibi credita farra :
His saxosus ager simili levitate virescit.
At spinosus ager, curarum mole gravatis
Respondet, pressant quos pondera divitiarum.
Semina sic nostri sermonis pressa gravantur ;
Nec fructus sequitur, spinarum horrore necatus.
Pinguia sic itidem paribus stant viribus arva
Illis qui clare capiunt præcepta salutis,
Quæ penetrant animum sensu tractante tenaci,
Centuplicemque ferunt virtutis robore frugem.
Hæc tum discipulis : plebique hæc insuper addit :
Agricolæ simile est regnum sublime Tonantis :
Ille jacit proprio mandans bona semina ruri,

Sed post surripiens (homini insidiando) saporem
Trux inimicus adit, loliumque inspargit amarum :
Ecce, sed ad fructum culmus cum spiceus (horror !)
Processit, lolio messis maculata redundat.
Tum domino famuli mirantes talia fantur :
Nonne bonum terræ semen per terga dedisti ?
Unde igitur lolio turpi tua rura gravantur ?
Sed jam, si jubeas, messem purgabimus omnem,
Triticeusque nitor selecta sorde nitescet.
Tum dominus miti contra sermone profatur :
Hic dolus est, inimice, tuus : sed farra sinamus
Crescere cum lolio, pleno nam tempore messis,
Secretum lolium connexo fasce jubebo
Ignibus exuri : at nostro de semine messor
Horrea nostra dehinc purgata fruge replebit.
   Haud aliter simile est (cordis si panditis aures)
Præparvi grano regnum cœleste sinapi,
Quod proprio insinuans disponit cultor agello :
Seminibusque illud minus omnibus esse virentum
Creditur, ac justi mox ut crementa viroris
Sumpserit, erecto transcendit vertice cunctas
Agrorum fruges, ramis ut plumea turba
Considat, possitque umbras habitare virentes.
   Fermento par est munus cœleste salubri,
Quod magna condit mulier sub mole farinæ.
Illa dehinc modico fermenti mixta calore,
Conducto unius coalescit corpore massæ.
Talia tum populo perplexis condita verbis
Promebat, veteris quo possent dicta Prophetæ
Ordine sæclorum jussis concurrere rebus :
Os aperire meum dignabor, condita mundi
Convolvet ructans varii sermonis imago.
Inde domum repetit serus, turbasque relinquit.

LIBER TERTIUS.

Fuderat in terras[1] roseum jubar ignicomus sol :
Discipuli rogitant, lolii quid quæstio vellet
Et segetis ? clarus quibus hæc depromit Iesus :
Optima qui farris commendat semina glebis,
Filius est hominis : mundum sub nomine ruris
Accipite, atque homines puro pro semine justos.
At lolium infelix, cooperti dæmonis arte
Sunt homines : inimicus erit vis horrida, dæmon :
Extremus mundi finis pro tempore messis.
Messores Patris venient per rura ministri,
Quos hominis Natus proprii de corpore regni
Colligere erroris laqueos labemque jubebit,
Collectosque simul rapidis exurere flammis.
Dentibus his stridor semper fletusque perennis :
Secretisque piis veniet lux aurea vitæ,
Sedibus ut cœli vibrantur lumina solis.
Hæc docuit, patriamque redit Salvator in urbem :
Illic expediens populis (mirabile dictu)
Justitiæ leges, vitæque salubria jussa,
Virtutes Patrias simul insinuando docebat.
Tunc livore gravi plebes commota suorum,
Præsentisque simul Domini miracula volvens,
Et generis noti reputans ex ordine gentem,
Hæc inter sese mussanti voce volutant :
Nonne hic est fabri soboles cui nomen Ioseph ?

[1] Matth. XIII. Marc. VII. Luc. III. Joan. IV.

Num Maria est genitus, num fratrum nota propago est?
Unde igitur legis doctor, tantæque magister
Virtutis, cedit cui labes victa laborum?
Nazara sic plebes: cui talia reddit Iesus:
Temnuntur propriis miracula semper in oris,
Et sine honore manent patria sub sede prophetæ.
Talibus indignans pressit sua munera Christus.
Interea [1] ad regem volitabat fama superbum,
Quod mala cuncta illic virtus divina domaret.
Sed putat Herodes, lethi quod lege remissus
Tanta ut Joannes virtutis dona teneret.
Nam quondam cernens liventi pectore dæmon,
Erroris labem puris quod solveret undis
Justus Joannes, damnis accensa malorum,
Tunc petit Herodem pestis sævissima regem,
Et facile injusti penetrans habitacula cordis,
Accumulare feris subigit scelera impia gestis.
Arserat illicito Herodes accensus amore
In thalamos fratris, sancto quod jure vetabat
Doctus Joannes; feritas sed nescia recti
Subjecit leges pedibus, fruiturque nefandis
Connubiis, ipsumque super (quia prava vetabat)
Carceris immersit tenebris, vinclisque gravavit.
Sanguine nam justi, primo compressa timore,
Abstinuit sitiens feritas, quia magna prophetam
Plebis Joannem veneratio suscipiebat.
Natali sed forte die cum læta tyrannus
Herodes celsis strueret convivia tectis
(Luxuriæ quoniam conjuncta superbia gaudet),
In medio juvenum, reginæ filia virgo,
Alternos laterum celerans sinuamine motus,
Compositas cithara jungit modulante choreas.

[1] Matth. XIV. Marc. VI. Luc. IX.

Ipse sed in primis mirata virginis arte
Attonitus stupuit, nunc præmia cuncta patere
Juratus spondet, quæcumque puella petisset.
Illa sed horrendæ servans scelera impia matris,
Urget Joannis caput a cervice revelli,
Et lance inferri præsentia munera poscit.
Præsentum Herodes procerum sub pondere tristis,
Jurandique memor juris, tamen imperat ægre
Insontis caput auferri, tradique puellæ.
Illa (nefas!) matris scelerata ad gaudia portat.
Corporis at lacerum flentes sine nomine truncum
Discipuli condunt terræ, Christumque sequuntur.
Ille ubi cognovit justi miserabile lethum,
Deserit insonti pollutam sanguine terram,
Frondosaque latet secretæ vallis in umbra.
Sed populi immensæ virtutis dona sequuntur.
Ille ubi credentum turbas in valle remota
Convenisse videt, morborum tabe repulsa,
Corpora subjecit miseratus multa medelæ.
Jamque sub extremo labentis lumine solis,
Discipuli Christo suadent dimittere turbas,
Ut sibi quisque paret, quærens per compita, victum.
Ille jubet cunctis illic convivia poni.
Discipuli ostendunt, nihil amplius esse ciborum,
Ni pisces geminos, et farris fragmina quinque.
Hoc, inquit, satis est : tum mox discumbere plebem,
Gramineisque toris jussit correpere membra;
Suspiciensque dehinc cœlum, Genitore precato,
Ipse duos pisces et quinque ex ordine panes
Dividit, et dapibus mensas oneravit opimis.
Jamque expleta jacet (dictu mirabile) plebes,
Relliquiasque dehinc mensis legere ministri,
Bis senosque sinus cophinorum fragminis implent.

Cœnantum numerus tum millia quinque virorum,
Præterea populus matrum fuit, et puerorum.
Discipulis tunc inde jubet conscendere navem,
Et transire fretum, donec dimitteret omnes
In sua quemque viros : tunc montis celsa petivit,
Secretusque dehinc Genitoris numen adorat.
Jamque soporata torpebant omnia nocte,
Cum puppis medio sulcabat in æquore fluctus,
Jactata adverso surgentis flamine venti.
Ast ubi jam vigilum quarta statione premebat
Noctis iter, rapidos attollens Lucifer ortus,
Fluctibus in liquidis, sicco vestigia gressu
Suspensus carpebat iter, mirabile visu.
Jamque propinquabat puppi, sed nescia nautæ
Attoniti tremulo vibrabant corda pavore,
Clamoremque simul confusa voce dederunt.
Tum pavidis Christus loquitur : Timor omnis abesto,
Credentumque regat vegetans constantia mentem.
En ego sum, vestræ doctorem noscite lucis.
Olli confidens respondet talia Petrus :
Si tua nos vere dignatur visere virtus,
Me pariter permitte tuo super æquora jussu
Fluctibus in liquidis immersos figere gressus.
Annuit his Dominus : navem mox linquere Petrus
Audet, et innixus figit vestigia ponto.
Verum ubi tantarum mentem miracula rerum
Terrificant, ventique minas crebrescere cernit,
Paulatim cedunt dubio liquefacta timore,
Quæ validum fidei gestabant æquora robur.
Jamque Simon medio submersus corpore clamat :
Fluctibus horrendis pereuntem diripe, Christe.
Dextera confestim protenditur obvia Petro,
Et dubitata fides verbis mulcetur amaris ;

Ascensæque rati contraria flumina cedunt,
Præsentemque Dei Sobolem stupuere rogantes,
Cuncti navigio socios quos casus habebat.
Transierat tandem sulcans freta fervida puppis,
Optatumque gravis comprenderat anchora portum.
Conveniunt populi rapido per littora cursu,
Portantes ægros, vestisque attingere fila
Extrema exoptant, (mirumque) hoc munere cuncti
Credentes referunt plenam per membra salutem.
Ecce Pharisæi[1] Scribæque hinc inde dolosi
Captantes Christum, promunt fallacia dicta :
Cur tua discipulos patitur doctrina labare
Præceptis veterum? manibus nam cura lavandis
Præterit, assumuntque simul cum sordibus escas.
Ille sub hæc fatur : Magis hoc est quærere dignum,
Transgressi mandata Dei quod proditis omnes.
Namque Deus mortem defixa lege minatur,
Si genitor cuiquam verbo lædatur amaro,
Vel genitrix nati verbis pulsetur acerbis.
Irrita vos isthæc facitis, perversa docendo.
Quam manifesta vigent de vobis dicta Prophetæ !
Me populus summis labiis sublimat honore,
Sed diversa procul cordis secreta pererrant.
Accipite ergo omnes, auresque advertite cordis.
Non illata homini (fuerint quæcumque) pudendis
Sordibus aspergent, vitæve animove sedebunt :
Erumpunt hominum sed quæ penetralibus oris,
Internam misere maculabunt edita mentem.
Discipuli Christo memorant, quod verba loquentis
Occulto traherent Scribarum pectora risu.
Ille dehinc : Genitor plantarum semina noster,
Quæ non ipse sui consevit in æquore ruris,

[1] Matth. xv. Marc. vii.

Abjiciet penitus radicibus eruta longe.
Cæcus forte ducem cæcum sin nactus oberret,
Decidet in foveam pariter demersus uterque.
Tunc petit absolvi Petrus quid quæstio vellet
Ipse Pharisæis quam mox Scribisque dedisset.
Tum Sator æternæ respondit talia vitæ :
Vos etiam duro discluditis omnia corde
Jussa, nec admittit mentis dubitatio lucem ?
Nam quæcumque hominum veniunt extrinsecus ori,
In ventrem cedunt, animoque incognita currunt.
Quæ vero interno concepta e pectore promunt
Ora hominum, mentem possunt aspergine labis
Polluere, immundoque hominem maculare piaclo.
Secreto cordis promuntur noxia vitæ
Concilia, et cædes, et furta nefanda thororum,
Et fraudes, fallaxque hominum pro testibus error,
Et rabidæ cœlum pulsans insania vocis.
Hæc sunt quæ maculant hominem, quæ sordibus implent.
Illotis autem manibus non polluit unquam,
Corporis arbitrio terrenum sumere victum.
Hæc ubi dicta dedit, pulcherrima rura Syrorum,
Sidonem Tyrumque petit : cum fœmina fusis
Crinibus et precibus, natam causata jacentem,
Volvitur, et tacitum non desinit anxia Christum
Orare, ut mentem vexatam dæmone sævo
Redderet, et miseræ tandem resipisse liceret.
Tunc etiam precibus sectantum discipulorum
Respondit, proprias Genitoris malle bidentes
Cogere, quas magnus late disperserat error.
Crebrius instanti tum talia fatur Iesus:
Natis quisque suis panem non detrahet unquam,
Et canibus jaciet. Tum talia fœmina fatur :
Micarum saltem canibus sua portio mensæ

Decidit, et nihilo dominorum cœna gravatur.
Tum Dominus loquitur : Veniant tibi digna salutis
Præmia, quæ fidei meruerunt robora tantæ.
Talia Salvator verbis et voce locutus,
Virginis et mentem, discusso dæmone, virtus
Complexam implevit donis fœcunda salutis.
Inde Galilæas repedat Salvator in oras,
Præcelsique procul montis consedit in arce.
Haud mora, conveniunt populi, secumque trahebant
Pars captos oculis, et crurum debile vulgus,
Elinguesque alios, morbique vocabula mille.
Omnibus ille tamen languores dempsit amaros,
Viribus et validis venerando munere donat.
Tum populi pariter miracula tanta frequentant,
Æternoque Patri laudes gratesque celebrant.
Discipulos Christus cogens in vertice montis,
Secrete alloquitur : Plebis miseratio multa est,
Tertia nam terris remeant jam lumina solis,
Ex quo nulla sibi sumunt alimenta ciborum :
Jejunam nolim tantam dimittere plebem,
Ne labor afficiat populos per longa viantes.
Discipuli Christo ostendunt septem sibi panes
Esse, et pisciculos alimenta ad proxima paucos.
Tum populum jussit terræ per terga cubare,
Quodque fuit totum propriis decerpere palmis,
Et cunctæ curat mensatim tradere plebi.
Discipuli ponunt epulas, populusque repletur
Ad satiem dapibus, relegunt mox fragmina panis,
Et sportas referunt cumulato pondere septem.
Quatuor ex omni fuerant tum millia plebe,
Nec numero quisquam matres puerosque notavit.
Inde[1] Mageddarum navi transcurrit in oras.

[1] Matth. XVI. Marc. VIII. Joan. VI. Luc. XII.

Ecce Pharisæi, Sadducæique dolosi
Noscere tentantes instant cœlestia signa.
Sed Christus cernens fallacia pectora fatur:
Convexum quoties claudit nox humida cœlum,
Si ruber astrifero procedit Vesper olympo,
Dicitis: Adveniet ventura luce serenum?
Jamque sub exortu solis si tristia rubro
Nubila miscentur confusa luce colori,
Dicitis, agricolis nautisque venire fragosam
Ventorum rabiem, tempestatumque furores?
Fallaces, nostis faciem discernere cœli,
Sæclorum vero nescitis tempora signis
Explorare suis? sed vobis signa dabuntur,
Quæ maris immenso quondam venere profundo,
Bellua cum tenuit, ventris sub carcere, vatem.
Hæc ait, et propere puppis retinacula solvens,
Trans freta contendit rapido comprendere cursu
Arva Philipporum. Sociis hæc talia fatur:
Sollicite vobis vitentur noxia farra,
Fermentumque ferox vestris avertite mensis;
Illa Pharisæi Sadducæique dolosi
Admiscent escis, falluntque in nomine panis.
Cur vobis tacitas volvit contagio mentes?
Proh quam parva fides sensu torpente fatiscit!
Dicitis aversi, navi quod tollere panes
Non fuerit vobis vacuum, farrisque cavendas
Insidias jubeam: meminisse et scire putabam,
Quod panes quini plebis mihi millia quinque
Implerint dapibus, cophinisque superflua tantis
Fragmenta ad cumulum fuerint collecta ciborum;
Quatuor et rursum cœnantum millia panes
Quod facile implerint septem, sportasque referri
Vidistis rursus completas relliquiarum.

Sed moneo, istorum semper fermenta cavenda.
Discipuli tandem vitalia verba secuti,
Doctrinam cernunt fermenti nomine dictam.
Inde ubi perventum est, liquidi per terga profundi,
Clara Philippæo qua pollent nomine rura,
Cogit concilium sectantum discipulorum,
Et quærit quem se populorum fama putaret.
Respondent, multas plebis tunc esse loquelas :
Crebrius audisse, et multos firmare quod esset
Justus Joannes, populos qui flumine lavit.
Pars memorat volucris famæ sibi cognita verba,
Eliam venisse iterum, quem præpete cursu
Turbine cœlesti quondam simulacra quadrigis
Astris inseruit rapidæ vis fervida flammæ.
Jeremiam dixere alii, pars esse prophetam.
Tunc Christus, cunctis arridens pectore blando,
Conquirit quæ sit sententia discipulorum.
Sed stabilis Petrus : Tu Sancti Filius, inquit,
Christus, magnifico terras qui lumine comples.
Tum Dominus forti respondet talia Petro :
Petre, beatus eris : nam talia pandere certe
Humanus sanguis, vel terræ portio corpus,
Haud unquam poterit : Genitoris munera sola
Possunt tam validum fidei concedere robur.
Tu nomen Petri digna virtute tueris;
Hac in mole mihi saxique in robore ponam
Semper mansuras æternis mœnibus ædes.
Inferni domus hæc non exuperabile portis
Claustrum, perpetuo munitum robore habebit.
Cœlestisque tibi claves committere regni
Est animus : terrisque tuo quæ nexa relinques
Arbitrio, cœlis pariter nodata manebunt :
Solverit et rursus tua quæ sententia terris,

Haud aliter venient cœli sub sede soluta.
Sed vos, discipuli, Christum me dicere cunctis
Parcite, quo soli cognoscant talia digni.
Jam lux adveniet properis mihi cursibus instans,
Mœnibus in Solymis rabies cum prona furore
Eximios vatum saturabit sanguine nostro.
Ast ubi sol reddet lucifluum tertius ortum,
Consurget radiis pariter redimita salutis
Vita mihi, cunctisque dabit sua munera terris.
Tunc Petrus magno perculsus corda dolore:
Absint, Christe, tuis, inquit, tam tristia sanctis
Monstra procul membris; nec fas est credere tantum,
Nec tibi tam durus poterit contingere casus.
Christus ad hæc: Procul hinc, inquit, procul effuge, dæmon,
Nil divina tibi mentem prudentia tangit,
Sed terrena sapis, mollique timore tremiscis.
Sed si quis vestrum vestigia nostra sequetur,
Abneget hic sese, corpusque animamque recusans,
Atque crucem propriam comitatibus addere nostris
Gaudeat, amissam redimet cui gloria vitam.
Nam servata perit terris possessio lucis.
Sed quid proficient sæcli mortalia lucra,
Si damnum pariant vitæ lucisque perennis?
Vel quæ digna queunt animæ commercia poni?
Filius huc hominis veniet sub nomine Patris,
Cœlestesque illum fremitu comitante ministri
Stipabunt, reddetque hominum sua debita vitæ.
Vera loquor: certos istic sub limine lucis
Inveniam, cœli fulgens cum regna capessam.
Hæc ubi dicta dedit[1], passus bis terna dierum
Lumina convexo terras transcurrere cœlo,
Tum secum jubet abruptum conscendere montem,

[1] Matth. XVII. Marc. IX. Luc. IX.

Petrum, Zebedeique duos per devia natos.
Inde ubi perventum est secreti montis in arcem,
Continuo Christus faciem fulgore corusco
Mutatur, vestisque nivis candore nitescit.
Respiciunt comites, mediumque assistere sanctis
Eliæ Mosique vident. Tum talia Petrus :
Respice num nobis potius discedere longe,
Anne istic tantæ spectacula cernere molis
Conveniat? trina attamen hic tentoria vobis,
Si jubeas, frondis faciam diversa paratu,
Singula sub noctem quæ vos aulæa receptent.
  Talia dum loquitur, cœlo perfulgida nubes
Circumjecta oculis, vestibat lumine montem;
Et vox e medio lucis manifesta cucurrit :
Unicus hic meus est Natus, mea summa voluptas,
Hujus justitiam justo comprendite corde.
Discipuli pavido presserunt corpore terram,
Nec prius e prono vultus sustollere casu
Audebant, sancto Christi quam dextera tactu
Demulcens blandis firmasset pectora verbis :
Surgite, et abjectum fortes calcate timorem.
Gloriæ et hujusce expertes vos reddite cunctos;
Nec cuiquam præsens pandatur visio vobis,
Ni prius huc hominis Soboles speciosa reportet
In lucem referens mortis de sede trophæa.
Consurgunt, solumque vident, et voce requirunt,
Cur scriptis veterum Scribarum factio certet,
Eliam primum cœli de sede reverti
In terras, Christique dehinc consurgere lucem.
Christus ad hæc : Veniet certo sub tempore justus
Elias, reddens mox omnia debita sæclo.
Sed si quis credit, jam venerat ante renascens,
Ignotum veluti rabies quem cæca furoris

Demersit letho : mox sævior altera cædes
En hominis Nato trucibus laniatibus instat.
Hæc ait, et populum repetit, montemque relinquit.
Ecce sed inflexis genibus, fletuque solutus
Vir senior, precibus Christum veneratus adorat :
Davidis soboles, hominum lumenque salusque,
Te precor, horribilem nati de corpore morbum
Proturbes, reddasque seni solatia vitæ.
Nam cursus lunæ natum mihi dæmonis arte
Torquet, et in liquidas dejectum projicit undas,
Aut miserum medio projectum volvit in igne.
Nam tua discipuli sectantes jussa, frequenter
Connisi, nulla in solidum mihi dona dederunt.
Tunc Christus magno commotus corda dolore :
O gens nullius fidei, gens effera semper,
En etiam patiar vobiscum me fore terris ?
Sic ait, et puerum mandat perferre parenti
Ante suos vultus : tum vocis pondere multo
Incubuit, mentisque simul convulsa venena
Dæmonis horrendi, purgato corde, fugavit.
Discipuli rogitant, cur non successerit illis
Ejusdem pueri toties tentata medela ?
Respondit Dominus : Titubat quia pectore vestro
Instabilis fidei nutans per lubrica gressus.
Nam si tanta foret credendi portio vobis,
Instar quæ minimi posset præstare sinapis,
Istius hinc montis poteritis vellere verbo
Inque alias sedes cunctam transvolvere molem.
Nam genus hoc morbi duntaxat Iova precesque,
Multaque robusti jejunia pectoris arcent.
Inde[1] Capharnitum gradiens pervenerat oras.
Convenere Petrum, quibus instat cura tributi,

[1] Matth. XVII.

Solvere poscentes solidum pro nomine Christi.
Ille sed ad Petrum conversus talia fatur:
Dic, inquit, reges, quorum dependere natos,
Externos, propriosne sibi jussere tributa?
Respondit Petrus: Alienos solvere certum est.
Cernis, ait Christus, natum non solvere regis?
Sed ne quem lædam, præceptum suscipe nostrum:
Et maris undisoni rupes quæ prodit in altum,
Scandatur tibi summa, Simon, hamusque profundo,
Stamine setarum connexus, præcipitetur:
Hæserit et curvo qui primus acumine piscis,
Hujus pandantur scissi penetralia ventris,
Illic inventum duplex dissolve tributum.
Discipuli[1] post inde rogant, quis maximus alto
In cœli regno meritis pro qualibus esset?
Tum Christus medio puerum consistere cœtu
Præcipit, et placido doctor sermone profatur:
Istius en similem pueri se reddere certet,
Quisque cupit celsam cœli conscendere sedem.
Erroris laqueos sæclis increscere certum est:
Sed tamen infelix per quem generabitur error!
Qui vero e parvis istis deceperit unum,
Si sapiat, nectat saxo sua colla molari,
Præcipitemque maris sese jaculetur in undas.
Ne quisquam fastu parvos contempserit istos.
Horum custodes cœlesti in sede tuentur
Altithroni vultum Genitoris, sidera supra.
Sed si quis pastor, cui pascua credita tondent
Centum balantes, unam cum forte seorsum
Nescius error habet: quæsitor deserit omnes,
Unius et totis lustrat vestigia silvis.
Illam si magno possit reperire labore,

[1] Matth. XVIII. Marc. IX. Luc. IX, et VII, et XV.

Lætitia inventæ major tum nascitur agnæ,
Quam pro cunctarum numero quod nulla resedit.
Ex istis parvis Genitor sic perdere quemquam
Non patitur, gaudetque suis increscere regnis.
Si fratrem proprio delicto commaculatum
Cernis, secreto mox dictis corripe solus.
Si tua verborum patiens moderamina laudat,
Labentis mentem frater lucrabere fratris.
Sin tua solius contemnet verba reluctans,
Tunc alius pariter monitor pia jussa frequentet.
Sed si discutiet doctorum fræna duorum,
Tunc ad concilium referantur crimina plenum,
Ut populi saltem sanetur pondere victus.
Sin et multorum contempserit efferus ora,
Sit tibi divisæ mulctatus nomine gentis.
Namque in concilium semper præsentia nostra
Adveniet, mediumque duum me stare necesse est,
Sive trium fuerit cœtus sub nomine nostro.
Tum Petrus quærit, quot fratri errata remittat :
An septem lapsus homini indulgere liceret ?
Christus prosequitur : Non septem crimina tantum,
Sed decuplata super donentur vulnera fratri.
Nam cœli regnum domino prædivitis aulæ
Consimile est, nummi rationem qui sibi poni
Jusserat, et servum debentem multa talenta
Præcipit abreptum cum conjuge, progenieque,
Atque opibus cunctis venali nomine sisti.
Tum servus dominum prostrato corpore adorat,
Et spondet, spatii sibi si foret ulla facultas,
Omnem nummorum domino dissolvere summam.
Commovit dominum famuli miseratio flentis,
Cunctaque trans meritum concessit debita servo.
Ille sed egrediens, conservum limine in ipso

Nactus constringit : tum debita fortius urget
Persolvi, precibusque locum truculentus ademit,
Carceris et mersum tenebris pœnisque premebat.
Quæ postquam dominus famulorum noscere verbis
Incipit, adducto ingessit justissima servo
Dicta dolens, iramque movet, jussisque severis
In tormenta ferum detrusit, cuncta revolvens
Debita, dum dignas lueret per vincula pœnas.
Sic vobis faciet Genitor, qui culmina cœli
Possidet, immites sævo si pectore fratrum
Peccata orantum dure punire voletis.
Talia dicta dedit[1], Galilææque arva reliquit,
Judæamque petit, qua pinguia rura silenter
Agmine Jordanis viridis prorumpit amœno.
Nec minus in stratis ægris donare salutem,
Sublimisque Patris concedere munera perstat.
Ecce Pharisæi tentantes quærere pergunt,
Conjugis an liceat rejectum scindere vinclum,
Quidquid erit læsi tanget quod corda mariti.
Hæc ubi percepit, depromit talia Christus :
Principio Deus in terris par, dispare sexu,
Constituit, jussitque uno de corpore necti,
Amborumque animos junctis inolescere membris.
Quod Deus ergo jubet proprio concrescere verbo,
Illicitum est homini fœdo secernere luxu.
Moses præcepit (quod pectora dura videret)
Scribere dissidium, quo saxea corda revinci
Per proprios apices possint sub judice flamma.
Nam temere exolvet casti qui jura cubilis,
Alteraque illius thalamis sociabitur uxor :
Crimen adulterii populo sub teste subibit.
Discipuli referunt : Urget lex ista virorum,

[1] Matth. xix. Marc. x.


Servitiique premit non æquo pondere partem,
Ut melius fuerit thalamis caruisse perosis.
Respondit Dominus : Non omnes pondere tanto
Subjicient humeros, lectæ sunt talia dona
Virtutis : trino truncantur corpora more,
Quæ nulla gaudent genitali lege thororum ;
Namque alios tales progigni in luminis oras
Comperimus, plerosque hominum vis ferrea sexu
Exuit, ast alios ipsos sibi demere constat
Pro cœli regnis pronum de pectore amorem.
Quisque capax fuerit, celsa virtute capessat,
Quod paucis lectisque Deus vult pandere, munus.
  Hæc ait, et pueros quos gaudens cura parentum
Cum precibus læti certatim hinc inde ferebant
Suscipit, et plebem sectantem quod prohiberet
Increpat, ac tales affirmat regna mereri
Aulæ cœlestis ; sanctas hinc ordine palmas
Imponit, redditque ulnis portare parentum.
  Ecce[1] sed e populo juvenis, cui rura domusque,
Et gazæ stabat rerum possessio fulgens,
Accedit, Christumque palam submissus adorat :
O bone Præceptor, dic nunc quæ facta sequamur
Ut mihi perpetuam liceat comprendere vitam.
Huic auctor vitæ tum talia reddit Iesus :
Nunc demum quæris, veteri quæ lege tenentur.
Non hominis perimes vitam, non furta thororum
Invades, quæstumve alienis noxia rebus
Mens aut dextra leget : non tristis falsa loqueris.
Sit genitor genitrixque tuo sublimis honore,
Proximus et puro pro te tibi cedat amore.
Ille dehinc : Ista hæc semper perpete cura
Observata reor, sed ne quid forte relictum

[1] Matth. XIX.

Desit, præsenti liceat me vóce moneri.
Tum Christus fatur : Nunc si perfecta requiris
Prendere præcelsis meritis vestigia vitæ,
Omnia quæ proprio retines solus dominatu,
Distrahe, et in miseros confer securus egentes.
Tunc thesaurus erit cœli tibi conditus arce,
Virtutisque tenax vestigia nostra sequeris.
Hæc adolescentis veniunt ubi dicta per aures,
Dejecit vultum, tristisque in tecta refugit.
Tunc sic discipulis vitæ Spes unica fatur :
Difficile est terris affixos divite gaza
Avelli, cœlique leves in regna venire.
Nam citius tenuis per acus transire foramen
Deformis poterunt immania membra cameli,
Quam queat ut dives cœlestia regna videre.
Talibus attoniti comites stupidique silebant,
Volventes quæ tanta foret sub pectore virtus
Humano, talem posset quæ prendere vitam.
Respicit æternæ justorum Gloria vitæ,
Atque ait : Hæc homini forsan videantur acerba,
Sed Deus electis facilem præpandit in æthra,
Possibilemque viam, virtus quam celsa capessit.
Tum Petrus fidei munitus mœnibus, infit :
Omnia nostra olim projecta reliquimus omnes,
Et tua jussa sequi nobis spes unica restat.
Quid nostris animis superest? dic, Christe, precamur.
Talibus ad Petrum verbis respondet Iesus :
Vos quicumque meum mentis penetralibus altis
Credentes servatis iter, cum sederit alte
Progenies hominis, celso quem cinget honore
Majestas, bis sex illic pulcherrima virtus
Constituet vobis sublimi in vertice sedes,
Judiciumque hominum pariter tractare licebit.

Hic quicumque sui relinquet generisque domusque
Gazas, affectusque omnes pro nomine nostro,
Centuplicata dehinc capiet, vitamque perennem.
Primorum meritum postremi transgredientur,
Ultima præteriti capient vix præmia primi.
Sedulus[1] ut ruris dominus, cui dulcia fundum
Pinguibus in campis late vineta coronant.
Hic ubi progressus primo cum lumine solis,
Conduxit juvenum fortissima robora, pactus
Unius in lucis certa mercede laborem,
Et sua tum jussit cultu vineta polire.
Ipse sed egrediens ubi tertia venerat hora,
Invenit ecce alios, ad opus quos ire jubebat,
Pro meritis operum promittens præmia digna.
Illi non aliter læti præcepta sequuntur.
Ast ubi sexta dehinc lucis transfluxerat hora,
Haud secus hinc alios juvenes conducere pergit.
Horaque nona dehinc ubi solis cursibus acta est,
Tunc alios pariter conductos jussit adire.
Ultima labentis restabat portio lucis,
Egressus cernit juvenes, causasque requirit
Cur pigris manibus torperent otia lenta:
Conductor (reddunt ipsi) quod nulla dedisset
Jussa sibi. Dominus mox hos insistere ruri
Tunc etiam jussit; sed vespere protinus orto,
Præcipit ut cuncti caperent mercedis honorem,
Æqualique omnes portarent præmia nummo.
Tunc manus illa virum prima quæ luce laborem
Sustulerat, factisque diem toleraverat æquum,
Indignans, secum tali cum murmure fatur:
Injustum est istos similem, ut nos, quærere nummum,
Ultima quos operi sero conduxerat hora.

[1] Matth. xx.



Tum dominus ruris sedato pectore fatur :
Illibata tibi mercedis portio salvæ
Redditur, et pacti servantur jura fidelis.
Istis de nostro liceat concedere tantum,
Extima quos operis glomeravit portio ruri.
Nam multos homines dignatio sancta vocavit,
E queis perminimam dignum est secernere partem.
Hæc ait, et Solymos repetit, comitesque seorsum
Alloquitur, Solymisque iterum regionibus infit :
Ingredimur gnari, truculentaque mœnia adimus :
Filius hic hominis tradetur ad ultima mortis,
Scribarum procerumque ferens ludibria membris,
Affixusque cruci, post tertia lumina surget.
Hic tum Zebedei conjux submissa rogabat,
Ut Christo medio, cœli sublimis in arce,
Felices nati dextera lævaque sederent.
Tum quærit Christus, calicem si sumere possent
Quem sibi præceptis instaret sumere Patris.
Respondent, se posse simul ; tum talia Christus :
Vos nostrum calicem fas est potare : sed altis
Sedibus æquali mecum considere honore,
Non hoc nostra dabit cuiquam pro munere virtus ;
Hæc certis Genitor sublimia dona reservat.
Exin discipulos dictis pro talibus omnes
Commotos, tali sermonis mulcet honore :
Gentibus infidis celsa ditione potestas
Imponit quoscumque velit, dominatur eorum,
Exercentque trucem subjectis urbibus iram.
Vos inter longe tranquillior æquora vitæ
Concordi sternit mitis moderatio pace.
Magnus et obsequiis crescit super alta minister ;
Nec primus quisquam, nisi cunctis serviat, unus
Esse potest, hominis Natus sic cuncta ministrat,

Obsequio solus proprio pia munera gestans,
Pro multisque animum pretioso sanguine ponit.
At vos ex minimis opibus transcendere vultis,
Et sic e summis lapsi comprenditis imos.
Si vos quisque vocat cœnæ convivia ponens,
Cornibus in summis devitet ponere membra,
Quisque sapit : veniet forsan si nobilis alter,
Turpiter eximio cogetur cedere cornu,
Quem tumor inflati cordis per summa locarat.
Sin contentus erit mediocria prendere cœnæ,
Inferiorque dehinc si vox conviva subibit,
Ad potiora pudens transibit strata thororum.
Proxima tum Solymis[1] conscendit culmina montis,
Ordinibus lucent quæ glaucicomantis olivæ.
Hinc lectis jussit sectantum discipulorum,
Obvia castelli monstrans habitacula Christus,
Inde asinam pariter fœtu comitante repertam
Ducere; vel si quis causam disquirere vellet,
Cur sua tam subito quoquam jumenta trahantur,
Reddere huic : Nostro nunc iis opus esse magistro.
Discipuli celeri complent præcepta paratu.
Adducunt, mollisque super velamina vestis
Insternunt placidum pullum, præbentque sedendum :
Hinc veteris quondam fluxit vox nuntia vatis :
Ecce venit placidus tibi Rex, quem terga sedentem
Præmitis gestant asinæ, pullique sequentis.
Tum populi stratas prætexunt vestibus omnes,
Quaque iter est Christo, subnexa fronde coronant.
Proxima tunc alii spoliant palmeta virore,
Conclamantque omnes Davidis origine creto :
Oschanna excelsis sit gloria læta trophæis.
Sic adeo ingreditur Solymorum mœnia Christus.

[1] Matth. xxi. Marc. xi. Luc. xiv. Joan. xii.

Ingresso occurrit primo sub limine templi
Cruribus atque oculis certatim debile vulgus.
Quos ubi tam subito gressu visuque vigentes
Cuncta sacerdotum cognovit factio, mirans,
Et pueros templi complentes tecta canore,
Oschanna egregia Davidis stirpe creato,
Tum percontantur cuncti quæ causa canoris
Impubem tantam tollat per gaudia plebem.
Christus ad hæc inquit : Legis vos scripta tenere
Creditur, infantum quæ dicit ab ore venire,
Lactentum et linguis justi consurgere laudem ?
Hæc ait, ingratam linquens cum civibus urbem,
Bethaniamque petit : rediensque in margine cernit
Stratæ, tendentem diffusa umbracula ficum.
Illic forte cibi pertentans corda voluntas,
Arboris attrectat ramos, sed nulla facultas
Pomorum sterili frondis concreverat umbra.
Olli Christus ait : Non sit tibi fructibus unquam
Copia promendis : tunc protinus aruit arbos.
Discipuli celerem mirantur in arbore mortem.
Sed Christus stupidis assistens talia fatur :
Nunc ligni istius nostro stupuistis honore
Desisse ad vires, terrenos ducere succos ;
Sed veris verbis iterumque iterumque monebo :
Namque fides si certa animi consistet in arce,
Nec dubiis nutans vitiis tremebunda jacebit,
Arboris istius vobis substantia cedet ;
Nec tantum istius, sed montis celsa revelli
Credentum verbo poterunt, undisque profundi
Cum silvis pariter, saxisque ferisque recondi.
Et quæcumque fides robusto pectore poscet
Credentum, semper digna virtute tenebit.
Hæc ubi dicta dedit, templi se mœnibus infert.
Confestim proceres populi, miracula rerum

Collecti inquirunt virtus quæ tanta dedisset.
Ollis Christus ait : Quærentibus omnia vobis
Dicere jam facile est, si nobis vestra vicissim
Percontata prius paucis sententia solvat.
Nuper Joannes puro qui gurgite lavit
Sordentes populi maculas, divina potestas,
Anne hominis potius vobis fallacia visa est ?
Hæc ait, ancipiti verborum pondere claudens
Captantum procerum mentem ; nam magna prophetam
Plebis Joannem veneratio suscipiebat,
Nec poterant ejus fallacem dicere vitam :
Rursus sublimem dixissent si esse prophetam,
Occidisse illum traheret confessio culpam.
Se nescire tamen respondit factio fallax.
Tum Christus : Non est injustum claudere vocem,
Cum mihi claudantur procerum responsa superba.
Nam geminæ prolis genitor, majoris in aures
Talia dicta dedit : Vitis mihi portio major
Semiputata jacet ; sed perge, et robore forti,
Nunc scrobibus, nunc falce premens, vineta retunde.
Tum juvenis, sese tam sordida vincla laboris
Nolle pati memorat : post, omnia jussa parentis
Exequitur, duræ damnans responsa loquelæ.
Post alium natum simili sermone jubebat
Ad vineta sui deprendere jussa laboris :
Annuit his juvenis, nec dictis facta repensat.
Dicite, uter potius genitoris jussa sequatur ?
Illi collaudant nati responsa prioris.
Prosequitur Christus : Nunc vera advertite dicta.
Jam magis hinc cœli sedem comprendere certum est,
Corporis e vitiis quærentes sordida lucra,
Quam vestrum quemquam, vobis nam venerat ante
Justus Joannes, sed non est credere vestrum.
Namque fidem potius meretricum pectora certam

Hauserunt, sordesque animi posuere pudendas :
At vos tantorum scelerum nil pœnitet unquam.
Sic quidam dives, cui jugera multa nitentis
Vineti sepes circumdensata coërcet,
In medio turrem prælumque et dolia fecit,
Cultoresque dedit, fructusque locavit habendos,
Impositam statuens mercedis solvere legem.
Tum longinqua petit, sed fructus tempore certo
Actores famulos mittit, queis portio salva
Cultorum certa ruris mercede daretur :
Ecce colonorum rabies hos verbere sævo,
Ast alios lapidum proterrent undique telis,
Denique lethali prosternunt vulnere multos.
Tum dominus ruris plures incedere servos
Præcipit, et rursum mercedis pacta reposcit :
Major at in plures audax injuria surgit.
Ultima jam domino natum dimittere mens est,
Quod sobolem partemque sui vis digna pudoris
Cultorum cordi venerandam posceret esse :
Sed contra illorum jam mens maculata cruore,
Progenie extincta domini sibi post dominatum
Cedere credentes, crudeli vulnere fixum
Obtruncant, jaciuntque foras trans septa cadaver.
Post hæc jam dominus veniet, pœnasque reposcet
Tantorum scelerum : sed vobis tradita quondam
Fulgentis regni sedes, translata feretur
Ad gentem, dignos possit quæ reddere fructus.
Ut rex[1] qui nato thalamorum vincula nectens,
Præcepit, proceres convivia læta, frequentem
Accitos famulos voti regalis honorem
Concelebrare simul; cuncti sed adire recusant
Regales thalamos, regalis pocula mensæ.
Post alios mittit, sese largissima cuncta,

[1] Matth. XII. Luc. XIV. Apocal. XIX.

Magnificasque dapes, convivia læta parasse :
Illi neglectis dapibus diversa petebant;
Hic ædes proprias, hic ruris tecta propinqui;
Ast alius potius merces ac lucra revisit.
Multi præterea missos, qui ad læta vocarent,
Insontes famulos rapiunt, et corpora ferro
In mortem cruciant. Tum rex, ubi comperit acta,
Millibus armatis cives cum mœnibus ipsis
Subruit, effusi famulorum sanguinis ultor.
Tunc servis fatur : Nunc festa jugalia cœnæ
Prælargis dapibus quæcumque instruximus illis,
Contempsere meis proceres contingere mensis.
Ite igitur propere per publica septa viarum,
Et quoscumque illic casus glomeraverit, omnes
Huc lætis nati thalamis adhibete vocantes.
Progressi famuli per compita cuncta viarum,
Inventos duxere simul : jam denique cunctæ
Complentur mensæ, mixtæ sine nomine plebis.
Hic justi injustique simul cubuere vocati.
At rex ingressus convivia læta revisit;
Hic videt indutum pollutæ vestis amictu,
Lætitiæ thalami fuerat quæ dissona longe.
Isque ubi regalis sermonis pondere causas
Reddere pro vestis maculis et labe jubetur,
Oppresso tacuit non puri pectoris ore.
Et tum conversus famulis rex præcipit, illum
Connexis manibus pedibusque et corpore toto,
In tenebras raptum mox præcipitare profundas.
Illic stridor erit vasti sine fine doloris,
Et semper fletus ; multis nam sæpe vocatis,
Paucorum felix hominum selectio fiet.

LIBER QUARTUS.

Talia [1] dicentem confestim factio frendens
Tentare aggreditur verbis cum fraude malignis :
Certum est, veridicum te nunc venisse magistrum ;
Nec quemquam metuens, Domini vestigia servas.
Dic ergo, an liceat nostræ dissolvere genti
Cæsaris urgentis semper sub lege tributum ?
Ille sed inspiciens sævi penetralia cordis :
Cur tentatis, ait, nunc me concludere verbis ?
Fallacis mentis prodit fallacia fructum.
Aspicite en nummum, sculptique numismatis æra,
Cæsaris expressum proprium est ibi cernere vultum.
Solvite nunc illi proprium sub lege tributum,
Atque Deo proprium legis servetis honorem.
Post Sadducæi tali cinxere latratu :
Mosea qui legum posuit præcepta, jubere :
Si quis conjugium properata morte relinquet
Pignoribus mediis nondum de germine cretis,
Hujus germano rursus sociabile vinclum
Deberi, generis pereat ne portio lapsi.
Finibus in nostris septem germana fuerunt
Corpora, sed major natu cum vincula nuptæ
Sumpsit, præceleri cecidit sub acumine mortis.
Post alius frater thalami sine fructibus æque
Concidit, et cuncti jacuere ex ordine fratres,

[1] Matth. xxiv. Marc. xii. Luc. xv.

Unius et cunctos fletus gemuere maritæ,
Post ipsam rapuit gelidæ inclementia mortis.
Si venient igitur cuncti sub lumina vitæ,
Cujus connubiis mulier reddenda resurget?
Ollis Christus ait : Errori obnoxia pravo,
Legibus et jussis Domini mens dura resistit :
Namque sequenda dehinc lætæ reparatio vitæ
Non thalamos novit, non terræ gaudia vana :
Sed similes levibus Genitoris justa ministris,
Constituet regni virtus sublimis in aula.
Nec Deus illorum dominum se ponere mavult
Qui terram proni meruerunt sumere mortem,
Sed potius vitæ possunt qui prendere lucem.
Ecce alii rogitant, quæ sit firmissima legis
Regula, quod summum comprendat cætera verbum.
Ille indefessus, nulli responsa negabat :
Sublimem cœli Dominum devotio cordis
Diligat : est isthæc virtus firmissima legis.
Consimile est isti : magno teneantur amore
Ad jus fraternum justæ penetralia mentis.
His etenim geminis dependent omnia jussis.
Sed vobis, cujus soboles ventura videtur
Christus, quem cuncti spondent in sæcla Prophetæ?
Respondent, illum Davidis germine nasci.
Prosequitur Christus : Cur illum dicere David,
Divino flatu scriptum est, Dominumque Deumque?
Quod proprio patrem non æquum est dicere nato.
Talia Salvator : cuncti obstupuere silentes.
Ille sed accita credentum plebe, profatur :
Aspicite Scribas sublimi sede superbos.
Hi quæcumque docent, justum est comprendere cordis
Obsequio, maculas ipsorum temnite vitæ.
Abrupta imponunt humeris nam pondera vestris,

Ipsi quæ digito saltem contingere nolunt.
Accubitu primo cœnæ, fastuque superbo,
Atque salutantum vano tolluntur honore,
Et nomen sublime volunt gestare magistri.
Sed vos noluerim præcelsi nominis arcem
Affectare, tamen vobis est una Magistri
Imposita æternum cœli de lege potestas.
Vos eadem fratrum parili conjunxit amore.
Unus item Pater est, cœli qui in culmine regnat :
In vobis si quis sublimia colla levabit,
Decidet, et barathri mergetur ad ultima cœno.
Ast humilis claram conscendet liber in æthram.
Deflendi semper Scribæ et lacrymabilis ævi
Cæca Pharisææ cunctis fallacia plebis!
Nam vobis itiner clausum quia jure negatur,
Non sinitis quemquam penetrare per ardua lucis,
Et cunctos trahitis sævæ ad consortia flammæ.
Vos similes dicam tectis splendore sepulcris,
Quis facies nitida est, internaque turpia bustis.
Sic vox velatur justæ sub imagine vitæ,
Atque adytis mentis celantur sordida corda.
O Solymi, Solymi, ferro qui sæpe prophetas
Ad vestram missos vitam sine fine necastis,
Quam volui vestram gentem populumque tueri,
Ales uti molli solita est sub corpore pullos,
Obice pennarum circum complexa fovere!
Sed vobis semper cœlestia munera sordent :
Deseritur jam nunc domus hæc vastata ruinis,
Nec vobis nostrum fas ultra est cernere vultum.
Egreditur templo, cujus præcelsa notantes
Mœnia discipulos, tali sermone docebat :
Hæc operum vobis miracula digna videntur
Obtutu stupido, veris sed discite dictis,

Quod mox cuncta solo passim disjecta jacebunt.
Hæc ad Oliveti dicens pervenerat arcem.
Discipuli solum postquam videre, rogabant
Ut sibi venturi tempus distingueret ævi,
Promissa ipsius quem poscunt prendere finem,
Cujus et adventus terræ consumeret orbem.
Quærentum verbis respondet talia Christus :
Observate dolum, falso ne nomine capta
Credulitas laqueis errantum præcipitetur.
Discurrent cunctis bellorum incendia terris,
Sed vos prævalido consistere robore cordis,
Ne mens accepto jaceat turbata tumultu.
Non etenim prima imponent mox prælia finem.
Gentibus et gentes et regibus obvia reges
Signa ferent, nec tunc morbi corrumpere tractum
Aëris, aut pestes prosternere corpora parcent,
Fissa etiam solido per inania pondere tellus,
Per diversa loci, motu quassante, tremiscet.
Hæc in primitiis tentamina parva manebunt.
Prodentur multi vestrum, lethoque dabuntur,
Proque meo vobis incumbere nomine gentes,
Tormentis, pœnisque feris, odiisque necesse est.
Livor erit terris, erroribus omnia plena,
Et falsi surgent populorum labe prophetæ.
Hæc inter si quis protectum a vulnere pectus
Ad finem servare queat, sublimia lucis,
Æternis vitæ sertis redimitus, adibit.
Regnorum cœli celebratio pervolitabit
In cunctas terræ metas : gens omnis habebit
Testem lucifluo sanctæ sermone salutis.
Et tunc finis erit, currentia sæcula solvens.
Adveniet jam tunc tristis defectio terris,
Quæ Danielis habet jussam verissima vocem.

Hæc dignus tantum poterit cognoscere lector.
Judæi longe fugient, montesque capessent,
Nec quisquam domibus repetet sustollere secum,
Quæ fuga consociet, vestemve, aut mobile quidquam.
Deflendæ tum sunt uteri cum pondere matres,
Et miseros fœtus dulci quæ lacte rigabunt.
Poscite jam precibus, tristis ne frigore brumæ
Adveniat fuga vestra, aut ne tum sabbata festa
Anceps præcipiti turbet trepidatio cursu.
Nam cunctis venient sævissima pondera terris.
Tale malum non sæcla prius, nec postera norunt.
Et ni sublimis Genitor decerpere tempus,
Et numerum miserans vellet breviare dierum :
Nulla dehinc trepidæ superarent corpora vitæ.
Sed propter lectos veniet miseratio justos.
Nomine fallentes Christi, falsique prophetæ
Exurgent terris, et monstra potentia fingent,
Quæ forsan lectos capient miracula justos.
En prædicta parent instantia sæcula vobis.
Desertum si quis Christum peragrare loquetur,
Occultisque procul penetralibus esse repostum,
Longe credulitas absit vanissima vobis.
Sicut enim fulgor cœlum transcurrit apertum,
Et cerni facile est cunctis, orientis ab oris
Usque sub occiduum cœli vergentis in orbem :
Sic rapido adventu clarebunt lumina Christi.
Sol rutilus furvis radios abscondet in umbris,
Amittet cursum lunaris gratia lucis,
Ignicomæque ruent stellæ, cœlumque relinquent.
Omnis item virtus cœli commota superni,
Signa dabit, Proles hominis quis vertice cœli
Clareat, omnigenasque tribus defectio lucis
Urgebit, veniet cum nubibus ignicoloris,

Majestate potens hominis per sidera natus.
Tum tuba terrifico stridens clangore, vocatos
Justos quadrifido mundi glomerabit ab axe.
Præteriet nec enim præsens generatio sæcli,
Donec cuncta sequens claudat sibi debita finis.
Hæc tellus cœlumque super solventur in ignes,
Sed mea non unquam solventur ab ordine dicta.
Quis sit at ille dies, nescire est omnibus æquum
Ni soli rerum Domino, qui sidera torquet.
Ut quondam terras undæ involvere furentes,
Et diversa sibi tractantes munia cunctos
Diluvii rapuit subito violentia tractu :
Sic subitas flammas volvens, descendet ab æthra
Adventus noster, nec cunctos ille sub una
Conditione premet : nam tunc, ubi jugera lata
Infindunt duo depressis sub vomere sulcis,
Unus correpto tolletur corpore arator,
Ignarusque alius vasto linquetur in agro.
Uno quinetiam recubantes stramine lecti,
Dispar judicium diversa sorte subibunt.
Unus enim socium quæret, per strata relictus.
Idcirco famuli vigilent, quia nescius illis
Adventus Domini, subitas descendet in horas.
Præmonitum furis tempus si insistere sciret
Quisque domus custos, vigilaret, et obvia ferret
Arma procul, ruptas ne quis penetraret in ædes,
Sed vos intentis animis assistite semper.
Namque repentinus vobis subitusque recurret
Filius huc hominis, justis sua præmia servans.
Ille fidelis erit servus, cui credere cunctas
Ædes, et famulos voluit per longa profectus,
Vir pater ipse domus : sapiens, nimiumque beatus,
Quem veniens Dominus servantem jussa videbit,

Illum majori famulum cumulabit honore.
Ast ille infelix, qui obscœne luxuriatus,
Tardantem contemnit herum, famulosque fatigat
Verberibus, segnisque indulgens ebrietati,
Luxuriosorum convivia concelebrabat :
Adveniet Dominus, servumque incauta furentem,
Præcipitem dignis pœnarum cladibus abdet.
Illum perpetuus fletus stridorque manebit.
Conferri possunt[1] cœlestia regna puellis
Bis quinis, quarum pars est sapientior una,
Altera præstupido pars est stolidissima corde.
Occurrere illi votis sponsalibus omnes,
Ornatu accinctæ tædarum flammicomantum.
Sed sapiens pars illa, sibi quo lumina flammæ
Susciperet, portare simul curabat olivum.
Stultarum vero non est prudentia talis.
Cumque moraretur sponsus, tum membra sopore
Solvuntur cunctis per compita lata viarum.
Jam noctis medio clamor crebrescere magnus
Incœpit, lætoque dehinc occurrere voto
Admonuit, tædisque vias ornare coruscis.
Surgere tunc properant, et claro lumine tædas
Instruere, et flammas pingui componere olivo.
Tunc stolidæ rogitant olei sibi cedere partem,
Prudentes secum quod tunc gestare videbant.
Sed quoniam sapiens pavitat chorus omnibus æque
Ne desint claræ nutrimina pinguia flammæ,
Et parvo æqualis si detur portio cunctis;
Tunc pergunt stultæ, liquidum ut mercentur olivum.
Dum pergunt, lætæ transcurrunt omnia pompæ,
Et sponso tantum comitatur factio prudens.
Adveniunt fatuæ sero post tempore segnes,

[1] Matth. xxv.

Et sponsi pulsare fores, et lumina clausa
Nequidquam ingeminant, precibusque ingrata frequentant
Ut liceat miseris penetrare in limina læta.
Illas non comitum sponsi cognoscere quisquam,
Non sponsus voluit. Quare vigilate timentes,
Adventus vobis quod non est certior hora.
Sicut enim longas cui contigit ire profecto
In terras, credens servis tractanda talenta,
Uni quinque dedit, duo cœpit et alter habenda,
Tertius unius curam tractare talenti
Suscepit; vires quoniam diversa merentur.
Sed major quibus est concredita portio nummi,
Certatim duplis auxerunt munera donis :
Ille sed unius cui credita cura talenti est,
Telluri infodiens condit sine fructibus æra.
Jamque aderat præsens dominus. Tum primus et alter
Se geminasse illi pariter concredita monstrant.
Illos laudat herus, potiora credere tantæ
Promittit fidei. Sed tertius ille refodit,
Reddidit et domino tali cum voce talentum :
Quod scirem domino memet servire severo,
Qui meteret segetes alieno semine cretas,
Extimui, argentumque tuum concredere terræ
Malui uti semper salvum tibi reddere possem.
Tum dominus famulo respondens talibus infit :
Si nescire meos auderes dicere mores,
Nequitiæ tantæ veniam concedere possem.
Hoc igitur gnarum potius præstare decebat,
Ut fructum nobis tractata pecunia ferret.
Quapropter segni tollatur portio nostra,
Prudentique dehinc detur possessio major,
Quem duplis cumulasse lucris mea quinque talenta
Inveni; namque est certum potiora mereri

Cui res uberior cumulatæ sortis abundat.
At cui parva subest segni substantia corde,
Id minimum penitus juste tolletur ab illo.
At nequam servus, tenebras demersus ad imas,
Perpetuos fletus pœnæ stridore frequentet.
En hominis Natus veniet, Patrisque ministris
Stipatus celsa judex in sede sedebit.
Tunc gentes cunctæ diversis partibus orbis
Convenient, justosque omni de labe malorum
Secernet, dextraque libens in parte locabit;
At pravos læva despectos parte relinquet :
Ut pastor pecoris discernit pascua mixti,
Lanigeris dextræ permittens mollia parti,
At lævos hirtis dumos tondere capellis.
Sed Rex ad dextros conversus, talia dicet :
Huc veniant sancti, jamdudum debita sumant
Dona Patris, mundo quæ sunt æquæva nitenti,
Et justis primo promissa parantur ab ortu.
Namque fame fessum quondam me grata refecit
Hæc plebes, potuque sitim mihi sæpe removit,
Hospitiumque domus patuit mihi sæpe vocato,
Et nudus vestis blandissima tegmina sumpsi,
Carceris et pœnis horum solatia cepi.
Tum Domino tali respondent voce beati :
Non meminit nostrum quisquam te visere nudum,
Nec famis oppressum dura ditione notavit,
Carceris aut pœnis meminit vidisse revinctum.
Respondens illis dicit tum talia Judex :
Fratribus ista meis, humiles miserando labores,
Qui fecit, certum est dulcem mihi ponere fructum.
At vos, injusti, justis succedite flammis,
Et pœnis semper mentem torrete malignam,
Quas Pater horrendis barathri per stagna profundi

Dæmonis horrendi sociis, ipsique paravit.
Namque sitim passo quondam mihi pocula nulla,
Nec famis in pœna parvi mihi fragmina panis,
Aut peregrina mihi tecti vestisve parumper
Tegmina, de magnis gracili pro parte dabantur;
Carceris aut septo claustris, morbisve jacenti,
Unquam visendi solatia vestra fuerunt.
His damnata dehinc respondet factio verbis :
Haud equidem nostrum meminit te visere quisquam,
Aut sitis aut sævæ famis ægrum agitare laborem,
Hospita vel fessis errare per oppida rebus,
Carceris aut mersum pœnis, morbove gravatum,
Ut tibi sollicito fieret miseratio justa.
His rerum dicet Dominus : Cum vestra superbo
Angustis rebus feritas sub corde tumebat,
Calcavitque humiles minimos, me sprevit in illis.
Hæc ubi dicta dabit, meritis sua præmia reddet :
Æterna (miserum!) pœna fodientur iniqui,
Æternumque salus justis concessa manebit.
Talia[1] dum loquitur, scissos lacerata capillos
Pro fratris morbo justis soror anxia curis,
Hortatu juvenem rapido præcurrere gressu,
Casibus ut tantis Christus servaret amicum.
Nam fuerat mulier meritis accepta benignis,
Obsequio cujus fratremque domumque merentem
Complexus, pleno Christus retinebat amore.
Nuntius adveniens narrat sub agone jacere
Dilectum Christo juvenem, per tristia morbi
Et lethi et vitæ confinia summa tenere.
Lazarus hic habuit nomen. Sed Christus amaris
Perculsus verbis : Non est, si creditis, inquit,
Ad lethum ducens isthæc violentia morbi :

[1] Joan. XI.

Sed Deus ut digno justis celebretur honore,
Et Soboles hominis sancta virtute nitescat.
Tunc ad discipulos : Dormit jam Lazarus, inquit :
Sed charum juvenem faciam consurgere rursus.
Reddunt discipuli : Somno succedere plena
Et remeare salus poterit? nec mente sequuntur,
Quod mortem somni dixit sub nomine Christus.
Errorem quorum tali sermone removit :
Lazarus in lethum cecidit, sed gaudia menti
Hinc veniunt, vestramque fidem mihi fortius armant.
Cernitis absentem longe quoque cuncta videre.
Sed properemus, ait. Didymus tum talia fatur :
Pergamus, pariterque omnes procumbere letho
Cogamur toties, quod gens Judæa minatur.
Hæc ait, et cuncti Christo præeunte sequuntur.
Jamque aderat Christus; fuerat sed forte sepulto
Quarta dies, mersasque atris de morte tenebris
Germanas luctus lacrymosaque tecta tenebant.
Convenere illuc, solatia debita dantes,
Judææ gentis proceres, charique propinqui.
Sed Martha, audito Christum venisse, cucurrit
Obvia, deseruitque domum mœstamque sororem.
Et procul : O utinam præsens nobis tua virtus
Afforet, haud morti frater cessisset acerbæ;
Nam quidquid poscis, certum est tibi posse venire.
Quam Dominus tali solatur voce gementem :
Robustam mentem, mulier, virtute resume.
Lazarus hæc vitæ rediviva in lumina surget.
Et mulier : Certe surgent in munera vitæ
Mortales cuncti, veniet cum terminus orbi.
Christus item sancto depromit pectore vocem :
En ego sum claræ vobis reparatio vitæ.
In me qui credit, mortem deponere sumptam,

Et vitam poterit jugi comprendere sæclo.
At quicumque fidem vivo sub pectore sumet,
Horrida non unquam continget limina mortis.
Isthæc num credis puro de pectore, Martha?
Illa dehinc : Hæc una fides mea corda tenebat,
Sublimis veneranda Dei quod venerit in te
Cœlestis Soboles celso sub nomine Christi.
Hæc ait, et Mariam cursu monitura sororem
Interiora petit, sanctum venisse Magistrum,
Et pariter luctu oppressam vocitare sororem,
Admonuit, tacito designans omnia nutu.
Prosilit illa foras audito nomine Christi,
Prosequiturque simul Solymorum turba gementem,
Credentum tumulo fletus inferre sorores.
Illa salutiferum postquam conspexit Iesum,
Procidit ante pedes, rupitque hanc pectore vocem :
Si mihi germanum potuisses visere vivum,
Lazarus haud poterat duræ succumbere morti.
   Fletibus hic Christus socians de corde dolorem,
Inquirit tumuli sedem, quo condita nuper
Membra forent, animæ volucris spoliata calore.
Haud mora, demonstrant flenti mœstoque sepulcrum
Rupe sub excisa. Lapidis quod pondere clausum
Ut vidit Sanctus, multo mox vecte moveri
Præcipit : at Marthæ talis vox verberat aures :
Quatuor en luces, totidemque ex ordine noctes
Prætereunt, quo membra solo composta quiescunt.
Crediderim corpus, motu fugiente caloris,
Fœtorem miserum liquefactis reddere membris.
His dictis contra depromit talia Christus :
Jam toties dictum est, magnis consistere rebus
Credentum virtute fidem ; sed gloria summi
Jam Genitoris adest, fidei si robur habetis.

Hæc ubi dicta dedit, saxumque immane revulsis
Obicibus patuit, Virtus mox conscia cœlum
Suspicit, et tali Genitorem voce precatur :
Eximias grates, Genitor tibi sancte, fatemur :
Me placidus semper venerandis auribus audis.
Sed populus præsens me missum credere discat.
Hæc ubi dicta dedit, tumuli mox lumine in ipso
Restitit, adverso complens cava saxa canore :
Lazare, sopitis redeuntem suscipe membris
En animam, tuque ipse foras te prome sepulcro.
Nec mora : connexis manibus, pedibusque repente
Procedit tumulo, vultum cui linea texta
Et totum gracilis connectit fascia corpus.
Tum solvi jussit, lætumque ad tecta remittit.
Judæi postquam factum venerabile cernunt,
Qui tantum Mariam fuerant Marthamque secuti,
Pars credens sequitur sanctæ Virtutis honorem ;
Ast alii repetunt urbem, procerumque superbis
Cuncta Pharisæis rerum miracula narrant.
Ergo[1] ad concilium Scribæ, plebisque vocatur
Jam gravior numerus, qua vatum principis alte
Pulchra Caiphææ collucent atria sedis.
Illic complacuit Christum prosternere letho,
Sed vitare dies Paschæ, ne plebe frequenti
Discordes populi raperent in bella furorem.
Ille Simonis erat tectis, quem lurida lepra
Virtute ipsius diffugerat : ecce cubanti
Accedit mulier propius, frangensque alabastrum
Quo pretiosa inerant late fragrantis olivi
Unguenta, ab summo perfudit vertice Christum.
Discipuli increpitant, fantes potuisse juvari
De pretio unguenti miserorum corpora egentum.

[1] Matth. xxvi. Marc. xiv. Luc. xxii. Joan. xi.

Has Dominus prohibet voces, factumque probavit :
Desinite obsequio justo prohibere puellam.
Pauperibus semper dabitur succurrere tempus,
Sed me non semper tribuetur visere vobis.
Funeris ista mei multum laudanda ministrat
Officio, mundumque implebunt talia facta.
Tunc e discipulis unus se subtrahit amens,
Judas, qui ad proceres tali cum voce cucurrit :
Quod pretium sperare datur, si prodere vobis
Quæsitumque diu possim monstrare Magistrum?
Argenti ter dena illi mox pollicebantur
Pondera : dehinc Judas sceleri se subdidit alto.
Jamque dies Paschæ primo processerat ortu;
Discipuli quærunt ubi cœnam sumere Paschæ
Vellet : at ille sibi quemdam sine nomine quæri,
Ultima qui Domini caperet mandata, jubebat.
Vespere mox primo bis sex recubantibus una
Discipulis, tali divinat voce Magister :
En urget tempus, Christum cum tradere morti
E vobis unus scelerato corde volutat.
Continuo cuncti quærunt, quis talibus ausis,
Insano tantum cepisset corde venenum?
Ille dehinc : Epulis mecum nunc vescitur, inquit.
Sed Soboles hominis quondam præscripta subibit
Supplicia ad tempus : miserabilis ille per ævum,
Qui Justum tradet; quanto felicior esset,
Si nunquam in terris tetigisset limina vitæ !
At Judas graviter tunc pectora conscia pressus :
Numquid, ait, Judam talis suspectio tangit?
Respondit Dominus : Te talia dicere cerno.
Hæc ubi dicta dedit, palmis sibi frangere panem
Divisumque dehinc tradit, sancteque precatus,
Discipulos docuit proprium se tradere corpus.

Hinc calicem sumit Dominus, vinoque repletum
Magnis sanctificat verbis, potumque ministrat;
Edocuitque suum se divisisse cruorem.
Atque ait : Hic sanguis populi delicta remittet,
Hunc potate meum : nam (veris credite dictis)
Posthac non unquam vitis gustabo liquorem,
Donec regna Patris melioris munere vitæ
In nova me rursus concedent surgere vina.
Exin cantato sanctis concentibus hymno,
Montis Oliveti conscendunt culmina cuncti.
Talia tum Christus depromit pectore verba :
Omnes præsentis noctis vos tempore longe
Disperget, misere deserto principe, terror.
Sic etenim scriptum est : Pastoris casibus omnes
In diversa fugam capient per rura bidentes.
Post ubi vita novos cœli mihi reddet honores
Præveniam, vestrosque choros genitalibus arvis
Grata Galilææ volitans per rura docebo.
Respondit Petrus : Cunctos si credere fas est,
Quod tua labentes possunt præcepta negare,
Sed mea non ullus mutabit pectora casus.
Ille dehinc : Nox hæc quæ lucida sidera terris
Inducet, lucemque premens nunc incubat undis,
Audiet ut trinis pavidus mendacia verbis
Dices, et Christum, fortissime Petre, negabis,
Et prius alitibus resonant quam tecta domorum.
At Petrus : Duram mortem mihi sumere malim,
Vox oblita suum quam deneget ista Magistrum.
Has vires cordis præstant promittere cuncti.
Nominis Hebræi sunt Gethsemaneida rura,
Illo progreditur vitæ lucisque Repertor.
Quem mox discipuli, Juda fugiente, sequuntur.
Atque illic reliquos jussit residere ministros.

Ille sed assumpto longe procedere Petro
Zebedeique simul natis, per devia tendit.
Tunc angore gravi mœstus sic voce profatur :
Tristia nunc volvens animus mihi pectora turbat
Morte tenus, sed nunc vos segnem excludite somnum,
Sollicitamque simul vigilando ducite noctem.
Hæc ait, et paulum procedens, corpore terram
Deprimit, et tali projectus voce precatur :
Si fas est, Genitor, calicis pertranseat hujus
Incumbens valido nobis violentia tractu.
Sed tua jam veniat potius quam nostra voluntas,
Quæ tibi decreta est tantis sententia rebus.
Tunc ad discipulos repedat, sed somnus anhelis
Prostratos terra membris dissolverat omnes.
Tunc ait ad Petrum : Non est tibi ponere virtus
Unam pervigilem tantis sub casibus horam ?
Sed vigilate, precor, ne vos tentatio raptos
Horrida præcipitet sævæ per lubrica mortis.
Spiritus iste viget, sed corpus debile lapsat.
Secessit rursus secreti montis in arcem,
Orabatque Patrem : Rerum mitissime Rector,
Hunc quoniam calicem non est transire facultas,
Jam tua præveniat nostra de sorte voluntas.
Rursus discipulos somni sub pondere pressos
Invenit, et rursus per idem Genitore precato,
Alloquitur fesso nexos languore quietis :
Jam dormire licet, sociosque revisere vestros.
Nam venit ecce meum qui dedat in omnia corpus,
Quæ maculata meis imponet factio membris.
Cum dicto Judas, numero stipante catervæ,
Advenit procerum jussu populique ferocis.
Pars strictis gladiis, pars fidens pondere clavæ,
Signa sequebantur Judæ promissa furentis.

Oscula nam pepigit sese contingere Christi,
Quo facile ignotum caperet miserabile vulgus.
Ille ibi dissimulans blanda cum voce salutat,
Attigit et labiis Justi miserabilis ora.
Continuo Christus : Totum complere licebit,
Huc venisse tuo quæcumque est causa paratu.
Injecere manum turbæ, Christumque prehendunt.
Tunc e discipulis unus fulgente machæra
Occurrit vatis famulo, sublatus in iram,
Tempore et excisam rapuit vi vulneris aurem.
Olli Christus ait : Gladium, tu ponito, noster :
Nam quicumque ferox confidit vindice ferro,
Hunc justi similis ferri vindicta manebit.
An ego non possum cœlestia castra vocare,
Et Patris innumeras in prælia ducere turmas?
Sed scriptura meis complenda est debita rebus.
Vos autem stricto quid me comprendere ferro,
Fustibus et gladiis concurritis? en ego vobis
Occurro, templi media qui semper in arce
Vobiscum residens docui, nec talia quisquam
Insonuit, tantis circumlatratibus audax.
Discipuli passim Christo fugere relicto.
Jamque Caiphæa steterat Salvator in aula :
Convenere omnes Scribæ proceresque vocati.
At Petrus longe servans vestigia, solus
Occulte mœstus sedit cum plebe ministra,
Extremum operiens tanto sub turbine finem.
Ecce sacerdotes falsos conquirere testes
Incumbunt, fictasque volunt contexere causas,
Quis mortem insonti possent imponere Christo.
Sed nullus tanto visus satis esse furori.
Tandem prosiliunt testes qui dicere Christum
Audissent, templum quod solus vertere posset,

Et versum trinis iterum instaurare diebus.
Ipse sacerdotum princeps urgere tacentem
Insistit, fervens furiis, ac talia fatur :
Cur nihil ad tantas nunc respondere querelas,
Convictus veris procerum sub testibus, audes?
Adjurabo tamen summi per regna Tonantis,
Ut fateare palam, si fas te credere Christum.
Ille dehinc tali compellat voce superbum :
Isthæc sola tibi procedunt pectore verba.
Vera tamen veniet vobis visenda per auras
Majestas, Proles hominis virtutis ad altæ
Cum sedeat dextram, per nubes ignicolores.
Talibus auditis, scindit de pectore vestem,
Insultat furiis et cæco corde sacerdos,
Atque ait : Audistis pugnantis fœda profani
Verba Deo : polluta malis consurgat in iras
Relligio, et vestram cuncti jam pandite mentem.
Conclamant omnes, mortique addicere certant.
Tunc sanctam Christi faciem sputa improba complent,
Et palmæ in malis, colaphique in vertice crebri
Insultant, verbisque omnes illudere certant :
Christe, prophetabis cujus te palma cecidit?
At Petrum mulier tristem quod viderat intus :
Tune etiam juvenis fueras comes additus, inquit,
Isti quem ludens procerum sententia damnat?
Ille negat, tectisque foras se promere tentat.
Ecce sed egressum primo sub limine cernens
Altera, consimili prodebat voce ministris.
Rursus perjurans, illum se nosse negavit.
Tunc percontatum multi accessere sequentes,
Deque sono vocis sese cognoscere dicunt,
Cuncta Galilæam streperent quod verba loquelam.
Et Petrus jurans devotis omnia verbis,

Nescire affirmat quisquis foret ille, negando.
Hanc vocem, plausum quatiens sub culmine tecti
Ales prosequitur cantu, mentemque Simonis
Circumstant tristem verbis præsagia Christi,
Egressusque dehinc ploratus fudit amaros.
Sidera jam[1] luci concedunt, et rapidus sol
Progreditur, radiis terras crepitantibus implens :
Jamque e concilio Christum, post terga revinctum,
Præsidis ad gremium magno clamore trahebant.
Interea celsum Dominus stans ante tribunal,
Talibus exceptum Pilatus vocibus ursit :
Tu rex Judææ gentis, qui dicitur, astas ?
Respondit Christus : Vestris hæc audio verbis.
Exin terribilis Justi accusatio surgens
Infremit, et Sanctum mendax facundia pressat.
Respondere nihil trucibus dignatur Iesus.
Pilatus quærit, quænam sit causa tacendi.
Ille magis perstans, miranda silentia servat.
Solemni sed forte die concedere leges
Unum damnati capitis de more jubebant.
Et fuit in vinclis famoso nomine latro,
Quem Christo infensus populus dimittere vitæ
Ardebat ; trucibus sommo sel territa visis
Pilati conjunx, Justi discedere pœna,
Mandatis precibusque virum suspensa rogabat.
Tum judex iterum procerum disquirere mentem
Tentat, et instanti cuperent quem solvere pœna,
Plebis ad arbitrium mittit de lege requiri.
At proceres populum fusa ambitione rogabant,
Latronem legi peterent, Christumque necarent.
At postquam procerum incendit sententia vulgus,
Latronisque petit potius sibi cedere vitam,

[1] Matth. XXVII. Marc. XV. Luc. XXIII. Joan. XVIII.

Consuluit præses populum, quid vellet Iesu?
Plebs incensa malo sævos miscere tumultus,
Et crucis ad pœnas iterumque iterumque petebat,
Qui regis nomen cuperet, qui Cæsaris hostem
Confessus, sese proprio damnaverit ore.
Denique vi victus, detestatusque cruentum
Officium, increpitans se libera sanguine ab hujus
Corda tenere sibi, coramque a crimine palmas
Abluit, ut genti tantum macula illa maneret,
Hoc magis inclamant : Nos, nos cruor iste sequatur,
Et genus in nostrum scelus hoc et culpa redundet.
Pilatus donat plebi solvitque Barabbam,
Et crucis ad pœnam vinctum concedit Iesum.
Proditor at Judas postquam se talia cernit
Accepto sceleris pretio signasse furentem,
Infelix ægris damnans sua gesta querelis,
Argentum et culpans sacram projecit in ædem ;
Exorsusque suas laqueo sibi sumere pœnas,
Informem rapuit ficus de vertice mortem.
Inde sacerdotes, pretium quod sanguinis esset,
Illicitum fantes, adytis jam condere templi,
Quod dare tum licitum, dum sanguis distraheretur,
Credebant, agrum mercati nomine vero
Sanguinis, horrendo signant scelera impia facto.
Hæc quondam cooperta canens vox vera Prophetæ,
Eventum rerum patefecit in ordine sæcli :
Argenti triginta minas posuere profani,
Hoc pretium pretiosi corporis instituentes,
Quod mox ad figuli rursus transfertur agellum.
Traditus at trucibus Justus, scelerisque ministris
Innocuus, scelerata opprobria corpore perfert.
Purpureamque illi tunicam, chlamydemque rubentem
Inducunt, spinisque caput cinxere cruentis,

Inque vicem sceptri dextram comitatur arundo.
Tunc genibus nixi, regem dominumque salutant
Judææ gentis : faciem lavere salivis,
Vertice et in sancto plagis lusere nefandis.
Hæc ubi transegit miles ludibria demens,
Indutum propriæ ducebat tegmine vestis,
Et crucis ad pœnam Sanctum Justumque trahebat.
Ecce sed egressi, quemdam cepere Simonem,
Cyrene genitum, lignumque afferre jubebant,
Quo Dominum lucis duris suffigere clavis
Instans urgebat sæcli immutabilis ordo.
At postquam ventum est ubi ruris Golgotha nomen,
Permixtum felli vinum dant pocula Christo :
Ille sed in summo gustu tractata recusat,
Ut satis antiquis fieret per talia dictis.
Nec tamen insultans hominum furor omnia posset.
Jamque cruci affixum pendebat in arbore corpus,
Intactamque dedit tunicam sub sorte per omnes
Militis unius servans possessio textum.
Et scriptum causæ titulum meritique locarunt,
Quod rex Judææ plebis gentisque fuisset.
Accidit ut pariter pœnæ consortia ferrent
Latrones hinc inde duo, sed cæca furentis
Insultat plebis fixo vesania Christo :
Hic est qui templum poterat dissolvere solus,
Hic est qui trino lucis reparare meatu.
Sed nunc descendat Proles veneranda Tonantis,
Et crucis e pœna corpusque animumque resolvat.
Hæc vulgi proceres vecordis dicta sequuntur,
Atque Pharisæi Scribæque et factio demens
Illudunt, motuque caput linguasque loquelis
Insanis quatiunt, æternæ ad vincula pœnæ :
Nonne alios quondam trucibus servare solebat

Morborum vinclis? sese cur solvere pœnis
Non valet? en regem nostræ quem credere gentis
Debemus; solvat ligni de robore corpus,
Tunc sanctis digne poterimus credere signis.
Confidit genitore Deo : dimittere pœna
Cur propriam non vult sobolem veneranda potestas?
Nec minus increpitant dextra lævaque gementes
Affixi crucibus scelerum pro sorte latrones.

Jam medium cursus lucis conscenderat orbem,
Cum subito fugit ex oculis, furvisque tenebris
Induitur, trepidumque diem sol nocte recondit.
Ast ubi turbatus nonam transiverat horam,
Consternata suo redierunt lumina mundo.
Et Christus magna Genitorem voce vocabat,
Hebrææ in morem linguæ : sed nescia plebes,
Eliam vocitare putat; tum concitus unus,
Cogebat spongo turpi calamoque revincto
Impressum labiis acidum potare saporem.
Cætera turba furens, tali cum voce cachinnat :
Spectemus pariter, cœlo ne forte remissus
Elias veniat, celsa qui sede quiescit,
Liberet et misero confixum stipite regem.
Tunc clamor Domini magno conamine missus,
Æthereis animam comitem commiscuit auris.
Scinduntur pariter sancti velamina templi,
Carbasaque in geminas partes dirupta dehiscunt,
Et tremebunda omni concussa est pondere tellus,
Dissidiumque suo ruptæ de corpore cautes.

Tum veterum monumenta virum patuere repulsis
Obicibus, vivæque animæ per membra reversæ,
Et visum passæ populi, per mœnia late
Erravere urbis; sic terrent omnia mundum.
Militibus primis quatiuntur corda pavore

Dedita qui sævæ servabant corpora pœnæ,
Et Sobolem dixere Dei, Christumque fatentur.
E speculis matres miracula tanta tuentur
Omnes, obsequium Christo quæ ferre solebant.
Jamque recedenti vesper succedere soli
Cœperat, et procerum solus tum justior audet
Corpus ad extremum munus deposcere Christi.
Hic ab Arimathia nomen gestabat Ioseph,
Qui quondam verbis aures præstabat Iesu.
Pilatum tunc iste rogat, sibi cedere membra,
Queis nuper tulerat vitam vis horrida pœnæ.
Concessit præses : sed corpus fulgida lino
Texta tegunt, saxique novo componitur antro.
Limen concludunt immensa volumina petræ,
E speculis servant matres, et cuncta tuentur.
Jamque dies rutilo complebat lumine terras,
Otia qui semper prisca de lege jubebat :
Nulla sed immitis procerum furor otia servat.
Conveniunt, onerantque simul sic judicis aures :
Erroris laqueos justissima pœna resolvit :
Nunc meminisse decet, quoniam planus ille solebat
Vulgari semper jactans promittere plebi,
E mortis sese tenebris ad lumina vitæ
Cum terno solis pariter remeare recursu.
Sed petimus, custos miles nova funera servet,
Ne fera discipulis furandi audacia corpus
Consurgat, turbetque recens insania plebem.
Et Pilatus ad hæc : Miles permittitur, inquit :
Servate, ut vultis, corpus tellure sepultum.
Conveniunt, saxique ingentia pondera volvunt,
Et limen signis et saxum milite servant.
Sidera jam[1] noctis venturo cedere soli

[1] Matth. XXVIII. Marc. XVI. Luc. XXIV. Joan. XX.


Incipiunt, tumulo matres tum visere septum
Concurrunt; motus sed terram protinus omnem
Concutit, et cœlo lapsus descendit aperto
Nuntius, et saxum tumuli de limine volvit.
Illius et facies splendet, seu fulguris ignis,
Et nivis ad speciem lucent velamina vestis.
Militibus terror sensum discluserat omnem,
Et jacuere simul seu fusa cadavera letho.
Ille sed ad matres tali cum voce profatur :
Vestra pavor nullus quatiens non corda fatiget.
Nam manifesta fides sanctum vos quærere corpus
Quod crucis in ligno scelerata insania fixit.
Surrexit Christus, æternaque lumina vitæ
Corpore cum sancto, devicta morte, recepit.
Visere jam vobis licitum est, quod sede sepulcri
Nulla istic jaceant fuerant quæ condita membra.
Dicite præterea celeri properoque recursu
Discipulis, Christum remeasse in luminis oras,
Inque Galilæam lætum præcedere terram.
His dictis visisque, animos perfuderat ardens
Lætitia, attonitos stupido ancipitique pavore.
Denique præcipiti celebrantes gaudia cursu,
Talia discipulis referunt, tumulumque relinquunt.
Ecce viæ medio clarus se ostendit Iesus,
Et fidas matres blande salvere jubebat.
Occurrunt illæ, et genibus plantisque prehensis
Victorem lethi pavidæ venerantur Iesum.
Talibus ille dehinc præceptis pectora firmat :
Mentibus absistat fidei pavor omnis, et isthæc
Fratribus hinc nostris propere mandata referte.
Nostri conspectus si curæ est, ite volentes,
Inque Galilæam propere transcurrite terram.
Interea tumuli custodum exterrita corda

Mittunt e numero partem, quæ tanta referret
Judæis rerum miracula : sed manus amens
Jam semel insano penitus devota furori,
Præmia militibus certatim magna rependit,
Et famam argento redimit, quod limine rupto
Furtim sustulerit corpus defensa tenebris
Occulte rapiens audacia discipulorum.
Jamque Galilæos conscenderat anxia montes
Mandatis Christi concursans turba suorum.
Cernitur ecce suis Proles veneranda Tonantis,
Illum procumbens sancte chorus omnis adorat.
Nec tamen in cunctis pariter fundata manebat
Pectoribus virtus; nam pars dubitabat eorum.
Tunc sic discipulos clarus compellat Iesus :
In cœlo et terris Genitor mihi cuncta subegit,
Me Pater est vobis dignatus mittere lucem.
Gentibus haud aliter nunc vos ego mittere cunctis
Institui, vestrum est cunctas mihi jungere gentes:
Pergite, et ablutos homines purgantibus undis
Nomine sub sancto Patris Natique lavate;
Vivifici pariter currant spiramina Flatus,
Ablutisque dehinc nostra insinuate docentes
Præcepta, ut vitam possint agitare perennem.
Nec vobis unquam nostri præsentia deerit,
Donec consumens dissolvat sæcula finis.

OPERIS CONCLUSIO.

Has mea mens fidei vires, sanctique timoris
Cepit, et in tantum luxit mihi gratia Christi,
Versibus ut nostris divinæ gloria legis
Ornamenta libens tulerit terrestria linguæ.

Hæc mihi pax Christi tribuit, pax hæc mihi sæcli,
Quam fovet indulgens terræ regnator apertæ
Constantinus, adest cui gratia digna merenti,
Qui solus regum sacri sibi nominis horret
Imponi pondus, quo justis dignior actis
Æternum capiat divina in sæcula vitam,
Per dominum lucis Christum, qui in sæcula regnat.



SANCTUS EUSTHATIUS,

ANTIOCHENSIS EPISCOPUS.



DISSERTATIO DE ENGASTRIMYTHO.

SANCTUS EUSTHATIUS,

ANTIOCHENSIS EPISCOPUS.

(CIRCA AN. 337.)

GRÆCUS.

Sanctus Eusthatius, Sidæ in Pamphilia oriundus, Bereæ primum in Sicilia, deinde vero Antiochiæ episcopus, « Quippe quem, Philogonio *et Paulino* » ad meliorem vitam translatis, episcopi, sacerdotes » Christique amans populus universus, ut Ecclesiam » illam regeret, communibus suffragiis invitum co- » egerant » (Theodoret. lib. I, c. VI), Niceæ concilio non interfuit modo, sed et, si quibusdam fides, præfuit; cum, teste Theodoreto, « Ante alios magnus » Eusthatius imperatorem summis laudibus ornare » cœperit, præclarum ejus erga res sacras studium » præconiorum vice remunerans. » (Id. ibid.)

Arianis infensus, nullum inter cleros recipere curavit, nisi qui fidem integram integrosque mores profiterentur; nec suorum tantum, sed omnium saluti invigilans, doctos qui ignaros instruerent vacillantesque confirmarent hinc et inde mittebat. Eusebium ipsum Cæsariensem, tanquam fidei Nicenæ corruptorem impugnavit; qui rursus sanctum pontificem, juxta Arianizantium morem, tanquam Sabelliani erroris fautorem confutare, sed frustra, conatus est.

Hinc congregato adversus illum concilio, et conducta infami scorto qui infantem mammis pendentem coram omnibus produceret, illum adulterii fructum vociferans, inauditus damnatur; sed ista deinde in extremis constituta, mendaciumque confitente, innocens manifestatus, in exilium nihilominus, agentibus circa Constantinum Arianis, ab imperatore ejicitur. (Theodoret. lib. I, c. XX et XXI.) Inimicorum furorem ita patienter tulit, ut ne quidquam quidem tentaverit quo ab injusto revocaretur exilio. Panegyricam ejus orationem scripsit S. Joannes Chrysostomus, qua sanctum exhibet pontificem presbyteros et fideles exhortantem ne deficerent a fide : unde factum est ut ab Ariana labe immunis Antiochia permaneret. (S. Joan. Chrysost. Orat. in Eusthat.) Ignotum mortis tempus, quanquam ad annum 337 probabilius referenda videatur.

Plures scripserat sive contra Arianos, sive de Scriptura libros; sed alii perierunt, alii qui superesse videntur spurii sunt et rejiciendi. Unus tantum integer legitur de *Engastrimytho* tractatus contra Origenem, qui inter antiqua religionis monumenta ingenio simul et ratiocinio commendatur : unde hic excudendus merito visus est.

S. Eusthatius, « ob vitæ simul ac doctrinæ meri» tum *ab ipsis* Niceæ episcopis admiratione prose» cutus (Sozom. lib. I, cap. II) cum Julio Africano » et Athanasio Alexandrino *propter* eruditionem » sæculi et scientiam Scripturarum » ab Hieronymo confertur (Epist. LXXXIII ad Magnum). Et licet a Socrate *inter viles et obscuros homines* (Socrat. lib. VI, c. XIII), nempe propter Catholicæ fidei firmitatem deputetur, vir tamen extitit « tum in aliis rebus » egregius, tum eloquentiæ causa merito admirandus,

» quemadmodum ex libris ejus qui extant licet » agnoscere; tum ob priscum genus elocutionis et » ob gravitatem sententiarum, tum ob verborum » elegantiam et in rebus explicandis venustatem, » magnopere probatur. » (Sozom. lib. II, c. XIX. Theodoret. lib. I, c. XXII. S. Chrysost. Homil. in Eusthat.)

Liber *de Engastrimytho* excusus est curante Leone Allatio Lipsiæ 1729, cum falso in Hexaëmeron commentario; deinde autem Bibliothecæ Patrum insertus est tom. XXVII, ex quo illum depromptum prælo subjicimus.

Vide Bibliothecam Gallicam D. Guillon, tom. V, p. 409 et seqq. an. 1824, Paris. in-8°.



SANCTI EUSTHATII,

ANTIOCHENI ARCHIEPISCOPI,

CONTRA ORIGENEM

DE ENGASTRIMYTHO

DISSERTATIO.



Semper equidem, divinæ vivendi rationis tuæ zelum, dignum qui et aliis innotescat, o rectæ fidei celeberrime et sacer prædicator Eutropi, commendo : verum tuæ insignis pietatis sæpius admiratione commotus, non minus atque illi præcipue eam laudavi. Vis quippe ut sententiam meam de engastrimytho, cujus primo Regum historia legitur, declarem, dilucideque aperiam. Etenim quæ de hac materia vulgavit Origenes, tibi neque grata neque accepta sunt. Novi equidem alios, eosque non paucos, questos de iis quæ temere ab illo prolata sunt, plurimosque fuisse qui propterea animo vehementissime excruciantur. Nonnulli item illius commentationibus acquiescunt, novumque dogma male intrusum facile amplectuntur, et nominibus potius quam rebus, quod facto opus esset, animum advertunt. Ne igitur sponte forense ac concertatorium judiciale genus subiisse videar, operæ pretium fecerim si omnem illius expositionem una cum hac mea scriptione conjungam, et utraque verum speriam ne ulli opinandi sit locus nos aperte calumniari, quasi homini parum ingenue imposuerimus, ideoque utrius-

que sententias dubias esse. Opinantur enim utriusque comparatione utriusque partis sententiam melius discerni, deinceps philologos ad meliorem sese applicare. Non itaque ille equus concertator esse aliorum judicio comprobatur, qui festinanter citato gradu properat, licet incredibili celeritate, quasi alis niteretur, miraque incitatione confestim advolet. Neque athletarum ille optimus est, qui inter certandum ocyus pedem conferre potest, nec quisquam alius, sive lucta tenere contendat, sive durissimo pancratio vulnera patiatur, sive cæstu pugnam committat, vel aërem inani brachiorum jactatione everberet. Eos namque qui certamen ineunt, cominus cum hostibus pugnare contraque obstare decet, ut quis melior sit dignosci facile possit. Quare in primis quidem ante alia Origenis dicta proponemus, deinde contrariam illis sententiam subnectemus, quam ingenii industria atque diligentia discutere operæ pretium erit. Age igitur historiæ seriem, quoad ejus fieri poterit, nobisque facultas dabitur, speculemur, inde sumpto initio. Cum Saül optime populi præesset multitudini, « omnes, *inquit,* Engastrimy» thos ejecit, omnesque reliquos gnostas dictos[1], » veluti perniciosissimas pestes, qui ita vocabantur, ariolos depulit : verum ubi rebus pessimis animum advertit, a nequissimo dæmone male vexatus rursum, effata fatidicorum ac vatum ambitiose nimis amplectitur, paulo ante dissoluta componens, propter eaque semetipsum violati mandati reum arguens. Quippe cum vicini alienigenæ unanimi consensu bellum indicerent[2], et collatis signis numerosa phalangum copia manus *arma* consererent, exertisque gladiis summa animi contentione pugnam deposcerent, misellus Saül tabernaculi propugnaculum, et reliqua omnia, ut ita dicam, oculata fide hostium armis occlusa contuitus, a se ipse discessit attonitus, ut divinæ testantur Litteræ. Deinceps, ad-

[1] 1 Reg. XXVIII, 3. — [2] Ibid. 4.

dunt, consulebat Dominum, appetens videlicet scire quid opus factu esset; et omnino non respondit ei Dominus in somniis, in manifestationibus, et in Prophetis. Scelesto namque, impieque agenti Saüli Numen responsa non dat. Quid vero divino destitutus auxilio posthac machinatur? Non placat Deum precibus iteratis, assiduoque animi cultu; quin contrariis ac pugnantibus studiis resiliens, magis ac magis jura violat. Pueris suis imperat mulierem engastrimythum quærere, ut ad eam accedens, veluti ex oraculo sciscitaretur [1]. Ministris autem pessimis illico fanatica prodita, Saül prompte habitu suo mutato, indutusque aliis vestimentis, velocius exercitu dimisso, pervolavit. Ubi ad ipsam accessit cum duobus viris nocte, tunc supplex illam alloquebatur : Vaticinare mihi, dicens, in engastrimytho, et fac mihi ascendere quem dixero tibi. Igitur, si Saül per engastrimythum ut sibi divinaretur exorabat, veras quispiam fuisse ejus voces asseverabit? Verum quis illum in deploratas conversum divinationes, et diabolicas fabularum operationes immani furore a dæmone vexatum fuisse ignorat? Nonne Deus, qui in os Balaami sermones imposuit, Moysique ut expresse in Numeris scriberet imperavit, fide dignior est? « Non enim est auguratio in Jacob, neque di» vinatio in Israël [2]. » Itaque si hæc veluti execranda detestandaque scelera, hostilisque idolorum cultus causæ prohibita sunt, quomodo ad ferendum testimonium is qui impiissime illis uti conatus est, idoneus erit? Sed hæc paulo inferius, iterum arrepto sermone, perfectius tractabimus. Quare ad historiæ seriem revertamur. Mulier amentem Saülem intuita, simulans se minime principem cognoscere, respondit, illum melius scisse quæ adversus talium rerum peritos Saül patraverat [3]; quomodo exterminarit engastrimythos, et manifestantes de terra. Ideo laqueum vitæ illius

[1] I Reg. XXVIII, 7. — [2] Num. XXIII, 23. — [3] I Reg. XXVIII, 9.

intendere dicebat, ut occideret. Ubi vero Saül jurejurando fidem alligasset suam, nullum ipsam subituram malum, mulier firmatis nequitia viribus, liberius utique reddit responsa. Quem, ait, evocabo tibi? Quæ qualisque erat hæc furiis agitata anus, ut Samuëlem a mortuis evocaturam promitteret? Et sane dignitatis insignibus omissis, fatendum est eam non potuisse propheticam animam evocare, sed nec alterius ullius omnino, nec formicæ quidem, nec pulicis. Quippe in potestate dæmonum non sunt, sive spiritus, sive animæ, sed in solius Dei manu, qui omnium rector omnibus imperat. Quare ab inferis animas revocandi accersendique facultas soli divinæ naturæ tribuenda est. Sed industrius sane Origenes idololatriæ instrumenta, vaticiniorumque, eorum præcipue quæ fiunt mortuis evocatis, artes, in Ecclesiasticum chorum cum haberet in animo obtrudere, in sacram mentitur Scripturam. Quippe Scriptura aperte palamque dicente, mulierem dixisse, *Quem evocabo tibi*[1]? consilium Scripturæ in contrariam partem afferens : Personam, ait, hæc dixisse Spiritus sancti. Deinceps raptim usque eo a veritate deflexit, ut fanaticæ mulieris verba Spiritui sancto non vereatur impingere. Hæc cum disertissimis verbis impie effutiat, totum refert in Spiritum sanctum, auditores nomine fide digno persuadere conatus. Quæsivit itaque, ut jam dixi, mulier, et quasi mortuos evocandi facultatem haberet : *Quem*, ait, *evocabo tibi?* Verum qui oracula consulebat ut Samuël educeretur petente, subdit : *Et vidit mulier Samuëlem,* et sublata voce clamavit, dixitque principi : *Cur fefellisti me?* et : *Tu es Saül.* Postquam rex dixisset : *Ne timeas,* et : *Quid vidisti?* rursum pythonem habens mulier, infert : *Deos vidi ascendentes de terra.* Cum vero tandem princeps interrogasset : Qualis est forma ejus? ad verbum ita affata est : « Hominis recti

[1] 1 Reg. XXVIII, 11.

» ascendentis de terra, et ipse amictus est diploïde. » Quid præterea sacra Scriptura tradit? « Et novit Saül quod Samuël esset hic, et inclinavit se super faciem suam in » terra, et adoravit eum. » Manifestum itaque est, nullibi omnino sacrarum Litterarum seriem affirmasse, per mulierem illam engastrimythum Samuëlem evocatum fuisse. Sed illa quidem in primis per incitantem ipsam dæmonem dicit, illum evocandum; deinde et deos ascendentes videre gloriata, fraudulenter signa hominis tradebat, ut ex insidiis occuparet. Et demens Saül, ex his quæ audierat intellexit quod ille ipse esset Samuël. An ergo fides adhibenda sit, vel a dæmone vexato Saüli, quasi veram exactamque cognitionem haberet, vel dæmoni de semet gloriose loquenti, promittentique ab inferis justorum animas educturum, inter nos ipsos dijudicemus, discernamusque hæc et similia hoc modo intelligere, quam vanum impiumque sit, o optime hominum Eutropi. Mirum enim, quantum a veritate, ut videtur, Origenes aberraverit, et si Dominus noster Jesus Christus aperte de diabolo dicat: « Ipse homicida erat » ab initio, et in veritate non stetit; quoniam veritas in ipso » non erat: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, » quoniam mendax est, et pater ipsius[1]. » Quid hic ais, Origenes? Prius enim interrogandus es, hæc quæ Salvator dixit, vera sunt, an respondens contrarium dices? Itaque si verba Domini de more vera sunt, ergo dæmon audacter insolescens mentitus est. Verum si dæmonis sermones veritati non absonos definis, mendacem Dominum utique audes demonstrare. Videsne, quam inculcas sententiam, quæ absurda ineptaque contineat? Quandoque enim dæmones ad veritatem dicendam vi compelluntur doctoribus torti; veruntamen nihil usquam voluntarie sine mendacio dixerint. Tamen si quis dæmonem justos ab inferis evocare af-

[1] Joan. VIII, 44.

firmabit, quomodo manifestum non erit, fraude mendacium obtrudere illo animo, ut aliquem præcipitem actum consternat? Ita est, ait : at illa dæmon nullus effatus est, sed narrans scriptoris vox : sermonum vero scriptorem esse Spiritum sanctum, et non hominem credimus. Forte seriei narrationis pugnantia in medium afferre non plane intelligis? Rectius itaque, qui paulatim ad omnifarios sermones animum intendere noverunt, tradidisse narrativam scriptoris locutionem, quæ videbatur facere vel dicere oracula petenti Saüli engastrimythus, de ea videlicet auctor narrans ejusque ad verbum sermones inquit : « Et dixit mulier, » Quem evocabo tibi [1] ? » Quis ita vecors et stolidus erit, ut simulet se minime capere voces has scriptoris minime esse, sed mulieris a dæmone vexatæ. Certe si quid in hac re verum sincerumque sit, perspicere debemus, narratio illud tantum habuit : *Vidit mulier Samuelem* [2]. Hæc porro ita prosecutus est scriptione, quasi ad minime ignaros de dæmoniaca loqueretur. Neque enim dubium esse debet, dæmonem, qui piorum hominum imperio subest, ejicitur, igne crematur, flagris cæditur, et fugit habitatione neglecta, ullius animam evocare. Sed vidit vesana, ut aptiori figura rem quam imaginatione sibi confictam conceperat repræsentaret. Bellua namque se in multas variasque formas mutare consuevit, ut cum divino Paulo dicam : « Ipse enim Sa» tanas transmutatur in Angelum lucis [3]. » Nihil mirum itaque si is inter disserendum locum hunc Scripturæ apposuit, ratus exquisite describere eos qui veritatem assererent, cui id addit ut propriam confirmaret sententiam, etsi nulla arte. Et quare, inquit, non dictum est : « Vidit mulier dæmonium, » quod fingebat se esse Samuëlem, » sed scriptum est? Deinde dicit : « Intellexit Saül quod Samuël esset [4], » quibus paucis interjectis subdit. Si Samuël non erat, scribendum

[1] 1 Reg. xxviii, 11. — [2] Ib. 12. — [3] 2 Cor. xi, 14. — [4] 1 Reg. xxviii, 14.

omnino erat: « Et putabat Saül illum esse Samuëlem. » Nunc vero scriptum est, *Cognovit Saül.* Nemo autem cognovit id quod non est. « Intellexit itaque Saül quod Samuël » esset. Procidit pronus in terram, et adoravit illum. » Non aliunde petitis exemplis, sed ab iis ipsis quæ scriptis mandavit, hoc in loco, interrogatione instabo. Tandem et reliquis utar exemplis. Effare ergo mihi per Deum, quid hic ais, Origenes? Mulier evocavitne Samuëlem una cum corpore, an figura umbræ tantum imagine obvolutum? Si incorporeum illum evocavit, non ergo Samuëlem, sed spiritus formam suscitavit: ex anima enim et corpore compositus ipse est Samuël; homo ex utrisque proportione quadam constat. Si vero una cum toto corpore virum evocavit, quomodo non vidit illum Saül? quippe si oculatus testis ipse vidisset, non interrogasset mulierem, ac si non videret, illa ipsa verba enuntians: *Quid vidisti*[1]*?* Itaque si oculorum effugit obtutus, absque dubio et corporis expers erat. Si corporis expers figura apparebat, ut quid pythomantis oppositum dicebat: « Vidisse *quidem* hominem rectum, e terra sa» lientem, pallio[2], » uti prius ab eo fieri consueverat, *amictum?* Res itaque ipsæ, Origenes, cum tuis sermonibus pugnant. Et Saül ipse cum nihil omnino aspexisset, tanquam de phantasmate invisibili sermonem habens, interrogabat, inquiens: *Quid vidisti?* Illa porro, ac si hominem intuita fuisset, clamavit: « Virum stantem ascendentem de terra: » ut autem illi suaderet hominem esse, notas illius enarrat, subdens: *Et hic pallio amictus.* Quare igitur, o sacrilegæ vaticinationis præceptor, si vir erat, non aspexit illum Saül? nisi illi etiam oculos, qui sensui subsunt, cæcutire velis affirmare, quemadmodum duntaxat et intellectus ea pars quæ intelligibile. Sed cum facili negotio refellaris, fortasse dicas, tunc organum animæ in speciem humanam efformatum

[1] 1 Reg. xxviii, 3. — [2] Ibid. 14.

fuisse, ut apparens prophetico vaticinio futura prædiceret: quemadmodum in somniis quandoque et spiritus, et animæ omnibus suis membris absolutæ, humanasque formas præ se ferentes, adveniunt; in quibus non una, sed varia indumenta conspicies, nec non cicatricum, typorum, vibicumque, quin et plagarum et vulnerationum notas impressas. Si igitur animam tantum evocatam non ipso corpore hominem decernis, quod etiam si volueris Scripturæ series non concedet, tibimet ipsi pugnantia contrariaque loqui non percipis? Hocque tibi aliquis opponeret : Quare non dixit mulier, *Propheticam animam vidi*, sed oppositum, *virum erectum?* et eamdem, quam innuis rationem, quare Scriptura non ita effata est : « Vidit mulier dæmonium, quod fingebat se esse Samuëlem? » Hac utique ratione ego tibi opponens objicerem : Quare evocata anima non dixit, animam se vidisse, si res ita se haberet; quin contrarium, *hominem*, et hunc *erectum*, quod habitudinis corporeæ, illiusque certæ signum est? Quippe mænas illa minime se vidisse affirmabat senem gibbosum, incurvum, sed stantem, intensum, directum, juvenili ardore bellum ambientem, ad nequitias promptum, vesano Saüli fraudem faciens; atque illud suadebat argumento, quod homo esset qui ascendebat e terra, eumque diploïde amictum fatebatur. Quid igitur, quispiam hic dicere posset? si vir ille prodiens ipso emergeret corpore, nonne eum Saül vidisset, neque ab alio quis is esset, quasi cæcitate perculsus, conaretur perdiscere? Igitur res ipsa clamat, eum hominem non fuisse, sed umbram, ut videtur, obscuram et fallacem; neque enim oculos fugisset. Et si opinaris, Origenes, animam Samuëlis illic fuisse, quare umbra illa obvoluta diploïde apparebat? manifestum equidem est, vestes, indumenta, nec non involuta corporibus potius quam animabus convenire. Etenim non existimo te urbane faceteque respondentem etiam per si-

mulationem dicturum, diploïdem illam tot annis in sepulcro ad illam diem conservatam, ut Prophetæ anima vestiretur, ne nuda hinc inde aberrans degeret. Et sane diceret quispiam nullum ignorare, sanctis e cœlo indumenta parari, nulli corruptioni obnoxia, claris luminibus late splendentia, non male textoris pectine percussa. Verum si Samuëlis animam spectrum illud fuisse statuis, asserisque vestem tantum intellectu deprehensam fuisse, ut illius cæremoniæ ratio manifestaretur, utraque vero hæc intelligibilium rerum propria sunt, convincitur nihil sanum verumque mænadem illam effutiisse. Res enim aliter ac se habebant enuntiabat, eorum nomina quæ sub sensu cadunt invertens, et intellectualia manifestans. Virum itaque erectum appellans, et textile involucri indumentum manufactum, quod non videbatur, ex contrariis spiritum imaginatione tantum perceptum inferebat. Eia dic ergo, o optime dogmatista : Quomodo cognovit Saül illum fuisse Samuëlem, quando nec umbræ quidem minimam partem, tantum abest, ut formam hominis aspexerit? Nec erubescis, cum dicis scribendum fuisse, « Et putabat Saül illum esse Samuëlem, » cum scriptum sit, *Cognovit Saül.* Sub hæc, quod a dæmone vexatus a dæmoniaca audiens cognoverit, ubique decantas; quod vero nihil omnino uspiam viderit, silentio præteris, neque reprehensionem ullam in medium affers : id in animo habens, ut simplices homines fallas, omnibusque novam impiamque divinationem inculces. Dæmoniaci quippe cognitio illius, quæ et verba ipsi subministrabat, præconio digna erat. Dices, illum scientia quadam prudentiaque quod non viderat cognovisse, sed non fuisse opinatum. Namque quilibet homo qui auditu potius quam oculis rem aliquam acceperit, cum verum non cognoscat, opinatur et credit, atque præcipue si a dæmoniaca persona illam hauserit. Sola etenim divina verba ad exquisitam

comprehensionem et fidei munimentum firmitatem habent. Nam si de hominibus carminum scriptor scripsit : « Ego dixi in excessu Omeo, mnis homo mendax[1], » de muliere demente sane multo aptius dici poterit. Dicis præterea, neminem nosse quod non est, quasi cum puerulis sermonem consereres. Dic igitur, quomodo cognovit id quod erat, si ipse jam interrogans non viderat, neque hominem erectum, neque ephod quod continebat, non summorum sacerdotum vestem, sed nihil usquam conspiciens vanis sermonibus jactabatur, quemadmodum et tu non minori orationis vanitate parum firmos commoves. Sed historiæ quidem scriptor, engastrimythi nomine apposito, primum personam qualis esset, furiis videlicet agitatam significavit. Deinceps ipsi spectrum quod viderat exposuit, ea ratione qua mentis compotes de excordibus debent judicare. Similiter et dementem Saülem, dum vaticinium peteret, dixerat cognovisse; quemadmodum de eo qui tot annorum conversionibus a pessimo dæmone correptus agitabatur, æquum erat discernere. Et hæc ita se habere res ipsæ clamant clarissima voce. Verum ut et alio exemplo rem mihi propositam confirmem, age Heliæ prophetæ historiam in medium afferamus[2], cum vellent numero in sacrificio partis utriusque præstantiam dijudicare, nullumque audere ignem injicere, sed precibus illum in cœlo conceptum subjicere, ut inde demisso cœlitus signo, quo liceret gloriari, pateret omnibus Deus, qui posset et exaudire et ignes suscitatos depellere ex quo potioris dignitas elucesceret, et quod melius erat appareret. Ubi vero primum illis ut opus perficerent imperavit, illi selecta bucula more suo discerpebant in partes, et invocato non indiligenter quadriformi Baalis numine, nihil minus operabantur, nihil omnino. Addit : « Et incide- » bant se ex more gladiis et siromastibus ad effusionem usque

[1] Psal. cxv, 11. — [2] 3 Reg. xviii, 23.

» sanguinis [1]. » Subdit his auctor illius narrationis : « Et pro-» phetabant quousque præteriit vespera [2]. » Cum itaque Scriptura non exposuerit verane an mendacia prophetarent, ideone illos prophetas fuisse veraces aliquis contenderet? Scilicet dicendum erat, ut Origenes ipse determinat : Prophetabant ut ipsi opinabantur, non nisi mendacia conflantes. Neque enim fas erat in ipsis incidere præsagitionem, et tamen extricato claroque scribit sermone : « Et propheta-» bant quousque præteriit. » Nonne ipsa rerum eventorumque consequentia hæc illis similia comprobantur? Etenim si amborum idem est auctor, unum etiam ex utrisque sensum elicere consequens est. Sed quemadmodum hic idololatrans præfixo nomine id nobis innuit, de illis ita sentiendum esse, scilicet pseudoprophetas fuisse omni prænotione destitutos; sic et ibi personis dæmone agitatis præpositis, sacrilegique vaticinii facinoribus per reticentiam quid de amentibus illis sentire deberent manifestavit. Sane si vellem rerum similium testimonia afferre, deficiet fortasse tempus dicentibus; satis erit si alterum hujus rei exemplum adducam. In Exodi ergo historia habetur Moysi Aaronique Dominum ipsum præcepisse ut ante Pharaonem in terram baculum dejicerent, qui, commutata forma, in eorum conspectu prodigio horribili Ægyptios deterreret [3]. Quod ubi maxima omnium admiratione factum esset, princeps sine consilio amentia delusus vocavit una simul omnes et sapientes et incantatores Ægypti. « Et fecerunt etiam incanta-» tores Ægyptiorum, *dixit,* per incantationes similiter, pro-» jeceruntque singuli virgas suas, et factæ sunt dracones; » et devoravit baculus Aaronis virgas illorum [4]. » Refertur præterea Ægyptiorum incantatores similiter sanguinem [5] et ranas [6] fecisse. Cum igitur narratio neque hic singulorum

[1] 3 Reg. XVIII, 28. — [2] Ibid. 29. — [3] Exod. VII, 10. — [4] Ibidem, 12. — [5] Ibid. 22. — [6] Idem, VIII, 7.

actus subdividat, sed similiter incantatores fecisse fateatur; ideone dices quæ a magis confecta sunt illis quæ a Moyse similia esse? Nequaquam, dicet quis, cum nec fas sit dicere curiosa isthæc et superstitiosa a Deo factis rebus assimilari. Quæcumque Moyses exequebatur veritatem præ se ferebant: at quæ incantatores ordiebantur imaginatione tantum visum fallebant; quippe rerum imbecillitate satis abunde mendacium eludebatur; quandoquidem, qua ratione una virga derepente omnes illas et multas devoravit? neque fas est animo concipere quomodo illi ex rebus inanimatis possent facere uno impetu ut essent animatæ. Tunc enim nobis essent fortasse potiores, qui lignis emortuis animam indere haberent in facultate. Nec Moyses ipse quippiam quod esset admiratione dignum præstabat, si illis similia perpetrabat. Quare æquum est hæc nullius esse momenti ostendere ipsius Scripturæ verbis. Nam si Deus, ut Ægyptiorum injurias propulsaret, eosque puniret, omnes aquarum fluctus ut in sanguinem commutarentur imperabat; si similes plagas accipientes, ductus aquarum in sanguinem vertunt ea cura et studio ut calamitatem adaugeant: quanam de causa supplices exorant siti pressi, universa Ægypto sanguinolentas aquas expurgari? vel rursum infinitis ex improviso ranis conspectis, utquid cum illarum multitudine molestarentur, alias effingebant, nisi quod de illis quæ in umbra et spectri tantum forma apparebant, non curabant, verum ab aliis quæ reipsa erant et videbantur mirum in modum læsi perdebantur? Nemo enim multitudini hostium multitudinem aliam inimicorum innumeram addit, cum novos ministros ac satellites ad sui tutelam deberet conducere; neque febrim qua liberari avet, febri excitare majori. Neque qui plagis intolerandis vi petitur, alias sibimet ipsi infligit, dum puro cordis affectu et precibus et oratione orat ut liberetur. Sic etiam his qui domi exuruntur, pro

machinis ad ignem extinguendum adaptandis, oleum et picem si quis superinfundet, in immensum flammas excitabit; quæ ubi invaluere, malum majus exoritur, ignisque inepte contra ignem accenditur. Sic igitur magi per ea quæ ambitiose tentabant manifeste deprehendebantur, tantum animi conceptu atque opinione, ut sibi videbantur, animum oblectasse. Indeque ad hæc tempora, quod non est difficile cognitu, illis multo majora majorique in copia in theatris succulari de more ludunt. Qui tamen facultate e re nata vani, irritique plane deprehensi ceciderunt, et nihilominus Scriptura narrat : « Et fecerunt Ægyptiorum incantatores » per incantationes eorum similiter. » Dicendum itaque erat, ut dogmatum lator Origenes quasi lege sancivit : « Fecerunt » autem similia apparitione incantatores Ægyptiorum, *et* » *non* similiter; » ne quis suspicaretur ex eadem potestate produci : nam si similia Mosaïcis illis conficiendi facultas fuisset, fuisset utique eadem ratione hostes ulciscendi, ita ut utrinque æquo Marte certandum foret. Si vero nullus per quæ efformabant lædebatur, abutitur ergo sermone, manifestæque fiunt inanimatæ imaginationis species. Quemadmodum et hic incantatorum nomine, et magiæ studiis ac artibus præpositis demonstravit, omnino dubitandum non esse, omnia illa magis superstitiosa curiositate perfecta fuisse similia, et hujusce historiæ gesta repræsentantur. Nam engastrimythus inducta, deinceps magiæ artibus impiis deprehensis, et persona quæ vaticinia petebat dæmoniaca demonstrata, perfecte demonstravit, imaginationibus, iisque ementitis omnia fuisse peracta. Sed hæc ita nobis intelligenda sunt. Porro iterum si quæ sunt verborum indicia consideremus. Quid igitur ? ut engastrimythum Saül interrogavit, « Quid vidisti [1] ? » inquiens, primum demens illa mulier respondens clamat : « Et deos vidi ascendentes e terra. »

[1] 1 Reg. XXVIII, 13.

Cum enim modis omnibus virum præcipitem agere in animo haberet diabolus, arripiens palam conabatur ostendere, dæmonium arbitratu suo ac potestate posse non tantum unam animam justi evocare, sed omnes simul sanctorum virorum; ibique dæmonum hostili exercitu instructo, ictuque oculi omnibus in unum collatis, cæteris per id conabatur persuadere, semet, qui et alios congregaret, Deum esse. Cum vero propria quadam stoliditate sese Deum facere consuesse Isaias adversa facie eum reprehendens, propheticis sacrisque vocibus prædicat : « Tu vero dixisti in corde » tuo, In cœlum ascendam, super astra ponam solium meum, » sedebo in monte excelso, super montes excelsos qui respi- » ciunt aquilonem, ascendam super nubes et ero similis Al- » tissimo [1]. » His non dissimilia per Ezechielem prophetam ipse Dominus aperte testimonium exhibet : « Propterea quod » elatum est cor tuum, et dixisti, Deus sum ego, habitabo » in corde maris. Tu vero homo es et non Deus [2]. » Quas autem propter id pœnas illi minetur, ex his quæ infra dicuntur facile erit videre; at divino sane oraculo manifestum est, eum quotidie superbe jactando similibus spectris inniti. Itaque si dæmon qui deorum nomine insigniuntur posset educere, non necesse est credere, evocatis evocantem ipsum potiorem esse; et si sanctis is præest, asserendum est etiam dæmoniorum principem illi præesse. Quæ si quis concesserit, argumentis quibus minime responderi potest demonstrat, ipsum Deum deorum esse, qui ministros suos ea donat potestate ut spiritus et animas justorum ab inferis possint educere. Hæc nemo, dummodo sanæ mentis sit, affirmabit omnino, ne contra divina testimonia calculum atrum demittere videatur. Cum enim amens quæsisset, addens : « Et dixit mulieri, Quid vidisti [3] ? » statim mulier ad interrogata respondens, dixit : « Vidi hominem rectum

[1] Isai. XIV, 13. — [2] Ezech. XXVIII, 2. — [3] 1 Reg. XXVIII, 14.

» ascendentem e terra, et hic amictus est diploïde : » et cum neminem omnino vidisset, ubi verba percepit, cognovit, ut ipse sibi imaginabatur, illum esse Samuëlem; quippe qui intus a dæmone oppugnaretur. Verum ut signorum nomine fuit abreptus, tunc facie in terram inclinata, illum adoravit. Primo quidem rectissime id actum esset, si Samuël ille fuisset, et non transformatus vafer serpens, dixisset, pia quidem mente : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli cultum » præstabis[1]. » Secundo rursus addam : cum Samuël universo populo imperaret, primasque inter prophetas obtineret[2], Saül inter privatos adhuc parietes delitescebat; et dum patris asinas requireret, accedens ad ipsum veluti prophetam interrogaturus de jumentis deperditis, illum adoravisse nusquam compertus est, etsi illius ope indigeret aperteque illi ut populi ductori subderetur. Quomodo igitur, qui tunc non adoravit privatus principem, nunc ex opposito rex privatum adorat? His tertio subnectam : utquid *deos ascendentes* cum audisset, horum neminem adorat; cum vero *virum rectum* intelligit *ascendentem*, tunc eo adorato; humi se stravit? et tamen, ut Origenes nimis audacter determinavit, si Angeli illi vel chori Prophetarum fuissent, ipsi tanquam præstantiores erant adorandi. Igitur his rebus omnibus simul consideratis, facile est intelligere, Saülis a dæmone vexati principem animæ partem cæcutisse; diabolum vero in varias formas mutatum, dum a rege adorari ambit, ut quamplurimos falleret, adorationem sibi astruere voluisse. Hoc sane minime mirum est, nec præter expectationem : nam etsi Christi persona conspecta, quem intus re et operatione Deum, naturaque Dei legitimum Filium videbat, homine puro, incorrupto, nullis sordibus commaculato circumdatum, extra vero, templum pulcherrimum, consecratum, inviolatum, nihilominus ad illum accedens perperam

[1] Matth. IV, 10. — [2] 1 Reg. IX, 14. — [3] Phil. II, 7.

tentabat, suo modo et more pugnam Deo intendens; ubi vero iterum atque iterum contra se ad pugnam provocans, devictus et misere disruptus, nova sibi specie ascita, universum terrarum ambitum et regna ostentare ausus, amentia mendaciisque superbiens jactabat : « Hæc omnia tibi » dabo, si cadens adoraveris me [1], » similes hic impius voces emisit, eo animo ut in iram clementiam ipsam provocaret, quo videretur aggredi imparatum; verum tolerantia malefico dæmoni, ut Deo conveniebat, silentium imposuit; solius quippe Dei est toleranter omnia ferre : si igitur ipsi Domino talia effari parum illi curæ fuit, quomodo manifestum non erit non minus ipso Deo adorationem ambientem illa tentasse? Hoc qui sanæ mentis sunt omnes facile intelligunt, a dæmone per furiosam illam mulierem dementem regem deceptum præter jus sese inclinasse. Examinanda item sunt quæ dictis ordine continuato subduntur. Ut Saül humi procubuit adorato spectro, denuo dolosus ille, Samuëlis forma assumpta, vim perpeti fingit, postea per dissimulationem vultuque mœstiori respondet : « Utquid perturbasti » me, *dicens,* faciendo me ascendere [2]? » Hæc dum simulat, innuere voluit indefinite, dæmonem posse prophetam licet invitum evocare, potestatemque in eum habere. Et modo ita nonnulli cæcutiunt, ut intelligere nequeant omnes qui animo puro sinceroque ea quæ Christi sunt profitentur, in divino nomine dæmonia ejicere; at non ex contrario ab illis invitos missos ascendere ab inferis ac si eis subjecti essent. Verum si quis existimat dæmonium engastrimythi, cum cæteris aliis superius sit, non posse verti in fugam, recurrat ad Actus Apostolorum, et ubi ad loca pervenerit examinet, ut sacer præco Paulus errabundus Philippos devenit; ut vero mulierem nomine Lydiam pietatis cognitione illuminavit, abiit ut preces Deo effunderet. « Accidit *autem* ut

[1] Matth. IV, 9. — [2] 1 Reg. XXVIII, 15.

» puella quædam, *ait*, habens spiritum Pythonis occurreret, » quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando. » Igitur hæc subsecuta Paulum et nos, clamabat, dicens : » Sic isti homines servi Dei excelsissimi sunt, qui annun- » tiant nobis viam salutis. Et hoc faciebat per multos dies[1]. » Sed dæmon invisibilibus flagris cæsus, nolens vi pellebatur ut illas ederet voces. Paulus illius testimonio fidem non esse adhibendam existimans, idque rectissime, ægre ferens dixit spiritui : « Præcipio tibi in nomine Jesu Christi, ut exeas ab » ea[2]. » Rem gestam auctor narrans subdit : « Et exiit eadem » hora. Cum vidissent ergo domini ancillæ quod spes quæ- » stus illorum funditus evanuisset, apprehensum Paulum » et Silam traxerunt in forum ad principes : » qui, illorum calumniis seditione orta, injuriis male habiti plagisque cæsi sunt. Igitur si Paulus spiritum increpans, illico Pythonem depulit ipso ictu oculi, et spiritus potestate verbi aufugit, cum linguæ sonum non potuisset sustinere, dicat in apertum veniens, qui illam sententiam probat, qua potestatis vi una cum Paulo sentientem Samuëlem invitum dæmon evocans ab inferis eduxit? Sed nihil horum, quod verum sit, poterit demonstrare. Ita ut his quoque facili negotio intelligere possimus, fraudulentum illum, dum diceret, « Utquid » perturbasti me[3] ? » Saülem mutata forma allocutum fuisse. Innuebat quippe se non sua voluntate, sed invitum ascendisse, nolentem, necessitate et vi veluti præstantioris imperio coactum missum fuisse. Rex vero illi respondit : « Tribulor valde, et alienigenæ bellant in me; et Deus, ait, » discessit a me, et non exaudivit me ultra, etiam in manu » prophetarum, et in somniis; et nunc vocavi te ad notifi- » candum mihi quid faciam[4]. » Iterum igitur respondendum est. Nonne si spectabilis ille Samuël propheta fuisset, virum in meliorem frugem suis monitis reduxisset? Nonne illi pri-

[1] Act. xv, 16. — [2] Id. xvi, 18. — [3] 1 Reg. xxviii, 16. — [4] Ibid. 15.

mum dixisset : Dic mihi, omnium hominum miserrime : si alienigenæ instructa acie cominus obvallant pugna decertaturi, si Deus discessit a te et penitus non exaudit, neque prophetæ dum pro te legationem subeunt quidquam percipiunt, neque inter dormiendum neque inter vigilandum quid facto opus sit admoneris ; nonne ibi potius terræ procumbens Deum tibi propitium reddere debueras, et eleemosynis in pauperes erogatis peccatorum causas abluere, et non ad vatem engastrimythum confugere, et pro furiosa divinatione pietatis insignia commutare, neque non semel calamitate auctiori opprimere ? An te fugit execranda hæc Deum expressis verbis per Moysen in Levitico prohibuisse : « Non sequimini engastrimythos, et incantatoribus non ad» hærebitis, ut inquinemini in eis. Ego sum Dominus Deus » vester[1] ? » Nonne scelera hæc impia putas Deo adversari ? et similem fabulam agere audes ? Audi quæ sequuntur, Deo ipso oraculi rita super hoc facinore enuntiante : « Et » anima, *inquit,* quæ subsecuta fuerit engastrimythos et » incantatores, ut fornicetur post eos. » Quæ et qualia sunt illa quæ patietur, paucis annexis exponit. « Constituam fa» ciem meam in animam illam, et perdam illam de populo » illius. » Itaque cum primum Deus leges ferens, severius præceptis ab incantationibus et divinationibus inhibuit, miseranda vero obscuraque tormentorum loca contra eos qui talium rerum convicti fuerint, terribilis minatur; nonne qui a teneris, ut aiunt, unguiculis erat Deo consecratus, constans legum observator hæc in primis debuerat accusare ? Sed et qui jam a puero legibus erat instructus, quive legales libros exactissime cognoscere poterat, nusquam errorem requisisset, ne misere fraude decepti, in furiosas nonnulli divinationes raperentur. Sed horum nihil vel dixit vel efflagitavit; neque enim Samuël erat : sed qui hæc omnia

[1] Levit. xx, 27. Deut. xviii, 11.

a prima sui origine machinabatur, sub hæc prophetæ speciem præ se ferens respondit : « Utquid interrogas me? et » Dominus discessit a te, et factus est cum proximo tuo. Et » fecit tibi Dominus sicut locutus est in manu mea [1]. » Hæc igitur velut hostis, simul et descensum simulans affert, libellos accusationis prosequitur. Considerandum utique est quanam ratione, causis in se errores cohibentibus omissis, fingit se simulatione magis petente dicere, cum nihil quod prænotione dignum sit afferat, illa ex arte iterat quæ Samuël, dum adhuc in vivis esset, prædicebat Saüli contigisse, illa ac si facta essent vaticinando prænuntiabat. Sed certe qui ipsi dixerat *Utquid me interrogas?* satis aperte quæ et prius dixerat fatetur. Prima vero illa per ea quæ postea contigere, ac si vaticinaretur, iterum recitat. Origenes e contrario Prophetæ verba, quæ jam olim prædixerat, ad verbum exposita, veluti perfecta et nova vaticinationis oracula discernit; proptereaque Samuëlem evocatum fuisse vult, etsi illum Scriptura palam reprehendat, ut ipse etiam fatetur nonnullis in locis. Porro quid postea, cum regem alloqueretur, phasma addebat? « Abscindet Dominus » regnum de manu tua, et dabit illud proximo tuo David, » quod non audieris vocem Domini, et non implesti indi- » gnationem iræ suæ in Amalec. Propter hoc verbum fecit » Dominus tibi in die hac; et tradet Dominus Israël tecum » in manus alienigenarum [2]. » Si quis hujus veritatem expiscari cupit, ipsius Scripturæ historiam non multo antea pertractatam adeat, tibi enucleate considerato, ubi devicto Amalec spoliorum potissima usurpaverat, indeque tanquam primitias holocausta offerenda esse existimabat; et exquisitiori diligentia scienter et perite re examinata, hæc omnia verba tunc temporis ad verbum Samuëlem prænuntiasse comperiet. Dixit enim : « Et abscidit Dominus de manu

[1] 1 Reg. xxviii, 16.— [2] Ibid. 17.

» ejus regnum[1], » tunc cum a rege apprehensam pallii laciniam scidit. Ad hæc ulterius prædicebat, regnum illius scindendum fore, dandum proximo suo, qui eo melior erat. Prophetavit præterea, qua ratione Israël propter hoc scindendus erat, nec amplius reversurus. His enuntiatis, verba opere ipso confirmabat; non diu enim post divino judicio unxit regem David[2]. Itaque qui per engastrimythum dicitur evocatus, nihil de novo attulit, sed quæ Samuël prius dixerat veluti propria affectabat, fraude ac dolo personam assumens, et artificio probabili iterum repetens, prophetarum more, vaticinari simulabat : sed ut præstigiatores divitum ædes pulsantes, uniuscujusque res olim gestas sedula inquisitione clanculum odorantur, moxque easdem quasi ex improviso canentes, confestim auditores in stuporem rapiunt, iisque in futilem opinionem inductis, de futuris pro libidine mentiuntur; sic et engastrimythi spectrum nova forma inductum, prophetica Samuëlis enuntiat oracula; opinione vero vaticinari cum nihil pro comperto habere videbatur, alienis veluti propriis præpositis exitiosum illum perterrebat, illis facillimo negotio ejus mentem arreptam deprædabatur. Quid igitur aliud his annexum est? « Et tu, *inquit,* cras, et filius tuus Jonathan mecum. Et » castra Israël dabit Dominus in manu alienigenarum[3]. » Sed hæc porro dæmon ac si propria essent asserebat. Prius autem illud discutiendum : Verane, uti ipse existimabat, prædicebat, et utrum consulte an vero casu; et fortuito enuntiabat? præterea an præsagire aliqua possit? Primum quidem, Saülem die sequenti peremptum fuisse, ut spectrum affirmabat, non apparet; quippe si, sermone excepto mœrore invalescente, non comedit panem toto die et tota nocte illa, ut divinæ testantur Litteræ. Post hæc iterum mulier adhortatur, admonetque ut cibum prægustaret, cum

[1] 1 Reg. xv, 28. — [2] 1 Reg. xvi, 15. — [3] 1 Reg. xxviii, 19.


iter aggredi deberet; manifestum est, altera scilicet die post diurnum illud nocturnumque perpetuum jejunium, ipsi humi prostrato persuasisse ut expedite assurgeret, decentiusque sederet in scamno : vitulum vero quem habebat subrumum prompte arreptum occidit, obsonia item instruens, et azymos subigens edulia præparavit; quæ ubi illa optime condita instructaque regi et ejus ministris obtulisset, rex admonitionibus delinitus cibum sumpsit. Necesse est illum, si nocte illinc se foras proripuit, aliis nocturnis horis in suam se stationem recepisse : ita ut jam manifesto mendacii modo dæmon deprehendatur. Neque enim ut ille dixerat, *Cras eris tu mecum*, evenit; cum ibi die sequenti jejunus commoratus fuerit, deinceps altera cibo degustato exercitum repetierit. Neque tantum hoc illum ementitum fuisse, ac aliter quam evenerit pronuntiasse convincitur; sed Jonatham solum una cum patre ad ipsum diversurum dixit : verum narrationis series Saülem cum tribus filiis, et non uno solo, ut ille dixerat, mactatum fuisse asserunt. Igitur prænotionis defectu nihil veri dæmon retulit : neque enim factis ipsis pugnantia enuntiasset, sed a Samuële prius memoratis surreptis, paucis nonnullis, iisque verisimilibus annexis, mortem regi prænuntiat, illius vocibus abusus. Quinimo cum Propheta satis aperte scindendum populum dixisset, ipse castra Israël tradenda pollicebatur. Itaque cum conspiceret paratas belli machinas, ducem populi timore perterritum contremiscentem, ad hæc ab ipso Deo derelictum, quibus princeps conjectura non levi assecutus prophetici oraculi jam finem esse commemorabat, ad præsentes motus orationem convertere simulavit. Quæcumque itaque de suo addidit, illis aperte mentitus est; quippe neque mortis diem, neque filiorum, quorum Scriptura nomina dixit, potuit præsagire. His facile possumus agnoscere nihil proprium, nihil verum

spiritum prænuntiasse, sed Samuëlis verba subfuratum, et ut propria venditantem existimasse se prophetare; et quod præcipuum est, neque ea absque mendacio divinasse. Si ergo et bellorum æstus effusionumque sanguinis fluenta crudelissima præcineret, quis omnium est origo bellorum? Nonne ipse diabolus? Nonne Jobum ipse deposcit? nonne ipsi bellum inexorabile excitavit? Nonne sæpius in varias formas mutatus ipse nuntius simul et testis, et tribunus militum, in hominum viscera pentrans extitit? Sed hæc forma atque figura quamplurimis obscura videtur. Itaque, ordine non inverso ipsa Regnorum historia libri tertii investiganda est. Ibi quippe, ut apparet, Michæas propheta ab Achab interrogatur; sed cum vera fateri cogeretur, palam se Dominum vidisse sedentem super solium suum, deinceps exercitus assistere ei cœlestes, tum a dextris tum a sinistris[1] : cum hac visione, et vocem audisse tradidit hujuscemodi : « Quis decipiet Achab, et ascendet in Remmod Galaad, et » cadet ibi? » tunc subdit, ut mediis silentio obvolutis quæstionem extricem : « Egressus est spiritus, et stetit co» ram Domino, et ait : Ego decipiam illum : » a quo cum peteret Dominus in quo? rursum respondet : « Egrediar, » et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum il» lius. » His potior dixit : « Decipies et prævalebis. Et nunc » jam, ait, egredere, et fac ita. » Quæ cum Propheta Regi narrasset, illico subdit : « Dedit Dominus spiritum mendacii » in ore omnium prophetarum tuorum qui hic sunt, et Do» minus locutus est contra te mala. » Ergo si spiritum hunc, qui mendacii fuit auctor, minime bonum, sed pravum fuisse intelligere necesse sit, sequitur hunc item credendum eum fuisse diaboli instrumentum. Cum autem reipsa illi contigisse pateat, ergo prius audierat quo pacto scelestissimus Achab ad bellum procedens occubiturus esset. Nam ille menda-

[1] 3 Reg. xxii, 19.


cium pro veritate obtrudere voluit, ut belli causam moliretur, impiumque perderet turpius. Ita ut hisce rebus, mala quæ scelestis inferuntur diabolum præscivisse, manifestum sit; cum pessimorum omnium ipse sit opifex. In Saüle vero quidquid e re propria Samuëlis oraculis addens immiscuit, non tantum probabiliter mentitus, sed impie irreligioseque locutus est. Ad primum illius impium dictum vel inde deprehenditur : primum quidem, quod quemadmodum Dominus latroni, qui regni ejus potentiam confessus fuerat, dixit : « Hodie mecum eris in paradiso[1], ita et hic, illorum imitator, Saüli magicis vaticiniis expletis, dolosus artifex enuntiavit : « Cras eris tu mecum, et Jonathan filius tuus[2]. » Secundo, justum ab injusto nihil abesse conatur probare, ut callide piorum conatus atque impetus comprimat. Nemo, ut videtur, plane non novit nullam inter fidelem et infidelem communionem intercedere; necnon rursus, quo pacto qui divitiarum copia profusis marcuerat epulis, longe a Lazari contubernio sejunctus secretusque fuerit[3], quamvis nihil in illum ausus. Sane nihil uspiam reliquiarum aut micarum in pavimentum cadentium exhibuit, sed nec plagis virum afflixerat, nec flagris cæsum alio longius amandarat. Verum cum ambo hinc migrantes vitam commutassent cum morte, hic quidem in sinu Abrahæ generis auctoris quievit, ille perennibus flammis atque inextinguibilibus correptus est. Hic dum in inferis tortus cremaretur, videt a longe progenitorem necnon et Lazarum in sinu ejus; at igne cum arderet, ex animo Abraham rogabat ut ad se mendicum mitteret[4]. Quippe obnixe precabatur ut Lazarus ad eum veniens extremum digiti sui in aquam intingeret, sicque linguam suam roris humiditate contrectata refrigeraret : itaque ignitis cruciatibus male vexatus supplex hæc miser exorabat. Cum porro progenitor

[1] Luc. XXIII, 43. — [2] 1 Reg. XXVIII, 19. — [3] Luc. XVI, 19. — [4] Ibid. 23.



ad postulata respondisset, quemlibet in qualibet parte justas recepisse mercedes, præmii loco tunc temporis subdidit : « Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum » firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos non » possint, neque inde ad nos transmeare [1]. » Si itaque magnum chaos est, quod justos ab injustis sejungit, ita ut qui illic sunt non possint huc transvehi, neque qui hic commorantur illuc adduci; patet manifeste Saülem, qui injustus erat, una cum propheta Samuële non degere. Nam si dives et pauper non possunt simul esse, nulla licet pauperem injuria affecerit neque abegerit tantum non illi prompte quæ ipse habebat ex parte distributis; quanto magis scelestus ac contumax homo indignus est qui sanctorum communionem participet! Sed minime cogitandum id est : infamis certe lucri causa præceptum violavit divinum [2]; a dæmone vero insanabili furore percitus, invidia sanctissimum, nullo decoris atque honesti respectu habito, persecutus est David [3], qui propheticis Psalmorum concentibus ferocitatem in illo debacchantis dæmonis demulcebat; sacerdotes Domini trecentos et quinquaginta numero occisione occidit [4]; defecit a Deo, vaticinationes ac vatum præsagia impie exposcens. Hæc et his similia si confecit, qua ratione credere possumus eum quievisse una cum miraculorum effectore Samuële, qui maximo in æstu nubem impetravit, adeo ut immensa aquarum copia ipsum exundarit [5]? Verum si asserendum non est Saülem cum Samuële degere, omnino mentitus est qui illi dixit : « Cras eris » tu mecum [6]. » Igitur, si qui hæc effatur mendax est, manifestum hunc Samuëlem non esse. Neque enim sic circa tempora Propheta Domini mentitus fuisset. Ita ut ex his sic expositis, multiformis intra ipsum degens bellua appa-

[1] Luc. XVI, 26. — [2] 1 Reg. XV, 9. — [3] Idem, XIX, 9. — [4] Id. XI, 18. — [5] Id. XII, 17. — [6] Idem, XXVIII, 19.



reat. Hic ergo est qui et furiosum Saülem in tartari fauces detrusit. Quare non incongrue illo sibi mancipato fatetur : « Cras eris mecum, tu et Jonathan : » duplici persona commemorata confirmare nititur nunquam justum ab injusto differre; Jonathan cum patre unum et eumdem finem et sortem habiturum, licet illius crudelitati minime consenserit, fatebatur. Quis vero mortalium se non capere simulabit, eum qui optime vixerit, prophetæ David amatorem, et qui nequaquam justum injuste persequi ausus fuisset, eamdem cum persecutore mercedem accipere? Nunquam enim, ut verbo expleam, pro injusto patre mortem obibit filius. Ideoque hoc etiam indicio mendaciorum opifex deprehenditur. Rerum porro gestarum serie non interrupta, auctor subdit : « Et festinavit Saül et cecidit porrectus su» per terram, et timuit valde a sermonibus Samuëlis[1]. » Eos enim sermones Samuëlis esse agnoverat, quos cum adhuc esset in vivis et corpore et lingua prophetaverat. Hæc a spectro delecta quasi propria proferebantur. Quorum cum meminisset rex, et conspexisset satis aperte belli signa erecta, finem imminentem animadvertens, metu fractus ac debilitatus est.

At Origenes sibimet ipsi dogmata effingens, sciens plurimos esse qui hæc determinant ad sua dicta oppugnantes, oratione conversa minime id curæ habuit, ut debito respectu id quod æquum erat conquireret; sed prius engastrimythi fabulam ad omnes pertinere fassus, veritate ad necessariam examinationem invocata, veritatem ipsam palam oppugnat. Deinceps Samuëlis laudibus ex divinis Litteris hinc inde deductis, et recensitis, tunc iterum sub potestate dæmonis illum ponens, hisce verbis syllabisque rem agit : Fortasse tantus vir sub terra erat, et eduxit illum engastrimythus. Habetne facultem dæmon in animam

[1] 1 Reg. xxviii, 20.

Propheticam? Sed hæc quasi hæsitans, vel fortasse etiam interrogans, videtur sibi apud nonnullos aliquando dicere. Verum ut per subsequentes perorationes hæc ita se habere confirmaret, clariore nescio quo clamore obstrepens, et elocutione subjungit : Scripta sunt hæc, ait. Veranc sunt hæc, an non? Illa non esse vera affirmare, in infidelitatem ducit, quæ in dicentium capita, ut ipse dicit, venient. Si vera sunt, quæstionem et dubitationem nobis exhibent. Ad hæc rursus parum caute quæ fert stabiliens, et contrarium sentientium opinionibus expositis, subdit : Et tamen scimus, nonnullos ex nostris fratribus adverso animo Scripturam contuitos dicere, Non credo engastrimytho. Engastrimy-ithus dicit Samuëlem vidisse : mentitur. Plura alia præterea nterserit, quibus aperte increpat omnes qui vaticinationes engastrimythi falsas esse pronuntiant, et maledicta in capita non credentium illi congerit : et nullo negotio facile animis mobilibus se persuasurum ratus, ipsi Scripturæ narrationem impingit, Scripta hæc sunt, dicens, an non scripta sunt? et ratiocinationis vi hæc eadem repetens infert : Verane sunt hæc, an non vera? Tamen Prophetæ animam nequaquam fuisse evocatam dubitationem nobis et scrupulum injicit. At similia dæmoni concedere, quod erit illud scelus? quæ impietas? Nondum hæsitat, neque pura ac mera dementia depravatus animam advertit. Quippe hujuscemodi facultatem præter Deum, animas ab inferis revocandi educendique, nemo alius habet.

Itaque denuo hic respondendum est, hæc quidem in sacris Scripturis contineri, at non ex persona propria id actum fuisse auctorem prædicere. Neque enim liber propheticis sermonibus pugnantia multa simul in unum congereret, ut et prius ostendimus, et paulo infra dicemus. Qui engastrimythi verba et furiosam regis cognitionem operibus ignorantiæ plenam deprehensam designabat. Nam

neque aptum neque congruum erit ita divinas Litteras pertractare; quippe cum ipsæ fateantur diabolum semetipsum Deum aperte pronuntiare. Ideone sola narrationis illius serie illi credendum erit, ac omnia illi deferens, ut ipse Origenes asserit? Id enim in sacris Litteris scriptum habetur. Vel rursum, cum immodica elatus superbia omnem simul mundi hujus machinam vel regna illius sua esse dicat[1] ideone diceret quispiam credendum esse illum rerum omnium opificem esse? At nemo sane id dixerit. Quippe si narrationis ordo futilis illius jactationis verba expressit, at non vera illa fuisse determinat. Neque id ullus uspiam probare poterit. Sed similia his infinita sunt in promptu, quæ in medium afferre minime libet, ne verborum longo circuitu quæstionis nodum effugere videamur. Verum postquam rectissime sentientibus non mediocriter insultasse visus est, iterum non obscure dissimulans, in aliam transiliit sententiam, orationemque oratorie augens, inter alia quæ dicunt, horrendum sane id esse intellectu, inductum Samuëlem præcipua vaticinii dignitate illustratum fuisse apud inferos. Hoc itaque satis aniliter sæpius iterat repetendo, ex aliis in alia auditores impellens, quod fraude deceptos adversos agere conatur. Sed nos de his quæ uno animo omnes recipiunt non dissidemus, verum de his quæ proprie in dubium verti posse cognoscimus. Nam minime disputandum an Samuël fuerit, sed an dæmon talem habeat potestatem, justorum scilicet animas ab inferis evocandi, rursusque transmittendi.

Itaque re manifesta deprehensus blasphemias funditare, audientium aures subdola arte declinat, et ad Christi duntaxat personam confugit, ut ea cum sanctis viris collata, una cum aliis omnibus Christum ipsum ad inferos descendisse demonstret. Sed ubi illud probavit, Ad hominem hor-

[1] Matth. IV.

res, inquiens, dicere, omnem locum ipsius Christi et Prophetarum indigere; et paucis interjectis, Novum horrendum dictu connectis, declarans, licet Christus inferius esset, ut ita dicam, et in inferiori loco, electione tamen et voluntate in superiori erat. De quo, quasi de solo homine loqueretur, nulla illius divinæ naturæ ratione habita, in infima illum dixit devenisse, et si voluntate supra ascendisset, eo ipso modo scilicet quo et cæteri homines. Sic enim, inquit, et Prophetæ et Samuël, tametsi eo descendant ubi degunt animæ quæ inferius sunt, possunt quidem in illo inferiori loco permanere, at inferius voluntate non sunt. Is inani verborum copia profusa, quorum nec modus ullus nec finis inveniri potest, haud intellexit, omnem hominem, licet in miseria alios excedat, ubi ad inferos migravit, superius degere voluntate. Itaque nullus, sive justus, sive injustus, uspiam est, qui non continuo semper teneatur desiderio a subterraneis liberatus ad suprema loca affectandi. Itaque si omnes simul ad inferos devecti, licet vitam rectam ac integram minime secuti sint, supernas semper appetunt stationes voluntate, quam ipse prophetici chori prærogativam agnoscit? quam Domini eminentiam manifestat, cum omnibus similem illum enuntiat? Sic imperite vocem emisit, non intelligens, Verbum esse et Deum, qui non tam voluntate quam divinitatis vi omnia simul penetrat. Et si ante omnia spectabile suum templum ut dissolveretur permisit, post tertium diem nova quadam ratione statim ac excitavit, anima vero illius humanæ habitationis in infimas terræ partes perveniens, portas quæ ibi erant, impetu facto, aperuit, animasque ibi detentas extraxit : sic autem divina corroborata fuit virtute, propter Dei et Verbi communionem, ut omnem in se omnino potestatem haberet. Ego vero credo hujus conjecturam esse minime levem. Cum enim in subterraneos locos pervenit, inde latronis animam eodem

die in paradisum introduxit. Nam si per unum hominem universis mortalibus salus advenit, manifestum fit, animam animas quæ ejusdem sunt generis redemptas liberasse, tum in subterranearum partium chaos accessu, tum in antiquissimam Paradisi stationem restitutione, regni insuperabilis potestate.

His consona Dei Filius, antequam hæc essent, prædicebat : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, » Filius hominis, qui in cœlis est[1]. » Itaque si fatebatur eum qui ex humano genere ortum duceret, solum ex omnibus in cœlum ascendisse, indeque rursum huc descendisse, hicque commoratum in cœlum tendere, patet, animæ vi ac quadam excellentia illa absolvisse. Sancta enim Christi anima cum Deo et Verbo convivens omnia quidem simul lustrat, in ipsum supremum cœlum ascendit, quo nemo hominum pervenit.

Quippe ad hæc elevata est et humana forma, quam Deus et Verbum sustentavit. Verum Dei Filium ubique et repente adesse ipse etiam Joannes testatus est, qui Christum ipsum audivit, ingentique voce clamat ad Verbum : « Deum nemo » vidit unquam ; unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ille » exposuit[2]. » Et tamen, cum hic degeret, corpore ambulabat, dum hos sermones Joannes efferebat, qui, illius verbis exceptis, prædicabat illum quidem in sinu Patris esse, qui super terra una cum ipso corpore convivebat : quomodo non intelligendum est, tunc etiam cœlos ascendere, et dum in sinu Patris degeret, in terra quemadmodum Deum decebat deambulasse, et omnibus simul veluti Deum adfuisse ? Si quis Judaïca laborans cæcitate Evangelicas voces non recipit, ipsi Salomonis oracula adducemus, et sic orationem formabimus : Quippe « cum quietum silentium continerent » omnia et nox in suo cursu medium iter haberet, omni-

[1] Joan. III, 13. — [2] Id. I, 18.

» potens tum Verbum e cœlo a regalibus Thronis, ensem » acutum[1], » sincerum scilicet mandatum tuum ferens, « stans, mortis omnia replevit; et cœlum quidem tangebat, » pedibus vero calcabat terram. » Si itaque unigenitus Filius Dei coæquale ipsius Verbum, per quod Angeli facti sunt, et cœli, et terra, et mare, et profunditates, et luminaria per cœlum errantia, et, ut uno verbo dicam, rerum omnium creatarum constitutio, Deus denuntiant; hic justo judicio cœlitus omnibus mentem dans meliorem thronum perpetui regni obtinet, et celeri sententia punit injustos : quin opere et actione, cum sit omnipotens ut Deus et Dei Verbum, cœlum tangebat, eodemque tempore ambulabat in terris, Divinitatis scilicet potentia omnia replens. Ergo si talem retinet naturam, impii quidem sunt qui inconsiderate existimant, loco locique aliqua parte determinata divinitatem circumscribi.

Et ignorantia potius quam mente moderata inconsiderate Origenes loquitur, dicens, Christum, dum ad infimas terræ partes pervenisset, voluntate superius commoratum fuisse. Non enim intellexit quod, cum is esset Deus, sic voluntatis affectu, ut videbatur, et desiderio fuerit superius, qui divinitatis operatione omnibus omnia ubique quantum fieri potest compleret. Sed concedamus hæc de Christo illum sentire, qui Prophetarum animas a dæmone evocari decernit. Pythomantis ut sibi similes venire dæmones intuita est, veluti quosdam ex eodem ventre fratres extollens, qui ab eadem sunt nati matre, clamat, *deos* conspexisse *ascendentes e terra*[2]. At grandiloquus ipse Origenes non dubitavit dicere : Dæmonium non tantum Prophetæ animam eduxit, sed, num et aliæ una simul ascenderunt animæ sanctæ Prophetarum? Porro cum illi tanta dementia non esset satis, Angelos item definit simul ascendisse cum illo-

[1] Sap. XVIII, 14. — [2] 1 Reg. XXVIII, 13.

rum spiritibus. Dixit quippe egentium salutis causa illuc advenisse. Itaque, ut apparet, maxima spe Angelos et Prophetas, totum denique sanctorum simul chorum excitat.

Primo illud decernens, eos sub potestate dæmonis esse; secundo exponens mænadis mulieris opera illuc eductos, veluti captivos conductos, ut laborantibus mederentur. Quare non minus quam illa mente læsus enuntiare videtur. Sic enim se habet : misere sanctis hominibus insultavit; Angelorum item ordinem, qui per cœlum volant, male tractare non est veritus. Vel saltim aperte dicat, qui sententiam hanc defendit, undenam habuit e terra Angelos, in cœlis commorantes, ascendere. Neque enim hi descenderunt in infernum secum liberatrices ferentes captivis emissiones, sed Christus, qui ex hoste raptum victor sibi erexit trophæum, et captivorum præda parta, corpore ipso ad cœlos sublimis ascendit. Verum Angeli Deo jugiter præsentes, cultus debitos persolvere conantur, nec inferos habitant. Sed Origenes, ut videtur, hæc se non percipere simulat, ut superstitiosas inculcet præstigias. Præterea, qui omnia Scripturæ verba allegoriis exponere ausus est, hoc solum ad litteram tradere non erubescit, per simulationem et veluti ex oraculo determinans; nec etiam de ipso corpore recte judicans.

Quinimo de paradiso quem Deus in Edem plantaverat[1] verba faciens, necnon qua ratione ligna fructifera germinarunt enarrare tentans, inter alia subdidit : Cum legentes a fabulis, inquit, serieque quæ secundum litteram est, gradu facto ascendimus, quænam illa ligna sint quæ Deus colit quærimus; dicimus, in eo loco ligna quæ sensu accipi possunt non reperiri. Hæc cum per translationem exponat, non horret fabulas appellare quæ Deus creata perfecisse traditur, fidissimusque ejus servus Moyses scriptis consignavit.

[1] Genes. I, 8.

Et ex opposito, ea quæ fabula in ventre effingit, et obscure insonat, ac si dogmata essent programmate stabilit, vera esse demonstrans. Et verba engastrimythi a Spiritu sancto dictata contendens, ea, ut sibi videtur, ascribens vult immota permanere; divinis vero oraculis a Moyse traditis fabularum nomine insignitis sensum invertit, litteræque traditioni non vult ut quis animum intendat.

Nonne item ab Abraham puteos effossos [1] aliaque ad eos pertinentia allegoriis exponit, tantaque sermonum copia in immensum protracta, omne de illis negotium disterminat in aliam sententiam translatum, licet ad hæc usque tempora in regione illa oculis conspiciantur? Nonne Isaac et Rebeccæ res gestas [2] immutavit, inaures et armillas sermones esse aureos dicens; et universum denique argumentum per vim distortum, ad ea quæ animo cernuntur et ratione intelliguntur traductum, cavillationibus deturpavit? Porro de Job, qui multa passus est, commentarios edens, non admiratur tolerantiam, non extollit labores, non commendat virtutem, non probat fidem, non fortitudinis animi exempla describit, non tyrones milites magnitudine animi vigoreque prudentiæ ad virtutem hortatur, non armat certatores ut fortiter pro pietate pugnent; sed hæc omnia prætergressus, sublimi dicendi modo filiarum nominibus exponendis [3] aniliter multa sane consumpsit. Verum quæ de Diei nomine, et Cassiæ sive Cornucopiæ nugatus est, hic commemorare difficile est; multiplici namque scatent futilitate. Ad Lazarum accedo [4]; cum debuisset Christi ingens opus magnifacere, illoque palam demonstrare Deum esse qui mortuum jam fœtentem e monumento auctoritate evocaverat, et verbi emissione corpora tumefacta animaverat; his omnibus silentio involutis, Lazarum amicum Domini, quem non abs re propter virtutem diligebat, in peccatis laborantem et mor-

[1] Genes. XXI, 25. — [2] Id. XXIV, 22. — [3] Job XLII, 14. — [4] Joan. XI, 43.

tuum transtulit : quæ nemo de justo aut dixit, aut dicta scriptis mandavit. Neque enim eum tam valido amore Dominus prosecutus fuisset, nisi vitæ ratio quam profitebatur divina fuisset. Neque minus his dum lapidationis factum speculatur, illud etiam ac si per tropos factum in aliam sententiam educere obnitens, in Evangelicis verbis mire mentitur. Licet, inquit, multum perscrutati fuerimus, nondum invenimus in his quæ scripta sunt, Judæos arripuisse lapides ut in illum injicerent; et paucis additis : Nam si iterum assumpserunt, prius assumpserunt : vult autem tum in superioribus, tum in inferioribus, nil tale præcessisse, ut probet verba, sed non lapides assumpsisse perperam in illum. Et tamen Evangelista prius dixit : « Tulerunt igitur » lapides, ut jacerent in illum[1]. » Quæ ubi scripsisset, centum triginta quinque versiculis interjectis, subdit : « Sustule» runt itaque Judæi lapides, ut lapidarent ipsum[2]. » Hæc quidem duplici loco descripta sunt, diversisque temporibus gesta apparent, quod non habeant eosdem verborum nexus vel conjunctiones. Sed Origenes ipse, qui se Scripturas omnes tenere existimat, hæc scribens, non cognovit textum id Evangelii totum scriptum ad litteram. Porro si quis hæc nos effingere existimat, sententiis Evangelicis perlectis, illiusque in eas commentariis, ab omni nos abstinuisse mendacio comperiet. Quid inde opus est ultra progredi ? Omnia, ut verbo expediam, allegoriis ex nominibus desumptis exponit; rerum argumenta de medio tollit : neque illud percipiens, multas esse justorum et injustorum easdem denominationes, neque fieri posse ut diversæ vitæ rationes ab uno nomine similiter dijudicentur. Est itaque Judas proditor, et alter Judas Apostolus; vel rursum Zacharias rex injustissimus, et Zacharias alter propheta. Et qui in fornace ignis injectus est, Ananias vocabatur; alter est præter hunc Ana-

[1] Joan. VIII, 59. — [2] Id. X, 31.

nias, qui Ecclesiam persequebatur, cum ipse potius persecutionem pati debuisset, imperabatque ut flagris cæderetur Apostolus[1], cui in faciem ad verbum Paulus sic respondit : « Percussurus est te Deus, mure dealbate ; et tu sedes, et » judicas me secundum legem, et contra leges me jubes » percuti. Igitur si nomine res ipsæ discernuntur qui similibus tropologiis incumbunt, dicant qua methodo diversas scientias aut vitæ rationes ex eodem nomine explicant. Multi scilicet in hunc diem Progenitorum aut Prophetarum nominibus insigniti Judæi jus violant, et impie vivunt ; multi item et apud gentes Petri et Pauli nuncupati nefarie rem suam gerunt. Itaque futilitas levitasque sermonum Origenis, non minus per hanc vaniloquentiam deprehenditur. Quæ porro resurrectionis causa male sentiens intrudit, publicare non est præsentis negotii ; Methodius enim sanctæ memoriæ in illud quæsitum satis abunde scripsit, aperteque ostendit hæresim affectantibus ansam præbuisse male sentiendi, in specie, non ipso corpore resurrectionem fieri determinans. Ipsum vero allegoriis omnia invertisse, pravæque opinionis ubique semina ingessisse facile cognitu est ; sæpiusque hinc inde eadem revolventem ac repetentem, totum orbem immodica vanaque loquentia implesse. Hac duntaxat methodo ex more omnia ubique allegoriis infarciens, tantum engastrimythi verba figurate extricare non potuit, neque ipsa rerum gestarum consequentia in lucem veritatis proferre. Quid præterea attulit religione sibi subterfugia fingens ? Cum spectrum Saüli dixisse videretur, « Abscindet » Dominus regnum de manu tua[2], » his probabiliter dicens subintulit, non opus esse intelligere, dæmonium de regno Israëlitarum vaticinatum fuisse. Jam superius dicebamus verba ad Samuëlem prolata dæmonem suffuratum fuisse, ut amente Saüle decepto ex propriis sermonem texere vi-

[1] Act. XXIII, 2. — [2] 1 Reg. XXVIII, 17.

deretur : at hic simulat similes diaboli conatus non habere compertos. Ut ergo vaticinari videbatur dementis regnum abscindendum, tunc adjunxit : « Et dabit illud proximo tuo » David. » At polyhistor Origenes hic motus dixit : Dæmonium non potest agnoscere regnum David divino suffragio destinatum. Mihi hic subest admiratio, quonam pacto apud plures sani consilii gloriam, ac si prudens simul et in sententiis ferendis optimus esset, assecutus sit. Igitur si regnum esset obscurum, forsan non incongrue se illud aliquo modo nescire dissimulasset : cum vero de illo testatus sit Deus, Davidque a Samuële unctus, et semper in bello primas ferens, regis gener sit effectus, ita ut huic quidem tripudiantes myriadas, Saüli chiliadas decantarint ; si hæc et his similia manifestarant, quid mirum aut præter expectationem erit, si divino suffragio per Prophetam munitum dæmon agnosceret? Nam si verum dicere velimus, non intelligendum illum solum corporea cognoscere, quemadmodum olei usus, cujus effusio tactus sensu percipitur. Sed nullus ambiget, hæc omnibus manifeste innotescere. Addam vero quod excedit cætera : si hæc manifesta non essent, quodnam majus est, ut simul conferamus, regnum David per olei unctione agnoscere, an Prophetarum animas ab inferis eduxisse? Et tamen illud de potiori persona commonstratum est. Nam a Christo dæmones torti inviti clamant his verbis : « Quid » nobis et tibi, Fili Dei? Venisti ante tempus delere nos[1]. » At animas ab inferis evocandi, et cœtus Angelorum, qui per cœlum volant, eumdem in locum convocandi, reipsa tantum Deus et divinissimus ejus Filius potestatem habet, præterque eos nullus omnino. Si itaque invisibile Dei regnum, ac sancto Spiritu Unctum agnoverunt, nonne multo magis scire poterant regnum David per visibilem unctionem visibilemque commorationem? Verum res gestas et

[1] Matth. VIII, 29.

in Scripturis descriptas de Davide perditissimus non vidit, qui Dominum corpore circumdatum aggressus audacter dixit : « Si Filius Dei es, mitte te deorsum; scriptum est » enim : Angelis suis mandavit de te, et in manibus attollent » te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum[1] ! » Igitur si ex divinis Litteris colloquia nectere fingit, scit quæ scripta sunt, tametsi prave; quæ si cognovit, profecto regnum David non ignorabat, quod divinis Litteris erat scriptum ita ut ea quæ scripta sunt dæmon pronuntians, nihil omnino vaticinatus sit. Sed multi nominis Origenes, cum non haberet quid diceret, ad hoc artificiose confugit, aliunde argumentis excogitatis : Ego sane, inquit, tales dæmoni vires concedere nequeo, ut de Saüle et populo Domini vaticinia edat, item de regno David, illum scilicet regno potiturum. Sed dicet quispiam : O omnium stolidissime, illi vaticinia negas, et Prophetas ab inferis educere, cœtusque derepente Angelorum, quod majus est diviniorisque potentiæ argumentum, concedis? quis ita infirme aut exiliter rem intellexit? Næ ego potissimum responderem, dæmonem, ut et antea demonstravimus, nihil vaticinatum fuisse, qui licet prophetia non indigna collocutus fuisset, non ideo tamen existimandum erat spiritus et justorum animas ab inferis evocasse. Etenim et Caïphas cum de Christo prophetasset, dixit : « Expedit ut unus homo moriatur pro populo, et non » tota gens pereat[2]. Hæc autem non dixit ex semetipso, » ut scitissimus tradidit Joannes; « sed cum esset pontifex » anni illius, prophetavit. » Si hic, qui contra Dominum sententiam injustam tulit, tamen non a semetipso vaticinatur, sed motus duntaxat ab alio coarguitur : neque ergo si quis alius idem effecerit, ideo propterea divinioris esse naturæ censendum. Neque sustinendum est si dicant præstigiis diabolicis animas ab inferis, exercitusque Angelorum,

[1] Matth. IV, 6. — [2] Joan. XI, 50.

ut videtur, veluti Deum, eduxisse. Attendenda quippe sunt quæ his prophetis præcipiens Moyses in Deuteronomio effatus : « Si surrexerit in medio tui propheta, seu somnium » somnians, et dederit tibi signum vel prodigium, et eve » nerit signum sive prodigium quod locutus est ad te, di- » cens, Eamus et colamus deos alienos quos ignoratis; non » audietis verba prophetæ illius, *ait,* aut somniantis som- » nium illud, quia tentat vos Dominus Deus, ut palam fiat » utrum diligatis Dominum Deum vestrum[1]. » Verum hic dualitatem Patris et ejus unigeniti Filii repræsentans, alterum quidem Dominum tentantem appellat, alterum esse Dominum item et Deum dilectum; ut hoc numero binario unam Deitatem probaret, veramque Dei generationem. Si propheta ille qui signum aut portentum ostendere promiserat, omnibus modis abjiciendus est, ideo quod nefarium idolorum cultum introduceret, licet signi potentia præcesserit; quanto magis dæmoni qui ab inferis spiritus justorum evocare pollicetur, nulla fides est adhibenda? Nemo præterea quamvis impius diceret, illis oracula consulentibus, Deum tentantem impium suscitasse Samuëlem, ut factum postea subsecutum dæmonis promissioni ascriberetur, eoque nomine per fraudem deleret aliquos. Nam omnino cavendum erat, ut legum lator mandaverat, a vaticinii scelere. Annon auguria eorumque causas execrandas putas? nonne vaticinationes engastrimythi et sortium symbola? Audi quæ paulo prius iterum præceperat : « Si introiens » in terram quam Dominus Deus tuus dat tibi, non disces » facere secundum abominationes illarum gentium, non in- » veniatur in te qui lustret filium suum vel filiam suam in » igne, et vaticinans vaticinia et mittens sortes, et augurans » incantationibus incantationem ventriloquus et portentorum » inspector, et interrogans mortuos : est enim abominatio

[1] Deut. XIII, 1.

» Domino omnis qui facit hæc [1]. » Post hæc innuens etiam alienigenis propterea mortem et internecionem minari, statim subdidit : « Propter enim tales abominationes Dominus » exterminabit illos a te. » Manifestum itaque est, engastrimythi vaticinationem cum cæteris idololatriæ causis conjunctam esse. Ita enim in febribus internæ sordes morbum incendunt, vitiososque humores exacuunt adeo, ut ex tumore et corruptione plerumque pestem inferant. Et dum portentorum inspectiones tristes visiones vocavit, quæ per engastrimythos factæ historia traduntur, probavit in illis nihil veri contineri. Ideo, ut existimo, rursus in Levitico atrociorem contra eos sententiam dixit, his ipsis verbis peractam : « Et vir, aut mulier, si facti fuerint ventriloqui vel » incantatores apud vos, morte moriantur, lapidibus illos » obruite, rei sunt [2]. » Quid hic igitur dicent qui novas Origenis sententias amplectendas esse contendunt? Utrum veluti pessimorum artium operatores engastrimythos jubet occidi, vel e contrario bonorum operum præceptores? Nam si impiorum sunt auctores facinorum, jure legum lator detestandos, qui nihil veri pronuntiant, eliminat : sin optimarum actionum magistri sunt, frustra in eos lex animadvertit. Quippe si ab inferis animas educunt, quæ cum huc advenerint futura prædicant, necessaria indigentibus utiliter suggerunt; injuste ergo lapidibus obrui benefactores legum lator præcepit : ita ut unum ex duobus necesse factu sit, aut has voces tanquam inutiles abjicere, vel engastrimythi verba tanquam falsa atque vana criminari. Sed quid dicemus? Pugnantne inter se sacræ Litteræ? an una sententia multis adversatur? Si quæ tamen inter eas controversia est, potiori earum parti palma danda est. Et tamen contrariæ omnibus sententiis in engastrimythorum condemnatione, tanquam eorum, qui impie agunt, con-

[1] Deut. XVIII, 9. — [2] Levit. IX, 27.

currunt. Nec minus præterea in quarto Regum relatum est Manassem impietatis excessu, præter justorum neces, omnibus rebus quæ idola præ se ferebant servivisse : « Fe- » cit sibi ipsi, *ait*, engastrimythos et gnostes[1]. » Ex altera vero parte, qui justitiæ laude illuxit Josias rex, omnes simul manufactas statuas dejectas, igne consumptas delevit; inter cætera et id memoratu dignum egit : « Sustulit, » *inquit*, ventriloquos, et gnostes, et theraphim, et idola, » et carasaïm[2]; » et paucis interjectis, ea combussit, veluti nefaria. Itaque si utriusque scriptionis unus est auctor, in quibus duorum regum vitas scripsit, horum alterum injustum fuisse ait, quod præter alia ventriloquos induxerit; alterum laudibus extollit, quod divino zelo excitatus ventriloquos præ omnibus inimicis deleverit. Hæc si ita se habent, patet non sibi adversantes voces emisisse. Neque Spiritus sanctus dixisset Samuëlem ascendisse, sed engastrimythi referebat sermones, illam uti sibi videbatur atque opinabatur magnifice se jactasse, spectris, quæ tantum imaginatione obscure deprehendebantur, regem spe bona extollendi. Neque enim sibimetipsi aliisque Scripturis omnibus adversaretur. Neque tantum hæ auctoritates ista damnant, sed præter has alius item testis fide dignus, Esaias propheta, calculum addit ; hic quidem similes abominationes execratus, hæc subdit, ut ita sentiant rectissime adhortatus : « Et si dixerint vobis, Quærite ventriloquos, et » eos qui a terra clamant, qui vane loquuntur, vel e ventre » dicunt, Non est gens ad Deum[3]. » Ita paucis additis : « Quid quærunt de vivis mortuos ? legem quippe in auxi- » lium dedit, ut dicant, Non sic ut verbum hoc, pro quo » non est dare munera pro eo, » clara sanctaque voce genus omne ventriloquorum explosit. Et si vaniloquum similem concessum declaravit, sine dubio demonstravit, horum

[1] 4 Reg. xxi, 6. — [2] Id. xxiii, 24. — [3] Isai. viii, 19.

neminem ullam unquam omnino proferre veritatem, sed mendaciis, iisque inanibus ingestis fraudes componere, levique ac frivolo sermone indoctis imponere. Quare non incongrue illis exprobrabat qui de vivis mortuos interrogant: ipsi enim vaniloqui cum mortui sint, et cæci, mortuorum voces deferre se simulant; contra quos testimonium dicebat Propheta, clamans, legem jam de his fuisse latam, ne inani sermonis dicacitate subducantur, quemadmodum et hi qui talium rerum sunt auctores. Est enim firmissima legis custodia, cœleste auxilium implorare, et non e rebus terrenis in ipsis subterraneis animum figentes, opem emendicare. Sed qui omnes jam Scripturas interpretatum se esse existimat Origenes, hæc testimonia ignorare simulat, neque uti decet usurpat, sed quæ ad propositum minime faciunt infarcit, iis præteritis quæ natura sua congruebant. Quod si ignorantia, stolide quidem, ut videtur, effecit, si malignitate negotium audacter obivit; quin cum ambiguus et anceps dixisset: Quid igitur facit ventriloqua? Hic, quid igitur facit ventriloqua circa animæ justi eductionem? sermonis dubietate sublimiter effugit, quod ipse fecerat aliis donans; totum vero Scripturæ attribuens Samuëlem eductum fuisse confidenter asseverat, at non secundo audet repetere, Quis ipsum eduxit. Ego porro existimo pro prima interpretatione, a rectissime semper sentientibus reprehensum, secunda expositione cum responderet, dixisse observatum, engastrimythorum. Deinceps subdit scriptum, engastrimythum aliquem eduxisse, itemque Saülem Samuëli dixisse litteris proditum esse: his similia complura inani verborum ambitu iterum atque iterum repetitum denuo infit: Non autem enuntiavit si volens ascendit. Non enim habes, inquit, textum, si eduxit illum engastrimythus. Si minus, Scripturam percurrens, aliquis me reprehendat: Igitur ex adverso reprehensus aperte negavit quæ prius sentit incon-

siderate; ibi enim determinavit Scripturam potius dixisse, non mulierem : *Quem evocabo tibi?* Hic manifeste convictus, oblivione accusationem vitare studuit. Sic ubique sibi adversantes opiniones exponit, quemadmodum et hic perperam inter opinionum pugnas, ac turbas, criminis actionem coactus fuit effugere. Quando igitur vi quadam adductus, mulierem Prophetæ animam non evocasse fassus est, dicat quis eam eduxit. Ipse enim in eo firmiter stetit, evocatam tantum eam tradens. Ipsa itaque sola pythomantis erat, et Saül exorator illius, ut Prophetam educeret. At hic nequaquam erit auctor fabulæ; neque enim noctu ad illam deveniens engastrimythum precaretur. Si vero factum subsecutum est, nulli alii quam engastrimytho opus ascribi debet. Ita ut ex his duobus unum affirmare necesse sit, vel hoc nunquam omnino opere præstitum fuisse, vel ab engastrimytho et dæmone hominem rectum eductum fuisse. Nonne qui religione voces proprias dum negare videtur, diversa methodo eamdem opinionem fraudulenter obtrudit? Sed perorationem, qua se defendere videtur, mendacium, ac si veritas esset, inculcat. Neque illi pudorem incutiunt tot tantaque legum latorum decreta, consona Prophetarum testimonia, reliquusque seriei historicæ unus ac idem consensus. Quin sanctissimis oraculis prava ratione perversis, libere engastrimythi verba confirmat, recentiora idolorum cultus instrumenta decernens, quæ plagiaria dæmonum vaticinatione obtrudunt. Ipsum nomen compositum persuadet, quanam in parte versatur. Engastrimythus enim interpretatur a ventre et fabula, quasi fabulam in ventre confictam demonstrans. Compositio fabulæ intra ventrem probabiliter, quemadmodum et tentoria efformata, non veritatem, sed mendacium aperte pronuntiat. Multo melius itaque qui varia periti sunt lectione noverunt quodnam illius genus : qui non modo ille superstitiosis præstigiis apprime deditus,

gentium superstitiones clanculum introducit. Nihilominus inde etiam paucis ejus stoliditatem, uti par est, reprehendere, omittendum non est. Etenim rhetoricæ artis traditiones satis commode exponunt, fabulam esse fictionem quamdam cum delectatione, ad aliquem vitæ usum necessariam. Fictio vero dicta est, quod, ut omnes æque fatentur, conficta sit ; neque enim fabula diceretur, si reipsa gesta fuisset. Quare si fabula rei fictæ ex improviso compositio est, re quidem ipsa longe abest a veritate; at rerum ratione materias suppeditando repræsentat actione destituta. Quippe quæ non sunt, verisimilitudine, quasi essent, proponit, narrationeque imitationem confictam introducit; res itaque quæ non subsistunt, formis atque figuris ornatas, nulla suffultas firmitate, quoad fieri potest stabilit. Mihi vero videtur fabulæ confictio nihil ab inanimatæ umbræ delineatione differre. Ad similitudinem quippe tabulæ lineis ipsis designatæ, et pari æqualitate argumento, in unam partem respiciens personam confingit, imitationeque res ipsas lineis inductis figurat, et in omnibus in æqualitate numerum observat potissimum; sicque ortus et fines bellorum non dissona basibus pingit, labia loquacia, vocum proprietates, planctus, aut conciones principum, convivia, saltationes, furores bacchicos, mysteria, ebrietates turpissimas, petulantias amatorias, prædonum direptiones, deploratas cædes, clades enormes, paupertatis simulationes, divitiarum affluentias. Decenti igitur oratione notas apponit, et personarum fictione ad actiones similes, quæ viros decent, designat. Fabulatores quippe floridis vocibus selectis varias colorum species adhibent, complicantque personarum fictioni. Deinceps orationis suavitate adumbrantes, omnem quidem fabulæ narrationem expediunt. Et veluti signorum pictores aspectus pulchritudinem, rubeis floridisque coloribus, ac si cera pingerent, distinguunt; verbis item, figurisque dum nu-

merum accommodare coguntur characteribus pinguibus, veritatis causa quasi compedibus vinciunt. At hi quidem hac ratione fabularum imagines exornant. Hinc musica quædam harmonia constituitur, at poëticæ imaginationis inventio. Itaque Plato interrogatus, musicæ quidem « orationem » esse determinat, *dicens :* Orationis autem duas esse spe» cies, unam veram, alteram falsam; in utrisque vero insti» tuendum [*civitatis custodem*], sed primum quidem in » mendaciis. » Prius quippe dixerat pueros fabularum cantu deliniri. Itaque, « In unaquaque re maximum est, atque » præstantissimum principium, potissimum vero juveni et » tenero cuilibet; tunc enim maxime formatur et induci» tur figura ejus rei quam quis unicuique imprimere atque » obsignare velit. » Quibus dictis illud conatur ostendere, minime esse necessarium immodicis purisque mendaciis juvenum animos occupare; cum, quæ puerulis recentioribus pravæ opinionis notæ imprimuntur, vix divelli aut aboleri possint. Quapropter ratione non interrupta, subdit : « Adeo» ne facile permittemus, quaslibet fabulas a quibuslibet pro » arbitratu inventas audire pueros, easque animo suscipere » opiniones quæ ut plurimum sunt iis contrariæ quas, ubi » ad constantem ætatem pervenerint, habere illos debere » arbitramur? Nullo id quidem modo, *dixit,* permittemus. » Primum quidem constituendi sunt fabulatoribus illis cen» sores, qui, si quam illi bonam fabulam fecerint, excernant » atque seligant, malas autem repudient eodem illo judicio » atque examine. Quas vero fabulas e cæterarum numero » exemerimus, dabimus operam ut et nutrices et matres » pueris eas commemorent; ut illis fabulis potius informen» tur atque instituantur eorum animi, quam corpora mani» bus curentur. At ex iis quas nunc commemorant, multæ » erunt repudiandæ. » Deinde cum de earum pro ratione differentiis interrogaretur : « In majoribus, *dicebat,* fabulis, et

» minores videbimus. » Cum rursus Adimantus eas se non intelligere innuens quæreret, subintulit : « Quas et Hesiodus et » Homerus nobis commemorarunt. Hi enim falsas quasdam » fabulas effinxerunt, quas hominibus proponerent, et quæ » jam olim invaluerunt atque etiam nunc obtinent. » Itaque si Homeri carmina atque Hesiodi fabulas, easque falsas fatetur, quæ potissimum eruditionis causa auditores delectant, quin et dictionis ornatu mentem ad perfectam eloquentiam excitant : quanto magis sermones illos quos fanatica mulier effutiit, malas fabulas esse, easque fallaces fatebitur ? quando et engastrimythi nomen ipsum hoc prædicat. Græci enim, et qui nominum cujusque rei impositionem accurata exquisitaque diligentia examinant, in ea lingua fictiones falsas μύθους, id est fabulas, appellant. Sequitur ergo rem ipsam, ex nomine quo proprie nominatur, conspicere. Æsopi quidem ludicra similes præ se ferunt fabularum fictiones, quas pueri in ludis facete urbaneque jocando recitant, et anus Corybanthum more insanientes garrulo sermone decantant. Quandoque etiam dum hæc agunt, larga vina gutturi fundunt, calicique et potioni intentæ mirum quantum blaterant. Qui vero philosophiæ mores apprime profitentur, et veras Musarum cantiones veluti falsorum fabulamentorum species, uti par est, accusabant. Si nomen itaque ipsum recte de re ipsa positum est, engastrimythum, utique hæc engastrimythus efformare videtur. Neque enim a naturali sanaque mente loquitur, sed in intimis visceribus dæmon diversans, mentem ipsam depascitur et lædit, et ex ventre fabulosas fictiones componens strepitum edit, necnon in varias commutatus formas variis spectris seducit animam. Quando vero multis formis, ipse multiformis cum sit, varietur, non minus et nunc e terra ascendere se simulat, et clamat; et ad ministerii bina membra figuris commutatis, alium quidem as-

cendentem, ab eo qui in vocante est, videtur ob oculos exhibere. Idem vero huc illucque discurrens species mutat, ut factis sermonibusque ostendat se esse mendacem. Simulat itaque personas ipsas mortuorum educere, ut ex rei gestæ serie videre est. Et cum tetrico vultu tristia spectra ficte inducat, universaque mœsta mortuorumque putore plena ostendens, quasi ab inferis evocata horride repræsentat, et veluti a carcere vinculisque soluta, non diu post rursum ex hoc loco illuc transmeare. Quinimo et visis ipsis terrore percutit animum, pallidas formas fingens, et oculos horrendos atque demissos, quales mortuorum esse solent qui jamjam animam efflare videntur. Nam similium rerum fictor per simulationem terribilibus omnibus sese accommodat. Quandoque etiam non dissimilibus sui dæmonibus ad opus ascitis; sed neque Prophetarum animas, neque justorum spiritus, neque dignitates Angelicas ab inferis educit: quin ex adverso ab Angelis deprimitur, datusque est optimis viris ut ab illis conculcaretur humi effusus disruptusque. Sed hic a supremis illis raptu violento deletus, terga illisit. Solius vero Dei omnipotentis est, ejusque divinissimi Filii animas ab inferis educere, cœtusque Angelorum ordine adstantes habere, quod divinæ naturæ proprium eximium ac singulare est.

EUSEBIUS,

CÆSARIENSIS EPISCOPUS.

CONTRA HIEROCLEM LIBER.

CONTRA MARCELLUM LIBRI DUO.

CONTRA MARCELLUM, DE ECCLESIASTICA THEOLOGIA
LIBRI TRES.

QUATUORDECIM OPUSCULA.

EUSEBIUS CÆSARIENSIS.

(ANNO 340.)

GRÆCUS.

Eusebius, Pamphili presbyteri Cæsariensis[1] ac martyris non filius, nec servus, sed amicus ita singularis ut ab eo nomen tulerit, frater vel consobrinus Eusebii Nicomediensis[2], natus circa annum 264, ut videtur, in Palæstina, vel ibi saltem educatus, Dorothæum Ecclesiæ Antiochenæ presbyterum, de sacris Scripturis disserentem, non impiger discipulus audivit. Exinde ab Agapio Cæsariensi episcopo in clerum assumptus, ita huic Ecclesiæ fideliter adhæsit, ut ingruente persecutionum tempestate, a doctrina et exhortatione martyrum, inter ipsa custodiarum claustra, minime cessaverit. Cui pietatis officio cum perseveranter instaret, captus ipse et in carcerem missus, redemptæ per oblatum idolis sacrificium libertatis suspicionem tulit; non satis quidem merito, utpote qui tam graviter lapsus non potuisset ad episcopalem dignitatem assurgere.

Quo in munere Agapii successor an. 315 consecratus, Arii primum partibus adversus S. Alexan-

[1] Agitur de Cæsarea Palæstinæ, quæ prius *Turris Stratonis* appellabatur. Hinc sæpius Eusebius ab Hieronymo vocatur Palæstinus, ut facilius ab Eusebio Cæsareæ in Cappadocia oppidi episcopi discerni possit.

[2] Eusebius Nicomediensis Arianæ causæ nimis addictus, symbolo Nicæno tamen subscripsit, sed mala fide, ut eventu compertum est. Depositus et in exilium missus, nec ita multo post revocatus, in S. Athanasium rursus debacchatus est, et Constantinopolim translatus, cum bene merito Ariani nomine migravit ad Dominum, cui *sine fide placere impossibile est.*

drum Alexandrinum patrocinatus est, nec ab ejus erroribus in scriptis satis alienus reperitur. In concilio nihilominus Nicæno impugnatum primo *Consusbtantialis* vocabulum non solum amplexus est, sed ad populum Cæsariensem scribens, cur illud amplectendum credidisset exposuit. Magna de fidei ejus sinceritate disputatio; nec inficiendum est plura in operibus occurrere quæ durius et parum commode dicta videantur. Fatendum est etiam non facile excusari posse agendi vel potius scribendi rationem, qui neque in Historia Ecclesiastica, neque in Vita Constantini Magni, tam celebrem illam Ecclesiæ pugnam narrare dignum judicaverit; qui de concilii Nicæni gestis ita loquatur, ut nullam fere aliam quam Paschatis quæstionem ab eo solutam suggerat; qui rescriptis Constantini adversus hæreticos legibus, mandatum illud, quo Arii scripta igne comburenda damnabantur, silentio prætermiserit; qui denique relato Tyri concilio, ne unum quidem verbum emiserit de S. Athanasii causa, licet illius congregandi primum fuerit objectum. Fatendum denique illum a veteribus plurimis et doctoribus et conciliis vehementer tanquam hæreticum exagitari, cum a S. Athanasio *Arianæ causæ* procul dubio ita *suffragasse* incusetur, ut « non veritus sit palam di-» cere Christum non esse verum Deum ; » (S. Athanas. in tract. de Synod. Arimin. et Seleuc.) cum a B. Hieronymo vituperetur, quod « signifer Arianæ » factionis pro Origene scripserit, Arianorumque » princeps erraverit in dogmatum veritate ; » (Hieron. Epist. LXV ad Pammach. et lib. II adv. Rufin.) cum præsertim a Synodo œcumenica VII traducatur tanquam in *reprobum sensum* traditus, qui subscribens in Synodo « veritatem labiis suis honoravit, cor au-

» tem longe ab ea *cohibuit*, veritatem simulans : vir » duplici animo, ut ait Jacobus frater Domini, insta- » bilis in omnibus viis suis. » (Action. vi.)

Illum tamen *consubstantialem* Filium agnovisse, licet ab *Homousii*, ὁμουσιον, vocabulo interdiu abhorruerit, præsertim cum in Ecclesiæ pace fuerit defunctus, credere maluerim; neque adeo negasse Spiritus sancti divinitatem, sed modo eum a Patre et Filio distinctum, et a Filio proficiscentem docuisse. Huic sententiæ patrocinantur et Constantinus Magnus, qui in epistola ad Synodum Antiochenam illum appellat *sanctissimum Cæsariensium episcopum*, et plurima perantiqua Martyrologia quæ illum festis alicubi celebratis inter sanctos annumerant tanquam *episcopum* et *confessorem*, et *excellentissimi ingenii virum*. (Usuard. 21 juin; Notkerus, ibid.)

Quidquid autem de Eusebii fide credendum esse videatur, tamen dicendum est cum S. Basilio illum « propter multarum rerum peritiam idoneum esse cui habeatur fides; » (ad Amph. c. xxix.) cum Hieronymo, « Ecclesiasticam pulchre historiam texuisse, tres libros scripsisse elegantissimos vitam Pamphili continentes; » *virum* etiam fuisse *doctissimum*, *in Scripturis* divinis studiosissimum, ita ut mirantis more exclamari possit : « Quis prudentior, doctior, eloquentior Eusebio inveniri potest? » (Ep. lxv ad Pamm. Apolog. adv. Rufin. lib. ii adv. Rufin. et de Script. Eccl.) cum Evagrio, *virum* pariter *extitisse* cum in aliis « rebus disertissimum, tum in scribendo tantum valentem, ut possit lectores suos, si non perfecte efficere Christianos, ita tamen implere ut nostra libenter amplectantur; » cum Gelasio denique papa, abjuratis qui identidem occurrere possunt erroribus, propter « rerum notitiam singularem

» quæ ad instructionem pertinent, libros ejus usque-» quaque non esse respuendos. » (De lib. Apocryph.)

Hoc autem in ejus vita laudabilius occurrit, quod oblatum a populo et imperatore Antiochensem episcopatum, ecclesiasticæ disciplinæ fidelis observator, recusare non dubitaverit; de quo illum sic laudavit, scriptis epistolis, Constantinus : « Tu quidem bea-» tum te in hoc ipso existimare debes, qui totius » propemodum orbis testimonio dignus universæ » Ecclesiæ episcopatu judicatus sis. Nam cum omnes » te apud se episcopum esse ambiant, hanc tuam fe-» licitatem sine controversia adaugent. Verum rectis-» sime fecit prudentia tua, quæ et mandata Dei et » Apostolicam atque ecclesiasticam regulam custo-» dire statuit, episcopatum Antiochensis Ecclesiæ » repudians, et in eo potius permanere desiderans » quem Dei mandato ab initio suscepisset. »

Sic apud omnes eruditus habebatur, ut a Basilio δια πολυπειριας αξιοπιστος, id est, *propter eruditionem fide dignus* vocaretur (de Spirit. sanct. c. xxv); a Nicephoro των τοτε λογιων πρωτος, *oratorum hujusce temporis princeps* (Hist. lib. xix); ab Hieronymo ipso vir *doctissimus* (lib. ii adv. Rufin.), *egregius*, *admirabilis* (de locis Hebr.), qui « bibliothecæ divinæ cum » Pamphilo martyre diligentissimus pervestigator, » infinita edidit volumina » (de Script. Eccles.); sic ipsi Constantino imperatori commendandus, ut cum libros conficiendos cogitaret, nullum reperiret digniorem cui, scriptis iterum epistolis, tale opus committeret : « Visum est, inquit, id significare pru-» dentiæ tuæ, ut quinquaginta codices divinarum » Scripturarum, quarum apparatum et usum maxi-» me necessarium Ecclesiæ esse intelligis, in mem-» branis probe apparatis ab artificibus antiquariis

» venuste scribendi peritissimis describi facias, quæ » et legi facile et ad omnem usum circumferri pos- » sint; » sic denique omnibus Ecclesiæ temporibus acceptus, ut de illo dictum fuerit, « nihil esse antea » scriptum, quod non ad unguem cognosceret. » Ita cum dubiæ fidei, sed non dubiæ eruditionis fama, in communione nihilominus Ecclesiæ quievit anno Christi 339 vel 340, ætatis circiter 86, episcopatus vero 35.

Scripsit autem : 1° *Chronica* sive Παντοδαπην ιϛοριαν, id est, *omnimodam historiam*, ut titulus operis transfertur ab Hieronymo (de Script. Eccles. c. LXXXI), ab orbe condito usque ad vicennalia Constantini Magni an. 325, quæ amissa quidem desiderantur, sed S. Hieronymi versione quasi resuscitata supersunt; 2° *Præparationem et Demonstrationem Evangelicam*, quæ græce Εὐαγγελικης αποδειξεως προπαρασκευη, et Ευαγγελικην αποδειξις inscribuntur : quarum prior animam præparat ad suscipiendam religionis veritatem delusis paganorum deliramentis, astructaque Judaïcæ doctrinæ Christum annuntiantis divinitate; posterior vero contra Judæos demonstrat Judaïcæ legi finem impositam, locumque Evangelio datum; 3° *Historiæ Ecclesiasticæ*, Εκκλεσιαϛικης Ιϛοριας, lib. X, a Christianismi exordiis usque ad Licinium et pacem a Constantino Ecclesiæ redditam, cujus antiquioris gratia *historiæ ecclesiasticæ pater* dignus non immerito visus est appellari; 4° *de martyribus Palæstinæ*, cui adjungi potest *B. Pamphili martyrium*; 5° librum *contra Hieroclem*, quo Apollonium cum Christo minime comparandum ostendit; 6° *plures* in varios Scripturæ sacræ libros *commentarios*, quos *hæretici hominis in latinum eloquium verti* culpam esse, sed durius, affirmat B. Hieronymus (de Script. Eccles.);

7° *Constantini Magni* vitam, et *Encomium;* 8° libros v *contra Marcellum* qui, licet post Nicænam synodum scripti, quibusdam tamen vituperiis non indigent; 9° *Orationem in dedicatione ecclesiæ Tyri;* 10° *Epistolam ad Ecclesiam Cæsariensem,* qua suam in concilio Nicæno agendi rationem legitimam vindicare nititur; 11° librum *de situ et nominibus Locorum Hebræorum,* « quo laboravit ut congregaret » nobis de sancta Scriptura omnium pene urbium, » montium, fluminum, viculorum et diversorum » locorum vocabula, quæ vel eadem remanent, vel » immutata sunt postea, vel aliqua ex parte cor» rupta... » (Hieron. in præfat. lib. de sit. et nomin. locor. Hebr.); 12° *Quatuordecim opuscula* quæ a patre Sirmundo in publicam lucem sunt emissa, et ubi agitur *de Fide adversus Sabellium* duobus libris, *de Resurrectione et ascensione* pariter libris duobus, *de incorporali et invisibili Deo, de incorporali,* quinque libris, quibus subjunguntur quatuor tractatus *de diversis;* 13° *Canones Evangelicos* de concordantia Scripturarum, cum *Epistola ad Carpianum.*

Præter hæc præcipua opera habentur insuper fragmenta : 1° *Responsorum ad Marinum,* circa Scripturam; 2° *Epistolæ ad Constantiam,* ubi de cultu imaginum parum catholice agere videtur; 3° *Epistolæ ad S. Alexandrum Alexandrinum,* quæ licet dubiæ fidei, ad majorem mentis Eusebii circa Arianismum intelligentiam referre operæ pretium duximus.

Habentur insuper, nec in Latinum versa, nec ullibi excusa : 1° *Eclogæ propheticæ,* quæ græce tantum extant in Viennensi bibliotheca; 2° triginta *contra Porphyrum* libri, quos parum probabiliter in Romana bibliotheca reperiri quidam contendunt; 3° tres *circa explanationem Scripturarum* libri, qui in Sici-

lia superesse credentur; 4° Tres *de Martyribus* libri, a *Martyribus Palæstinæ* diversi, qui in Hispanensi Escurialis bibliotheca servantur, licet dubia videatur hujus thesauri possessio. Utinam latentes illæ eruerentur divitiæ!

Nullum inter veteres Eusebio doctiorem extitisse nemo est qui dubitet. Non tantum autem dicendi venustate, quantum doctrinæ ubertate excellit; rerum non verborum curiosus, omni ornamento destituitur, eruditionem quærenti utilissimus, ingratus autem eloquentiam appetenti. De quo ita Photius : « Phrasi neque jucundus uspiam, neque perspicuus; » homo tamen multæ doctrinæ est, tametsi mentis » acumine, affectuumque constantia, quantum in » dogmatum accurata tractatione est opus, indi- » geat. » (Bibl. Cod. IX.)

Opera Eusebii integra excudentur ex probatissimis editionibus, quas in multis emendare curavimus; exceptis tantum historicis libris, de quibus nullam mentionem facere statuimus, omnibus historicis ad unum corpus forsan ulterius congerendis. Hinc prætermittuntur : 1° *Chronicon*; 2° *Historia Ecclesiatica*; 3° liber *de Martyribus Palæstinæ*; 4° *Martyrium S. Pamphili* : sed non *Constantini Vita*, quam encomium potius quam historiam duximus, cuique adjunctam relinquimus *Constantini orationem ad Sanctorum cœtum*. Librum etiam *de situ et nominibus locorum Hebræorum* inter S. Hieronymi opera remittimus, cum, ipso teste, illum ita interpretaverit, ut proprium quodammodo sibi opus reddiderit. Item *Epistolam ad Ecclesiam Cæsariensem*, inter opera S. Athanasii, qui nobis illam servavit, deputamus.

Nulla extat completa Eusebii operum editio. Separatim e prælo exierunt hæc præcipua :

1° *Chronica*, quorum, græco textu amisso, græca tamen quædam, ut potuit, collegit ediditque Scaliger, sed parum feliciter, an. 1606 et 1658 in-fol. Adsunt tamen in hac editione, præter latinam versionem, doctissimæ ejusdem notæ. — Latine tantum legitur accuratior editio inter Hieronymi opera a Villarso emissa Veronæ, an. 1740, tom. VIII : quæ quidem versio recusa est et ejusdem Villarsi curis posterioribus aucta an. 1766 et 1782 ; imo et recentius cum vetustioribus latinorum Scriptorum chronicis, colligente Thoma Roncallio, in publicum emissa, 2 vol. in-4°.

2° *Præparatio Evangelica* vulgata est : græce a Roberto Stephano typis regiis an. 1544, Parisiis, in-fol. — latine sæpius, ac præsertim anno 1581, in-fol. — græce autem et latine ex versione Francisci Vigerii an. 1628, Parisiis, et 1688, Lipsiæ, licet titulus Coloniam præferat, in-fol.

3° *Demonstratio Evangelica* prodiit : græce typis regiis, e regio codice, curante Roberto Stephano, Parisiis, an. 1545, in-fol. — latine ex Donati parum fideli versione, Parisiis, an. 1581, in-fol. — græce et latine, cum Donati versione, Parisiis, an. 1628, et Coloniæ seu potius Lipsiæ, an. 1688, cum libro contra Hieroclem et quinque libris contra Marcellum, in-fol. Hæc editio, non secus ac Præparatio Evangelica Vigerii, in multis deficit, et a nobis aucta et emendata, tum addita textuum sacræ Scripturæ indicatione, tum distinctis accuratius diversorum auctorum fragmentis, tum quæsitis aliunde capitibus quæ antea deerant.

4° *Historia Ecclesiastica* in publicum emissa est : græce, cum Socrate, Theodoreto et Evagrio, elegantissimis typis, a Roberto Stephano, an. 1544, in-fol. — latine ex Rufini versione an. 1581, Coloniæ, et ex illa, quæ multo anteponenda est, Valesii interpretatione an. 1657 Parisiis, vel 1720 Cantabrigiæ, vel 1748 Taurini, in-fol. — græce et latine a Genevensibus cum Joan. Christophorsoni versione, parum emendate, an. 1612.

5° *Vita Constantini* Historiæ Ecclesiasticæ fere semper adjungitur, et separatim excusa est latine, Parisiis, an. 1546, in-8°.

6° Liber *de martyribus Palæstinæ* reperitur in editione græca Historiæ Ecclesiasticæ Roberti Stephani, et latina Valesii.

7° Liber *contra Hieroclem* lucem vidit : græce, edente Aldo,

cum Philostrati Apollonio, Venetiis, an. 1502, in-fol. et 1555, in-8°. — latine ex pessima Acciaioli interpretatione sæpius ad calcem Demonstrationis Evangelicæ;—græce et latine an. 1709, Lipsiæ, cum nova versione Godfridi Alearii in luculenta Philostrati editione, in-fol.

8° Liber *de nominibus Hebraicis* legi potest latine inter S. Hieronymi opera ; vel græce et latine, sive in doctis Bonfrerii Commentariis excusis an. 1631 et 1659 cum nova versione, Parisiis, sive ex versione B. Hieronymi curante P. Martianai, Parisiis, an. 1699, vel correctius curante D. Leclerc, Amstelodami, an. 1707, in-fol.

9° *Quatuordecim opuscula* a patre Sirmundo promulgata sunt latine, an. 1643, Parisiis, in-8°, et recusa in Bibliotheca Patrum Lugdunensi.

10° *Canones Evangelici* leguntur in Polyglottis, et in quibusdam Novi Testamenti editionibus, v. g. Erasmi et Roberti Stephani, an. 1550, atque Antonii Cinelli, Venetiis, 1624.

Gallico sermone interpretata sunt :

1° *Historia Ecclesiastica* a Claudio Seysselio, archiepiscopo Taurinensi, Parisiis, anno 1632, in-fol. et novissime a Lud. Cousin, ibid., an. 1675, in-8° ;

2° Liber *contra Hieroclem*, eodem D. Cousin interprete, Parisiis, an. 1684, in-4°, cum hoc titulo : *Discours touchant les miracles attribués à Appollonius de Thyane.*

3° Quoad *Vitam Constantini* interpretationis instar est quod auctore Joan. Morino prodiit opus : *Histoire de la délivrance de l'Église Chrétienne par l'empereur Constantin*, an. 1630, Parisiis, in-fol.

4° Vide insuper Biblioth. Gallicam D. Guillon, Paris. 1824, in-8°, tom. v, p. 126.

EUSEBII PAMPHILI

CONTRA HIEROCLEM,

DE APOLLONII THYANENSIS

CUM CHRISTO COMPARATIONE.

(GOTTFRIDO OLEARIO INTERPRETE.)

I. Ten', amice, illa quoque scriptoris suspicere par est, quæ cum magistro ac Salvatore nostro Thyanensem componens paradoxe jactavit? Et reliquis quidem, quæ *Philalethe* continentur (hoc enim præclaro titulo suum illud contra nos opus inscribere merito sibi visus est), haud ita magnum operæ pretium fuerit hoc tempore immorari; quippe quæ non propria illius, sed ex aliorum scriptis, non sententiis modo, verum dictionibus quoque iisdem, ac totidem pene syllabis, impudenter sunt sublecta. Sed tamen et ipsa suo tempore decentem sortientur refutationem: tametsi potestate, etiam ante quam peculiaris eis scriptio opponatur, eversa sint atque jampridem explosa, voluminibus integris octo ab Origene conscriptis adversus Celsi, magis superbe quam *Philalethes* insignitam titulo, *orationem veram*. Quam accurrate sub examen revocans, totidem libris quot diximus, allegatus scriptor compendio quidquid de eo argumento cuiquam vel dictum vel dicendum occupavit atque discussit. Ad quos proinde cognoscendarum accurate magis rerum nostrarum cupidos bona fide ablegantes, solam age in præsenti cum Domino nostro

Jesu Christo in oratione illa *Philalethe* institutam comparationem expendemus : rem opera nostra indignam deputantes, de reliquis etiam quæ aliunde est suffuratus cum eo digladiari. Merito autem de iis unice quæ Apollonium spectant modo dispiciemus, quandoquidem uni etiam huic præ omnibus qui contra nos styli unquam aciem distrinxerunt, peculiare est, hominem cum Salvatore nostro contendere illum, atque comparare.

II. Admiratur ergo atque amplectitur hoc, quid divina quadam atque arcana sapientia, non magicis artibus, miracula [Apollonius] ille patraverit : id ita revera se habere et credens ipse, et sine probatione firmum esse et indubitatum jubens. Audi vero quæ dicat iisdem syllabis : « Ultro citro» que jactant, laudibusque Jesum tollunt, ut qui cæcis vi» dendi dederit facultatem, et alia id genus miranda præ» stiterit. » Tum, quibusdam interjectis, ista subjungit : « Videndum vero quanto melius et prudentius nos talia, et » quam habemus de viris præstantibus sententiam, admit» tamus. » Et post ista quoque Proconnesium Aristeam et Pythagoram, rursumque antiquiores nonnullos in transitu velut percensens, subjungit hæc dicta : « At majorum nos» trorum ævo, Nerone imperante, Apollonius floruit Thya» nensis, qui a prima pueritia et ex quo Ægis, Ciliciæ » oppido, hominum amantissimi Æsculapii sacris vacavit, » multas res admirandas gessit, quarum vobis, majore parte » omissa, memoriam refricabo. » Deinde ab initio exorsus, stupenda ejus facta recenset, quibus expositis ista verbotenus subjungit : « Quo ergo fine ista commemoro? Nempe, » ut liceat contendere invicem accuratum nostrum soli» dumque de re quavis judicium, et animi in Christianis » levitatem quandoquidem nos quidem tam magna ope» ratum non Deum tamen, sed deorum amicum esse arbi» tramur. Illi vicissim ob exiguas quasdam præstigias Jesum

» Deum esse prædicant. » Istis post alia quædam hæc subjungit verba : « Id quoque dignum consideratione est, quod » a Jesu quidem gesta Petrus et Paulus, iisque similes alii » quidam, miris modis extulerint, mendaces homines, in» doctique et præstigiatores : Apollonii autem res Maximus » Ægiensis et Damis philosophus, sodalis ejus, Athenien» sis Philostratus, qui præclare doctrina profecerant, et » veritatis erant cultores, humanique generis commodis » studentes, viri magni diisque amicissimi res ignotas esse » noluere. » Hæc Hierocli ad verbum prolata sunt, qui contra nos disputationem scripsit.

III. Damis igitur, qui plurimum cum Apollonio est versatus, ex Assyria profectus, atque ibi primum in patria cum illo versatus, quæ ab isto tempore cum eodem illi intercessit, conversationem in litteris retulit. Maximus autem paucis singularia quædam facta ejus descripsit. Atheniensis demum Philostratus omnia quæ ferebantur ex Maximi ipsiusque Damidis atque aliis scriptis collegisse sese affirmans, omnium perfectam maxime ab incunabilis usque ad exitum vitæ viri historiam contexuit.

IV. Quod si igitur liceat nostram quam incusavit simplicitatem levitatemque, et Philalethis accuratum solidumque de unaquavis re judicium invicem contendere; age inquiramus, non quidem uter divinæ magis sit indolis, neque uter stupenda magis aut plura patraverit miracula : neque [de eo disquiremus], quod solum ab antiquis, ante innumeros annos florentium Hebræorum sapientibus Salvatorem nostrum et Dominum Jesum Christum venturum in mundum, divina inspiratione sit prædictum : neque quod quamplurimos ille ad divinæ suæ disciplinæ doctrinam adduxerit; nec quod ingenuos verosque nactus discipulos fuerit, pene lubenter pro illius doctrina mortem subire paratos : neque quod frugalis vitæ scholam solus, posteris

quoque temporibus duraturam, patefecerit : neque quod propria sibi virtute divina salutem universo paraverit mundo, etiamnum undequaque innumeram multitudinem ad divinam suam doctrinam adducens : neque quod unus ex omnibus qui unquam vixere, a cunctis fere mortalibus, imperantibus et subditis, variis modis oppugnatus vicerit tamen, multoque superior iis qui acerbissime eum insectabantur infidelibus, extiterit, divina et ineffabili virtute sibi dum viveret adversatos institutione divina facile in partes trahens, firmatam vero a se traditamque divinam doctrinam ad ævum finem non habiturum per universum terrarum orbem conservans : neque quod adhuc dum divinæ potentiæ suæ virtutem demonstret, miseros quosdam et infaustos dæmonas, corporibus hominum animisque insidiantes, solo sacratissimo nomine suo appellato expellens, prout ipsa docti experientia sumus. Similia enim quærere in Apollonio, imo [de iis] vel interrogare fortassis summæ foret stoliditatis. Solam igitur Philostrati pensitemus historiam, ex qua evincemus, non inter bonos quidem, imo nec mediocris indolis viros eum censeri jure posse, (ne dum ut Salvatori nostro Christo Apollonium conferre deceat) : prout quidem ex scriptione colligere est auctoris, qui, Philaletha judice, plurimum quidem in eruditione profecit, sed parum certe veritatis est studiosus. Nempe talis omnino erat juxta cum cæteris Philostratus Atheniensis : ex quo facile etiam judicium feramus licet de cæteris, qui juxta Philaletham plurimum quidem in eruditione profecerunt, exquisitum tamen studium in historia Apollonii ponere minime laborarunt. Ista nempe si probe examinaverimus, simul et Philalethæ, suprema judicia per totam provinciam administrantis, contra Christianos judicium an verum sit, et, ut ipsi videtur, undequaque accuratum, patescet; nostrumque item qui stolidi et rustici

inficetique istis hominibus videmur, tantopere ab eis reprehensa simplicitas et animi levitas.

V. Atque alius quidem adversis signis concursurus, conviciis statim dilaturus erat, tanquam hostem et inimicum sibi, eum adversus quem instituenda oratio erat. Ego vero, amice, humanæ sapientiæ egregie callentem fuisse Thyanensem et olim existimavi, et adhuc quoque eamdem non invitus retinere sententiam velim, imo et tibi meam de eo opinionem, si interroges, exponere non dubitem. Cum quovis philosophorum ut componat virum, modo fabulis de eo nihil turbarum det, patior : sin limites vero transilire, et quæ philosophiæ vires excedant statuere ausit, sive Assyrius quidam Damis, sive Philostratus, sive alius quicumque auctor vel historicus, verbis quidem magiæ ab eo depellens crimen, re tamen magis quam verbis hominem gravatus, ceu larvam aliquam Pythagoricum ei vitæ institutum aptans : tum quidem non philosophus nobis procedet, sed asinus leonis tectus exuviis, et sophista circulatorem per civitates agens ; imo omnino magus manifeste pro philosopho deprehendetur.

VI. Hoc vero quomodo affirmare possim, quibusvis rationibus motus, interrogas. Accipe igitur. Limites [dantur] naturæ, qui initia, mediumque, et fines universitatis rerum contineant, mensuram et leges rerum omnium quibus tota hæc machina mundique totius ædificium absolvitur. Illi [limites] vero lege immutabili scitisque inviolabilibus Providentiæ, omnibus rebus prospicientis, sunt positi, consilii summe sapientis custodes. Non igitur quidquam eorum loco se moveat, ordinemve commutet licet, quæ semel sunt constituta. Atque adeo naturæ lege retinetur quominus divinum ordinem transiliat, quemcumque audentior subierit ultra [naturæ leges] eundi impetus. Non igitur præter naturam, in aquis vivere natus piscis, ubi in terras

translatus fuerit, vivere poterit : non terris innutritum animal aquas subibit, constans ibi domicilium sibi ut deligat. Non quisquam eorum qui terræ affixi sunt, magno licet saltu in sublime se tollat, ad aërem usque elevabitur. ut cum aquilis per eum feratur, utut velit cum maxime. Et tamen illis in terram quoque se demittere datum, deorsum inclinantibus virium impetum, et laxantibus alas, suæque indolis vim remittentibus : quoniam et hoc divinis sancitum legibus est, ut ex sublimi id quod in aëre suspenditur, possit descendere; non autem versa vice in altum tolli, quod humi repit terræque affixum degit. Eadem ratione mortale hominum genus, animæ particeps corporisque, limitibus circumscriptum est divinitus. Nec corpore itaque per aërem vehi datum est ipsi moræ in terra faciendæ pertæso, nisi pœnæ statim stoliditatis præbere exemplum velit; neque animo sublatus cogitatione assequi poterit quæ supra cum sunt posita, quin potius in morbum incidet atrabiliorem. Prudenter igitur fecerit sanis pedibus corpus in terra sustinens, animum vero doctrina ac philosophia suffulciens. Optare tamen etiam licebit, ut desuper ex cœlestibus sedibus adjutor subveniat, indeque derivandæ salutis doctor sibi existat. Validissimo enim argumento, ad ægrotum accedere medicum fas est, et magistrum discipulo condescendere, et loco superiore atque in sublimi positum ad inferiores sese demittere : non versa vice. Quamobrem divinam quidem naturam, ut quæ benefica sit et salutaris, rebusque prospiciat, cum hominibus aliquando conversatam esse nulla prohibuerit ratio, limitibus divinæ Providentiæ subnixa, ut qui et ipsi minime istud prohibeant. *Bonus enim erat* [Deus], ut inquit Plato : *bonum vero nulla rei cujusquam subit invidia.* Non corporum tantum igitur, bonus qui sit, hujus universi gubernator geret curam, verum multo magis etiam animorum, quibus im-

mortalitatis ac dominii concessum est munus. Animis igitur, tanquam totius familiæ, donorumque, quorum largitione naturæ benefaciat, Dominus, eo quod illis recipiendis apti nati sint, radios quasi lucis suæ liberaliter impertietur : apparitorum suorum quandoque maxime sibi conjunctos, in salutem atque adjumentum eorum qui in terrenis hisce principatum tenent, ablegans. Quorum aliquo si cui bona sua fortuna potiri detur, ille mente purgatus, et mortalis naturæ dissipata caligine, vere divinus censebitur, magnum aliquem Deum animo circumferens. Tantus autem qui sit quam non vim exerat! omne humanum genus ipsumque mundum multo etiam, quam sol iste, magis collustraverit : æternæ divinitatis opus posteris etiam spectandum relinquens temporibus, neque inferius opificiis ex bruta materia factis naturæ divinæ argumentum suppeditans. Atque hactenus quidem natura humana particeps fieri possit naturæ humanæ excellentioris. Alia vero ratione limites nefas transilire, neque corpus alis destitutum habentes ea quæ alis sint peragenda moliri, neque eum qui homo sit superioribus competentia naturis temere affectare licet.

VII. Qualem igitur nobis, ista cum ita se habeant, Apollonium sistis, scriptor egregie? Si ut divinum philosophoque majorem, et, ut verbo absolvam, excellentiore quam humana sit natura præditum, fac ut per totam mihi serves historiam hoc quod ponis, atque argumentum divinitatis etiamnum demonstra. Quidni enim absurdissimum fuerit, fabrorum architectorumque, etiam post mortem artificum, longissimo tempore perdurare opus, immortalem fere stabiliens auctorum memoriam : divinam vero naturam, homines irradiantem, admittere tenebras, parumque durabilem esse; neque in æternum subsistere virtutem, contentam minime, in Damidem aliquem aliosque brevis ævi homines pauperem exercuisse liberalitatem, sed in multitudinem

hominum infinitam, non ejus tamen quo inclaruit ævi, verum etiam posthac extiturorum emolumentum redundantem. Atqui ea ratione antiqui sapientes virtutis suæ imitatores successoresque sibi paraverunt, immortale humano generi emolumentum præbentes. Quod si mortalem vero naturam adscribas viro, cave ne, plus quam ea ferat illi tribuens, præter rationem egisse accuseris.

VIII. Atqui omnino ita ab eo virum repræsentatum habemus, ut qui divini sit generis, deique marini formam et speciem ab ipsis natalibus induerit. Matri enim ejus, ut ait, ventrem ferenti, marini dei oblata est species, Proteus, inquam, apud Homerum alias aliasque figuras induens. Ea vero, nihil perterrita, quid paritura esset eum interrogavit. Is vero, Me, respondit, ipsum. Quis tu autem? interrogante ea, Proteus, ille inquit, Ægyptius [sum]. Tum pratum quoddam et cycnos mulieri obstetriciam operam præstitisse scribit, unde hoc ipsum depromptum sit nullo facto indicio. Neque enim [puto] hujus quoque rei auctorem Assyrium Damin allegabit. At et non multo post initia ejus historiæ, ad ipsum Damidem, quasi divinæ particeps sit naturæ, hæcce verba Apollonium proferentem inducit : « Ego, amice, omnes intelligo linguas, licet nullam didicerim ; » item : « Noli mirari, nam et quæ silentio homines premunt novi. » Et rursum in Æsculapii templo a deo honorifice eum habitum [ait]; et rerum futurarum scientiam sine institutione a puero habuisse : humanaque manifeste excellentiorem nactum indolem esse, statim ab ipsis natalibus, per totam quoque historiam scribit. Cumque adeo vinculis se aliquando exolvisset, sequentia subjungit verba : « Tum primum se, Damis, penitius, ait, Apollonii indolem perspexisse, nempe divina quod esset, et humana excellentior. Neque enim sacris peractis (quomodo id enim in custodia potuisset?) neque precationibus usum, neque

» verbulum emittentem, vincula eum ludibrio habuisse. » Sub finem vero historiæ, nusquam gentium sepulcrum ejus inveniri scribit, ipsoque corpore in cœlum eum inter choreas abiisse. Merito eum igitur, quippe tantus qui sit, « ma» gis divine quam Pythagoras, Empedoclesque et Plato, ad » philosophiam ait accessisse. » In deorum itaque censum nobis veniat homo.

IX. Absit invidia quoque a linguarum omnium, quæ sponte ei venit nulloque præeunte magistro, cognitione. Ad quid igitur in scholam eum deducit, atque illi qui nullam edoctus est linguam detrahit, quasi usu et exercitio, non vero natura, Atticam eloquentiam sit assecutus? Nempe ait, « ad » ætatem ubi pervenisset, litterarum doctrinam eum et me» moriæ vim studiique pertinaciam patefecisse, et lingua » esse Attica usum. » Item : « Annos natum quatuordecim » Tarsum a parente deductus est ad Euthydemum, Phœni» cia oriundum, qui rhetor bonus erat illumque instituit : » eumque ille amplectebatur magistrum. » Porro : « Cum » illo philosophiæ vacabant Platonis et Chrysippi sectato» res, et Peripatetici. Quinetiam Epicuri dogmata audivit : » neque enim ista neglexit. Pythagorica vero ineffabili qua» dam mentis vi comprehendit. » Tam varia, qui nullum linguæ ullius magistrum habuit, divinaque virtute etiam quæ silentio premunt homines ante animadvertit, usus tamen institutione fuit.

X. Philostratus vero, rursus interjectis quibusdam, eum extollit, quod ad magnam linguæ brutorum animantium cognitionem pervenerit, pergitque dicendo : « Cognitionem » etiam linguæ brutorum animantium sibi comparavit. Id » vero didicit dum per istos Arabiæ populos iter faceret, qui » et scientia et usu ejus rei maxime pollebant. Est enim » hoc Arabum, ut cygnos hodienum, aliasque fatidicas aves » sciscitentur perinde atque oracula. Conjiciunt vero bru-

» tas voces draconum pasti, ut alii putant, corde, ut alii, » hepate. » Hic nempe omnino draconum, sive cor, sive hepar Pythagoricum illum, a victu abhorrentem animantium, et ne diis quidem sanguine rem sacram facere sustinentem, verosimile est comedisse, quo scilicet in sapientiæ gentis istius partes ipse quoque veniret. Apud magistros enim ejusmodi, qua alia ratione, nisi eadem quæ præceptores sequendo, in instituto suo proficere potuisset? Tenemus igitur inter Apollonii præceptores, quorum catalogum dedimus, Arabum etiam sapientes, artis auguralis, qua ipse præstabat, doctores; cujus, ut verosimile est, adjumento, postea aliquando de passerculo, quid sibi velit, dum socios ad pastum invitaret, vaticinatus, rem maxime mirandam præstare præsentibus omnibus est visus. Similiter, cæsam modo leænam, una cum octo catulis, in itinere per Assyriam conspicatus, illico, ex isto conjecturam faciens documento, faciendæ sibi apud Persas moræ tempus prædixit.

XI. Consentanea autem disciplinæ apud Arabes, apud Persas quoque aggressum eum fuisse, idem auctor commemorat. Damidem enim, qui solus ipsi erat discipulus sociusque, prohibens ad magos accessu, solus ipse, (eam ob causam scilicet, ne illum, quem planissime liquebat rerum magicarum penitus esse imperitum, condiscipulum haberet) circa meridiem, uti et circa medias noctes, eorum scholas obivit. Prætereaque, ad Bardanis Babylonii regis admissus colloquium, his fere verbis usum eum fuisse [Philostratus] refert : « Sapientiam autem amplector Pythagoræ Samii, » qui et colere deos me ita docuit, ut mente eos complec- » tar, sive videndos se præbeant sive minus, pariter, atque » in colloquia cum diis descendam. » Sed enim quis hoc illi concesserit? Cum Pythagoras ejus generis scriptum reliquerit nullum, neque aliquod scriptum ejus extet arcanum magis, ut vel supicari liceat talibus eum subsidiis usum.

Imo magister quo ille in Pythagorica philosophia usus est, nihil Epicureis fuisse melior, ipsius Philostrati testimonio perhibetur, ita loquentis : « Præceptor quidem Pythago-» ricæ disciplinæ ei fuit, bonæ minime frugis, neque opera » pariter ac verbis philosophatus, ventrique et veneri de-» ditus, et ad Epicuri disciplinam compositus. Isque Euxe-» nus erat, Heraclæa in Ponto oriundus : Pythagoræ autem » sententias ita noverat, sicut aves ea quæ ab hominibus » edocentur. » Vah absurditatem ! si ab hoc quispiam affirmet conversandi cum diis peritiam Apollonium accepisse. Verum concedamus alios quoque eum audivisse [Pythagoræ] interpretes, tametsi noster historicus ejus rei ne minimum quidem indicium faciat : at quis eorum cognoscere deos, eorumque commerciis frui, sive videndos se præbeant sive minus, vel ipsum se a Pythagora edoctum, vel alios docere posse professus est? Atqui ne celebratissimus Plato quidem magis quam alius quisquam Pythagoricæ particeps philosophiæ; neque Archytas, neque ipse qui Pythagoræ familiares sermones litteris mandavit, Philolaüs; neque alii, si qui sunt ex viri illius familiaribus qui sententias illius atque dogmata litteris posteritati consignarunt, talem unquam sapientiam jactavere. Aliunde igitur, neque a Pythagora vero, talia edoctus, illo prætextu auctoritatem quærens, a philosophi illius nomine appellari voluit. Ut autem vel maxime, præter omnem rationem, mendacium illud verum esse aliquis concedat, non video tamen quo pacto ab ipso discere possit Samio illo, qui plurimos ante annos vivis excessit, ista sese accepisse. Ergo Arabibus hunc quoque doctorem ejus arcanæ, quæ putatur, de diis scientiæ fas erit accensere. Si divinæ ergo indolis fuit, historia magistros ei perperam affinxisse deprehenditur. Sin ea verax narratio est, falsa erit fabula, neque verum quod de ejus divinitate est scriptum.

XII. Non mihi est animus diligentius de Protei spectro inquirere, ejusque argumenta ut edat postulare, ut item de cycnis quæ habet probet, quos ridicule matrem ejus, ipsum jam parientem, circumstetisse, eique obstetriciam præstitisse operam narrat. Imo neque ut fabulæ de fulmine testem producat expeto. Neque enim istorum etiam conscius Damis, ad quem provocavit, nobis prodibit, qui diu post demum Nini, Assyriæ urbe, viro se adjunxit. Nempe ego quidem lubentissime probabilibus rebus, et ad verum propius accedentibus fidem habens, licet etiam quædam magnifice magis, per exaggerationem, ad commendationem viri boni afferantur, ea credenda esse amplectendaque mihi persuadeo, modo ne monstrosa sint plane et stolidis figmentis referta. Neque adeo invideam quod dicat historicus, genus esse viro antiquum, et quod in primos conditores [patriæ] desinat; quod item civium omnium ditissimum dicat fuisse; præceptoresque adolescentem non clarissimos tantum esse nactum, verum etiam, si ita placeat, eorum ipsum magistrum extitisse atque doctorem. Esto autem præterea, etiam in rebus [ordinariis et] vulgaribus sagax : ita ut ad Asclepieum medicinæ causa accedentem, optimo consilio ab ægritudine liberarit. (Aquæ intercutis enim morbo laboranti, convenientem ægro in victu temperantiam quod præceperit, eumque adeo restituerit sanitati, ob hoc quoque prudentiæ [argumentum] laudandus adolescens.) Ita [porro in rebus vulgaribus sagax sit] ut et magnifice sacris operantem abegerit, quippe affatim ob vitia famosum: (nempe hominem ut regionis illius maxime divitem repræsentat, maximeque conspicuum.) Neque invideam in castissimis eum censeri, quodque amantem, ætatem ejus corrumpere tentantem, objurgatum repulerit; quod item a muliebri commercio puram semper, ut historia refert, vitam egerit. Fidem etiam inveniant quæ ad [observatum]

ipsi juxta Pythagoræ instituta quinquennio silentium spectant, et quidquid, dum illud obivit, laude fecit dignum. Hæc, inquam, et quidquid ejus est generis, humanam sortem non excedentia, et veræ philosophiæ consentanea, neque nimis ab ipsa veritate aliena, non invitus admiserim; magni sane candorem faciens, et studium veritatis. At vero hominis illius indolem humana majorem fingere, statimque sibi ipsi contradicere, et parum memorem esse antea positorum, id reprehensionem mereri, atque tum ipsi scriptori, tum multo etiam magis ei de quo scribit, turpitudinem afferre arbitror.

XIII. Atque hæc quidem sunt quæ ex primo libro [observanda fuere]. Percurramus ea etiam quæ in secundo ocurrunt. Itinere ex Perside in Indiam eum porro prosecuta [historia] deducit. Deinde cum aliquid ei obvenisset plane absonum, hoc est, insolitum, dæmon scilicet aliquis, quem Empusam quoque appellat, eum in via ubi esset conspicatus, conviciis juxta cum sociis abegisse narrat : animantibus vero eis quibus vescerentur oblatis, ad Damin dixisse, se quidem ipsi et sociis concedere non illibenter ut carnibus vescantur ; abstinentiam enim ab iis ad nullam eorum spectare utilitatem; sibi autem hoc conducere ad votum quod puer fecerit philosophiæ. At vero cui incredibile non videatur, quod ne eum quidem quem unum habere videbatur vitæ imitatorem, præceptisque philosophiæ quem instituebat, non prohibuerit, conjunctissimum licet, victu animantium, quippe impurus qui esset juxta Pythagoræ instituta? At ipse, nescio qua ratione ductus, sibi quidem id minus expedire ait : illis tamen quid ex abstinentia ab animantibus commodi provenire possit, non videre fatetur.

XIV. Post hæc Philostratus, qui veritatis amantissimus Philalethæ testimonio perhibetur, quæ veritatis specimina edat considera. Ad Indos delatum Apollonium interpretem

sibi ait ascivisse, atque per eum collocutum esse cum Phraota; id enim Indiæ regi nomen fuisse. Nempe qui paulo ante, secundum Philostratum, linguarum omnium erat callentissimus, jam juxta eumdem interprete habet opus. Et rursum qui ea novit quæ animo homines premunt et tantum non ut Deus illorum

Multi est concipiens animum sensusque tacentis,

jam per interpretem, quo victu rex utatur, interrogat. Ducem item aliquem viæ ad Brachmanas sibi dari non renuit. Interea Indorum rex, Barbarus licet natalibus, interprete subito summoto, græce cum ipso loquitur, doctrinæ atque eruditionis edens argumenta. Apollonius vero ne sic quidem, ut se quoque vicissim linguæ quæ apud Indos obtineret peritum ostenderet, contra, ut par erat, contendit.

XV. Ast et Indo græce loquente obstupuit, ut Philostratus testatur, scilicet consentanea sibi ipsi scribens. Quid enim obstupuit, si Barbarum non esse putavit, idque ob ipsum suspexit? Et cur quacumque re tantum virum Græcos imitaturum esse non expectavit potius? Porro, quasi res plane singularis ab eo sibi oblata esset, ejusque adhucdum ignorans causam, « Cedo, o Rex, *inquit Apollonius :* unde ea » tibi sit græcæ linguæ facultas? Philosophia item qua im» butus es, unde his regionibus venit? Neque enim, ut puto, » magistris eam in acceptis fers; nam probabile haud est » ejus rei magistros esse Indis. » Hæc miranda sunt in viro præscientia omnia complexo verba : quibus respondens rex, quod et præceptores habuerit, et quinam illi fuerint [exponens] omnia sigillatim quæ ipsi a natalibus inde obtigerant exponit.

XVI. Inde porro cum jus quibusdam diceret Indus de thesauro in agro reperto, an emptori an venditori agri eum reddere par sit; Apollonius, in omnibus philosophi usu

acumine, diisque charissimus, sententiam ubi esset interrogatus, emptori eum addixit, ratione ad verbum hac addita, « quod dii vendenti haudquaquam agellum etiam » fuerint adempturi, improbus nisi sit; emptori vero vicissim latentia etiam sub terra bona concessuri, nisi vendente sit longe melior. » Ut juxta illum concludendum sit, eos qui opibus affluunt præstantque divitiis, quanquam fœdissimi sint et perditissimi, pro ter beatis tamen Deoque dilectissimis esse habendos; infelices autem miserosque solos esse eos qui cum paupertate maxime conflictentur, licet Socratem ipsum vel maxime, ac Diogenem, ipsumque etiam Pythagoram in his esse contingat, et quemcumque eorum qui frugalissimi viri et egregiæ probitatis censentur. Dicat enim quis, istam rationem sequens, neutiquam juxta eam deos hominibus illis pauperculis, his ipsis [inquam] qui philosophia præstantes fuere, ipsa quoque ad victum spectantia subtracturos fuisse, nisi pessimis illi moribus extitissent; neque illis qui soluti sunt moribus, affatim etiam minus necessaria præstituros, nisi prioribus extitissent meliores. Unde nemini obscura istius conclusionis est absurditas.

XVII. Hisce ex secundo libro expositis, ad tertium pergemus, consideraturi quæ ad Brachmanas, fama adeo celebratos, pertinent: qua parte magis occurrunt incredibilia quam de Thule referuntur. Imo si quid aliud unquam scriptoribus fabulosis monstrosum excogitatum fuit, id omne verosimile valde, imo verissimum, si cum istis compares, videbitur. Quibus omnino mentem advertere etiam operæ pretium est propter Philalethæ jactantiam, nobis credulitatem morumque levitatem tribuentis, sibi vero ac sui similibus accuratum solidumque ac scientia nixum judicium. Vide igitur quibus se jactet portentis, sanctis Evangelistis nostris Philostratum anteponens, ut qui eruditione non modo pro-

14.

ſecerit maxime, sed veritatis etiam sit maxime studiosus.

XVIII. Primum igitur quidem in itinere Apollonii ad Brachmanas fœmina quædam ab eo colore inducitur, a capite ad femur usque candidissima, reliqua vero corporis parte nigra. Montes porro, pergentibus in itinere ad Brachmanas [oblati], pipere consiti, ejusque coloni simiæ, draconesque quidam magnitudine stupenda, de quorum capitibus ignis flammæ scintillent, quos si quis perimat, in eorum capite mirabiles inveniat lapillos, Gygæ lapidi, cujus apud Platonem mentio, similes. Et hæc quidem sunt quæ, antequam ad Brachmanum tumulum perveniatur, occurrunt. Ut vero hunc quoque attigerunt, sandaracinum illic puteum vidisse ait, aquæ plane mirabilis; juxtaque craterem, ignem continentem, ex quo plumbei coloris flamma sursum tendat. Tum et dolia duo lapidis nigricantis, alterum imbrium alterumque ventorum, unde Brachmanes iis quibus faveant [indigenis ventos ac pluviam] impertiantur. Quin statuas quoque apud eos esse *Poliadis* Minervæ, Pythiique Apollinis, et Bacchi, aliorumque quorumdam deorum quos Græci colunt. Iarcham autem, qui omnibus præsit, appellari *magistrum* : quem viderit considentem, habitu adeo a philosophico dissidente, ut satrapam retulerit potius in sublimi collocatus solio. Erat autem illud ex ære nigro, aureisque ornatum statuis, quales scilicet, fabrorum more verosimile sit sapientes, igni ferroque adhibito, fabricare; quin et præstigiatorum ritu ita opus instruere, ut sponte sua moveatur. Cæterorum autem, qui assidebant magistro, sedes æreæ quidem, uti ait, signis tamen ornatæ non erant, minusque sublimes. Nempe erat conveniens omnino regio ornatui prærogativa, in statuis illis consistens [conveniens item], auro honorare divinæ philosophiæ magistrum.

XIX. Iarcham autem, ubi primum Apollonium conspexisset, nominatim eum salutasse, ait, græca lingua, reddique

sibi epistolam quam a Phraota ipsi afferebat postulasse, mente præsaga ea de re jam antea edoctum. Nempe demonstrasse divinitus sibi res antea perspectas esse, prædicendo una littera, *delta*, deficere epistolam. Cœpisse autem parum modeste prima statim conversatione, more eorum qui vastis divitiis abundant, absconditarum rerum jactare scientiam, patrem recensendo Apollonii et matrem, et genus omne, educationemque, et institutionem, variisque temporibus susceptas peregrinationes, et quod ad ipsum instituerat iter, quæque ipsi in eo gesta dictave fuerant. Inde porro egregius ille scriptor narrat, electrino unguento unctos Brachmanas cum Thyanensi balneo usos esse, eumque ambientes, choro quasi, terram scipionibus feriisse; eam vero in gibbum resilientem, altitudine bicubitali eos in aërem extulisse, pensilesque aliquandiu in ipso aëre illos substitisse : derivare item eos ubi voluerint, ex sole ignem, sponte sequentem. Atque istis omnibus rem plane stupendam portentosus ille scriptor jungit : ut tripodes nempe, Pythiis similes, quatuor, sponte sua moventes, in medium processerint; eosque Homericis similes esse ait. Pincernas autem in iis ex ære, si materiem spectes, qui ministrarent, statui quatuor. Addit etiam, ut terra sponte gramina substraverit. Tripodum autem binos ait vino manasse, reliquorum vero alterum calidæ admiscendæ copiam fecisse, alterum frigidæ. Æreosque pincernas vinum pariter et aquam larga hausisse mensura; calices enim circumlatos esse, ut fieri in compotationibus solet.

XX. Ista Hierocli, supremis in provinciis præfecto dicasteriis, multa instituta disquisitione, vera esse videntur atque explorata; nostra autem simplicitas levitasque animi longe maxima ab eo damnatur. Ipse autem talia credens Philostrato, his ipsis verbis se jactat, inquiens : « Videamus enim quanto nos melius hæc atque prudentius admittamus,

» et quæ de præclaris virtute viris sententia nostra sit. »

XXI. In apparato porro hoc modo convivio, juxta ipsum Philostratum, Indorum inducitur rex, compotationem instituens cum philosophis. Hunc vero superbe se gessise et in philosophiam debacchatum narrat, crapula item apud eos incaluisse, cumque ipso sole de principatu contendisse, aliaque elato animo jactitasse. Rursum autem per interpretem ista ab eo accepisse Apollonium; vicissimque regem allocutum esse, Iarcha vicem interpretis sustinente. Qui autem admiratione dignum haud existimemus, quod superbum tantopere absurde adeo debacchari et crapulæ indulgere verosimile queat videri, quem ne ad philosophorum quidem, nedum diis similium virorum penates par erat accedere? Quid vero est, quod semideos eos appello, et dignitati virorum illudo? quandoquidem, Apollonio interrogante quosnam se esse putarent, deos se esse respondit Iarchas. Qui etiam apud convivas, ut qui deus esset, modo quidem philosophum minime addecente, multo minus conveniente dei, quem se esse professus est, dignitati, phialæ incumbens, compotationem incepit. Ea vero dum, narrante historico, omnibus affatim potum præberet, liberaliter [latices] submittebat, perinde ac fontes occulti haurientibus [aquas submittere solent].

XXII. Succedunt inde mutui sermones et philosophicæ disputationes, Iarcha docente ut sua olim anima in alio, hominis qui rex fuerit, extiterit corpore, atque talia quædam in eo patraverit: Apollonio vicissim, ut navis Ægyptiæ extiterit gubernator, quæque sibi tum gesta fuerint, narrante. Quæstiones vero et responsiones utriusque sunt tales, qualium ne mentionem quidem fecisse sapientia maxime erat dignum. Interrogasse ergo Apollonium refert, aureane apud eos aqua inveniretur? O plenam sapientiæ, o admirandam quæstionem! Interrogasse item de hominibus

subterraneas regiones incolentibus, aliis item qui pygmæi dicantur et umbripedes. An item apud eos quadrupes obvium sit animal, mantichora, quod hominem capite referat, mole corporis leonem exæquet, caudæque loco promittat cubitales setas, acanthis similes, quas veluti sagittas in venatores jaculetur. Atque hæc Apollonium quidem [ait] interrogasse, Iarcham autem de pygmæis quidem eum docuisse, subterraneas specus eos habitare, sub Gange fluvio vitam degentes; de cæteris vero, nuspiam ea existere.

XXIII. Præterea lanam commemorat Philostratus e terra illis provenientem, ut vestibus materiam præbeat; philosophis nempe pectine telas omnino percurrentibus, et lanificium ad vestes comparandas exercentibus (neque enim muliebris sexus contubernio apud eos admittitur) : nisi et lanam dicat sponte sua apud eos miraculo quodam in sacerdotum gratiam transformari in vestes. Gestare porro quemvis eorum baculum refert et annulum, arcana præstantem virtute. Sequuntur inde Brachmanis miracula, ut dæmone malo correptum missa epistola restituerit; ut item solo attactu eum qui luxatam habebat apophysin ossis majoris fœmoris, sanaverit; ut oculis item capto visum, atque manu laboranti integram eam restituerit.

XXIV. Bene eveniat auctori, qui nos opera sublevat. Nempe quam vera ista sint etiam manifestum est, quando tonitrua ventosque in doliis, et tripodas ex saxo proprio motu obambulantes, æneosque pincernas calices in orbem circumferentes, commemorans primum, hæc ipsa quasi vera narrando, reliqua etiam omnia meras fabulas esse prodit atque arguit.

XXV. Refert autem Philostratus etiam Damin dixisse, se non præsente quoque cum Iarcha Apollonium philosophatum esse, munusque ab eo tulisse annulos septem, planeta-

rum nominibus insignitos ; quos etiam gestaverit, unum post alium, pro ratione nominum diebus impositorum. Hæc tamen isto quidem loco referens, qui veritatis studiosus Philalethæ judicio est, alio scripti illius loco, quasi damnans Brachmanum incantamenta, utque ab iis immunem præstet Apollonium curæ habens, subjungit verbotenus ista : « Videns autem tripodas apud Indos pincernasque, et quæcumque suo motu acta procedere dixi, neque interrogavit qua arte hæc confecta sint, neque discendi ea ipsum voluptas incessit. Verum laudavit quidem, imitari tamen dignatus haud fuit. » Illene vero [hoc fecerit], qui Damide summoto cum iis conversari magni faciebat, atque sodalem unicum, quidquid etiam est [cum iis] quod egit, ignorare oportere censebat ? Qui vero imitari dignatus haud sit, qui planetarum nominibus insignitos annulos accepit, eosque per omnem vitam gestare necessarium sibi duxit, prout ferrent nomina cujusvis diei ; et quidem eo quod arcana, ut ipse ais, virtute præstarent ? Ut vero concedamus etiam imitari ista eum noluisse, propterea certe non imitatum esse manifestum erit, quod recte sibi haud facere viderentur. Quomodo igitur ob ea laudavit quæ non dignaretur imitari ? Et, si tanquam arte divina operantes collaudavit, cur imitatus haud est laudem quæ mererentur ? Porro vero post moram apud hos factam, Apollonium una cum suis revertentem, ad Oritarum ait venisse regionem, ubi ærea saxa, arenaque ærea, ærisque ramenta fluvii vehunt. Atque ista sunt quæ in tertio libro continentur.

XXVI. Sequentia jam percenseamus. Ex India in Græciam reducem ab ipsis diis refert socium deorum eum esse declaratum : qui et ægrotos ad eum, sanitatis recuperandæ causa, remiserunt. Jamque quasi ab Arabibus, Magisque et Indis stupendum virum et plane divinum advehens, miras inde narrationes instituit. Atqui non immerito dicat ali-

quis : Quod si jam olim excellentioris quam est humana extitisset naturæ, non jam demum, sed potius antequam aliorum profecisset institutione, miraculorum patrandorum initium eum facere par erat. Præterea superforanea futura fuisset, quam ab Arabibus, Magisque et Indis studio sibi conquisivit, doctrina, si quis eum juxta ea quæ Philostratus ponit extollendum putet. Sed tamen ille, juxta veracissimum istum scriptorem, jam demum adest, sapientiæ argumenta publice exhibens.

XXVII. Ac primo quidem, veluti ab Arabibus et augurali eorum schola adventans, passerculus quid sibi vellet, ad pastum cæteros qui invitabat, auditoribus interpretatur. Tum appetentem pestilentiam ante sentiens, civibus illam prædicit. Ejusque rei rationem apud Domitianum ipse quoque edidit; rogante enim eum Domitiano, quo id prædixisset instinctu : « Diæta, *inquit*, o imperator, magis tenui usus, » primus omnium persensi malum. » Tertium inde patratorum ei miraculorum exponit, ut pestem nempe depulerit. Quod tametsi cum maxime scriptor in iis quæ sub finem habentur accusationibus non commemoraverit, quoniam, ut verosimile est, apologia illud crimen non poterat diluere; nihilominus tamen nos age, istam historiam in lucem producamus, eam quoque ita examinaturi. Si cui enim minus alias constaret liquido, spissum hoc esse mendacium, et magica revera superstitione refertum, ipsa narrationis ratio id esset evictura. Pestem enim statuit mendici pannisque laceris induti senis habitu apparuisse : quem cum lapidibus obrui jussisset Apollonius, primum ait flammam emisisse oculis ; tum vero lapidibus obrutum canem obtritum et ore spumantem, rabidorum more, apparuisse : ipsum autem de eo etiam Apollonium, in sua ad Domitianum imperatorem apologia, ita locutum esse scribit : « Pestilentiæ enim » forma mendico, eo habitu circumvaganti, assimilabatur ;

» eamque vidi, visamque vici, non ut cessaret lues efficiens, » sed plane e medio eam tollens. » Quis vero, talia legens, præstigiatoris magno risu non excipiat portenta? [monstrum] oculis viventium, et lapidibus in se conjectis obnoxium, ab hominibus vero obtritum, et ore spumans : pestis naturam qui sciat, quod aliud sit nihil quam corruptela et vitium aëris nosmet ambientis, atque in noxium versi habitum, et malignis ac depravatis exhalationibus, ut medicorum tradit doctrina, inspissati. Imo et habita cæterarum circumstantiarum ratione hocce explodere liceat spectrum, quoniam nempe soli urbi Ephesiæ, non vero finitimis etiam pestem gravem incubuisse narrat oratio : quod factum certe haud esset, si vitium ab aëre ambiente fuisset contractum ; minime enim, angustiis conclusus, solum Ephesium aërem morbus obsidere potuisset.

XXVIII. Quarti miraculi loco Achillis producit manes, primum quidem in chlamyde quinque cubitales, inde duodecim cubitorum magnitudine ad sepulcrum ipsius Apollonio conspectos, et de Thessalis conquerentes, quod sibi inferias, ut more erat receptum, non solverent ; Trojanis præterea iratos, ob ea quæ in eum peccavissent ; atque Apollonio, ut quinque proponeret quæstiones, quas vellet ipse, et Parcæ proponi paterentur, permittentes. Inde vir ille, rerum omnium solers, et futura antea sibi innotescere gloriatus, adhucdum ignorat funeratusne sepulcro Achilles fuerit, Musæque illi ac Nereides an lamenta profuderint, deque his illum rebus percunctatur : neque minus an Polyxena illius ad tumulum cæsa fuerit, interrogat, Trojamve Helena an pervenerit. Præclaras vero, multumque ad philosophicam divini illius viri vitam conferentes, serioque proinde studio dignas quæstiones ! Miratur item præterea, quod tot heroës inter Græcos ætate eadem esse potuerint, et quod ad Trojam Palamedes fuerit præsens. Virum autem

cum diis familiariter versatum, « sive forma apparentium » visibili, sive non obnoxiorum oculis, » talia ignorare, et de ejusmodi interrogare rebus, quomodo turpissimum non censeatur? Nisi forte, quia mortuos interrogans inducitur, ideo frigidiores quæstiunculas auctor fingit, ut tollat suspicionem, qua ille ultra quam par est curiosus extitisse videri poterat. Sane enim et apologia usum nobis sistit Apollonium, quod eo modo quo in necyomantiis fieri solet, ipsi visa oblata haud fuerint. « Neque enim, *inquit*, ut » Ulysses scrobe effossa, neque cæsis agnis manibus pla- » tacis, in Achillis colloquium veni, sed precibus fusis, » quas Indi censent heroïbus fundi oportere. » Atque de istis jam apud sodalem gloriatur, qui nihil ab Indis accepisse, neque eorum imitatus sapientiam esse alibi huic scriptori perhibetur.

XXIX. Sed heus bone vir, nisi damnabilis illa erat magia, quid est quod vel unicum tibi familiarissimum, eumque solum, Damidem, admirandi hujus spectaculi et confabulationis participem haud fecisti? Cur item plena die id facere haud licuit, sed nocte intempesta a te peragi oportuit solo? Cur item gallorum cantus heroïs manes fugarunt? « Abiit » enim, *inquit*, cum fulgure quodam modico, namque et » galli gallinacei jam cantum exorsi fuerant. » Impuris itaque dæmonibus forte magis opportunum fuerit ad magicas conversationes istud tempus, non vero heroïs manibus, quos, crassa ista corporis solutos materia, probos esse, omnique virtutum genere abundare oportebat. At qui isthic inducitur dæmon, invidis est et parum benignis moribus : iracundus item repræsentatur idem, et pusillo animo. An non enim talis habendus sit, qui Antisthenem, probum adolescentem, ut qui philosophum sectari Apollonium cuperet, ab eo avulsit? Nempe cum Apollonius ne participem philosophiæ faceret suæ prohibet, ratione addita : « Priamides

» enim est genuinus, et Hectorem laudare non desinit. » Qui iracundum item et animo pusillo non dicam esse? qui Thessalis succenset, quod sacra sibi non faciant; et Trojanis, quod innumeris ante annis injuria eum affecissent, reconciliari nolit, sacrificantibus licet atque libantibus ei indesinenter. Sed et Palamedis sepulcrum una cum illius statua male dirutum restaurari jubet.

XXX. Quintum porro sextumque miraculum non opus habent ut longa eis oratione immoremur, qua pateat stolida scriptoris simplicitas: dæmonas nempe exturbat, alium, ut vulgo aiunt, ope alterius; alium nempe ex adolescente infrunito, alium porro qui face muliebri esset indutus. Atque hunc quidem *Lamiam* et *Empusam*, ipsis hisce adhibitis vocibus, sapientissimus auctor appellat. Puellam inde in urbe Romana, quod post mortem in vitam reduxerit iterum, cum vel ipsi Philostrato plane incredibile videatur, plane repudiandum. In ambiguo enim hæret, num vitalis auræ scintilla, in puella residua, medicos latuerit. Famam enim esse ait, pluviam tum cecidisse placidissimam, ex puellæ vero facie vaporem exhalasse. At certe, si vere tale quid in ipsa urbe Romana fuisset patratum, fugere primo ipsum quidem non potuisset imperatorem, neque principes qui proximum ei locum obtinent omnes, præcipue autem qui ea tempestate in istis partibus agebat, imo in ipsa urbe Roma tum versabatur, Euphratem philosophum, qui subsequentibus temporibus controversiam tanquam mago ei intentasse narratur. Sane vero hoc omnino etiam, si quidem factum id esset, cæteris imputationibus ab accusatore additum fuisset. Atque ista quidem sunt particularia Apollonii facta atque specialiora; at alia etiam innumera præsaga mente dixisse eum, vaticinatumque esse et præcecinisse, scribit. Hoc item, ut Athenis initiari Eleusiniis sacris cupiens, a Cereris sacerdote prohibitus fuerit,

nolle sese aïente magum initiare, Eleusiniave sacra pandere homini minus puris addicto sacris. Imo etiam ei qui impudice Romam pervagabatur, Neronisque carmina ad citharam mercede cantillabat, mercedem ut solverent ob præclaram operam, sodalibus suis summus ille philosophus, Neronem metuens, præcepit.

XXXI. Atque istis quidem quarto etiam absoluto, in quinto institutæ de eo scriptionis libro, ubi de fatidica ejus facultate nonnulla dixisset, eumque admiratus esset scriptor, ista ad verbum subjungit : « Quod autem hæc divino quodam » motu prædixerit, quodque parum sana utantur mente » magum fuisse illum qui opinantur, satis constat ex dictis » hucusque. Sed tamen ea quoque de re amplius dispicia- » mus. Incantatores, eos autem ego mortalium infelicissi- » mos puto esse, partim spiritibus torquendis sese appli- » cant, partim barbaris sacris, partim carminibus aut vene- » nis fatorum sancita se quidem mutare aiunt. Apollonius » autem fatorum decreta sequebatur, fatalique necessitate » eventura prædicebat : prædicebat autem non magiæ ope, » verum deorum revelatione edoctus. Cumque apud Indos » vidisset tripodas, pincernasque et cætera quæ spontaneo » motu in medium prodire aiebant, neque qua comparata » essent arte interrogavit, neque ut doceretur quomodo » facta essent petiit; verum laudavit quidem, imitari ta- » men haud est dignatus. » Hæc referens, celeberrimos illos Indorum philosophos magos manifeste fatetur esse. Nam de magis sermonem instituens, eorum mentionem facit; stupenda opera eos arte sua producere aiens, ejusque eorum artis, tanquam parum liberalis, imperitum eum de quo orationem instituit esse statuens. Si igitur convictus fuerit Apollonius quod deos vocaverit hos ipsos, et pro præceptoribus agnoverit, intempestivum haud erit, eis quibus magistri ejus tenentur imputationibus ipsum quo-

que obnoxium censere. Inducitur ergo apud Nudos, quos vocat [Philostratus] Ægyptiorum, ad verbum prolocutus sequentia : « Neque absonum quid mihi evenire puto, si » philosophiæ obnoxius evadam pulcherrime ornatæ, quam » decenti habitu indutam, Indi sublimi et plane divina vec- » tam machina, in scenam provehunt. Quam jure autem eos » admirer, jure sapientes esse atque beatos existimem, jam » tempus est ut percipiatis. » Et paulo post ait : « Hi dii » enim sunt, et Pythiæ exemplo ornantur. » Domitianum quoque imperatorem hujusmodi verbis inducitur allocutus : « Quodnam tibi adversus Iarcham et Phraotem Indos est » bellum ? quos ego solos inter homines deos esse puto, ea- » que appellatione dignos censeo. » Aliisque in locis simili- ter deos Apollonii atque magistros agnoscens historia illa prædictos [philosophos], annulosque ab iis accepisse fassa, nunc istorum velut obliviscitur una cum magistris discipu- lum, opprobriis obnoxium sese reddere non sentiens.

XXXIV. Dum pergit vero scribere, tibicinem quemdam inducit ; Apollonium autem, quasi maxima illa et præclaris- sima scientia esset modos tibiæ inflandæ, magno studio, prolixo discursu, prosecutum narrat. Vespasianum porro imperatorem ei, quasi deo, supplicem factum ait ; atque ip- sum quidem, supplicantis more, *Imperatorem me facito,* dixisse : huncque, *Jam feci,* respondisse. Quis vero non odio habeat merito, insolentiæ plenam proximamque insa- niæ vocem ? quando jam ipsum se deum, et imperatores creandi potestatem habere fremit, navis Ægyptiæ olim gu- bernator ? Talem enim se fuisse, qua animum, ipse Apol- lonius in sermone cum Indo paulo ante nobis indicavit.

XXXIII. Eidem imperatori, ut sibi indicaret roganti quosnam philosophos in consilium rerum gerendarum adhi- bendos maxime probaretit, a ad verbum respondet : « Boni » illarum rerum consiliarii et isti sunt, Dionem Euphratem-

» que manu monstrans, cui nihil adhucdum cum eo contro-» versiæ intercedebat. » Et rursum : « Sunt, *inquit*, o Im-» perator, Euphrates et Dion veteres amici tui, in limine, » rerum tuarum satagentes ; illos igitur ad conferendos ser-» mones, quæso, admitte etiam. » Viri enim sapientes sunt. Ad quæ Vespasianus : « Sapientibus, *inquit*, viris fores sem-» per præbere soleo patentes. » Euge vero egregiam rerum futurarum in illo heroe scientiam ! Bonus jam est et sapiens Euphrates, quia nulladum inter eos orta contentio. Sin vero aliqua oriatur, quam longe talis ut habeatur aberit ! En tibi quæ de eodem idem ad Domitianum scribat : « Et » certe quantas comparare opes philosophus possit, potentio-» ribus si aduletur, Euphratis fortunæ ostendunt. Illi nempe » inde (quid enim opes dicam ?) inexhausti sunt divitiarum » fontes. Jamque ad mensas disputationes habet, mercator » magnarius, vilis cocio, publicanus danista, ipse omnia » factus, venalis et vendens. Semper autem potentiorum » liminibus hæret affixus, inque iis ultra etiam quam jani-» tores subsistit. Quin sæpe a janitoribus eum intercludi » contigit, ut canes gulosi intercludi solent. Philosopho au-» tem vel drachmam impertitus nunquam, opes suas muris » circumvallat, extortis ab aliis huncce Ægyptium pecu-» niis pascens, linguamque in me acuens excindi meren-» tem. At Euphratem tibi relinquo ; tu enim, nisi adulato-» ribus admodum delecteris, multo quam dico hominem » deteriorem esse invenies. » Qui ergo apud Vespasianum patrem sapientem esse Euphratem et probum est testatus, ista apud filium autem profert, manifeste ejusdem viri et laudator esse deprehenditur et accusator. Itane vero qui futurorum præditus scientia est, qualis sit qualisve futurus sit Euphrates ignorat ? At neque nunc primum, sed ipsius jam Vespasiani ævo carpere Euphratem, ut qui perversis sit moribus, instituit. Quomodo talem igitur impe-

ratori commendat, ita ut ipsi quoque patentes, illius commendatione, palatii imperatoris fores panderentur? Verum vel cæco, ut in proverbio aiunt, jam perspicuum sit, quod in divinandi arte detrahatur viro ab historico. Concedamus autem in cæteris eum generosum animum demonstrasse, pericula etiam pro amicis subeundo frequenter. At certe Euphratem aditus ad imperatoris palatium participem reddens, postea tamen, ob intercedens dissidium, talia de eo proferens, nonne, ipsa suadente mihi ratione, Euphratis egisse sycophantam arguitur? philosophorum suæ ætatis clarissimi, qui hodie etiam ab iis qui philosophiæ imbuti sunt studiis celebratur. Quod ipsum vel illustrissimum alicui, si velit, [justæ] Apollonii reprehensionis exemplum præbeat. Si Euphrates enim omnium consensu philosophiæ studiis clarissimus habeatur, intempestivum certe minime fuerit, illius eo evincere adversus improbitatem odium, quod mala Apollonii facta fuerit insectatus; hunc vero, qui ab eo arguebatur, [concludere] mala fama oppressisse eum, quasi vitam ageret philosophiæ minime consentaneam.

XXXIV. Rursum portenta in sexto libro loquens nugator, camelis eum una cum sociis vectum sistit ad philosophos quos Nudos appellat Ægyptiorum. Ubi Gymnosophista, ut quidem narrat, jubente, ulmus arbor Apollonium voce articulata et muliebri affata est. Hisce autem Philalethes fidem a nobis vult haberi. Deinde Pygmæos, ultra Gymnosophistarum patriam positos, Anthropophagosque et Umbripedes commemorat, Satyrumque ab Apollonio inebriatum. Inde autem in Græciam redit, et rursum cum imperatore Tito sermones et vaticinia communicat. Atque adolescentem a rabido morsum cane, cujus etiam anima quæ sit (Amasis nempe Ægyptii quondam regis) divinat, ab eo liberat morbo : ipsum quoque canem in benignitatis suæ partem ad-

mittens. Atque hæc quidem sunt quæ antequam [apud imperatorem Domitianum [deferretur, gesta ab eo fuere.

XXXV. Id vero in tota illa tenendum historia est, quod, si concedatur vel maxime scriptori vera eum dicere portenta illa dum refert, mali dæmonis tamen opera omnia ista patrata esse ab Apollonio, facile evincatur. Quod enim pestem ante sensit, forte non carebit superstitione, si ut ipse [facit] *ex tenui victu* derivetur *et puro,* prout a Philostrato narratum : forte tamen ex commercio mali spiritus ejus rei indicium ipsi est factum. Enimvero cætera etiam quæ fatidica virtute assecutum atque prædicentem inducit, vel mille argumentis ex ipso Philostrati scripto arguere licet : ut una hoc quoque sit concedendum, magica arte, imo parum abest quin dicam per spiritum familiarem, quasdam rerum futurarum, non enim de omnibus loquor, assecutum eum fuisse. Idque luculenter eo firmatur, quod non semper et in omnibus divinatricem istam vim conservaverit, verum dubius fuerit in quamplurimis, de multis, quod ea ignoraret, interrogaverit : id quod ei, si divina virtute polluisset, neutiquam obtingere poterat. Ipsum vero etiam finem pesti impositum, quem nactum illud drama fuit, meram imposturam, prætereaque nihil fuisse, jam antea a nobis est demonstratum. Sed et Achillis umbræ apud tumulum ipsius quid moræ esse possit, relictis illis in beatorum insulis, ut forte quis censeat, habitaculis? nisi hoc quoque præsentis actum sit dæmonis apparitione. Porro dæmonem qui protervum illum luculentis indiciis obsidebat adolescentem, et rursum Empusam, Lamiamve, quam Menippum ait agitasse, majoris dæmonis ope eum expulisse est verisimile. Pariterque vicissim mente motum adolescentem rabidi canis morsu, ipsumque dæmone correptum canem eadem arte curavit. Agnosce igitur, prout antea dixi, omnia ejus portenta malorum dæmonum patrata mi-

nisterio esse. Nam quod ad puellam spectat ab inferis revocatam, si spiritum adhuc ea intus habebat, vitalis auræ scintillam, quod ait scriptor, humidumque vaporem facie adhuc præferens : id quidem numero miraculorum est eximendum. Neque enim, sicut et ante monui, tam grande facinus silentio potuisset involvi, in ipsa urbe Romæ in conspectu quasi imperatoris patratum.

XXXVI. Equidem alia innumera ex iisdem libris colligere liceret, quibus quam facile confutari queant, quam parum invicem sibi respondentia habeant, quam sint fabulosa, quam plena monstris evincamus. Attamen quandoquidem non accurato nimis adversus hominem studio nobis opus est, quod tantum absit ut inter deos stupendosve viros et admirandos [locus ipsi habeatur,] ut ne inter philosophos quidem a quibusdam nostri ævi hominibus mentio ejus fiat; idcirco iis contenti quæ dicta sunt, ad septimum quoque de eo librum progredimur.

XXXVII. Magiæ igitur dica Apollonio scribitur. Inde autem Demetrio philosopho, dehortanti eum ab itinere Romam continuando, minime obaudiens, insolenter quædam ac superbe de se ipso his fere verbis profert : « Ego mortalium cunctorum scio plurimum : scio enim omnia. Quæ » scio autem partim scio bonis viris, partim sapientibus, » partim ipsi mihi, partim diis. » Sed enim qui verbis istis omnia se nosse magnifice gloriatur, paulo post ignorantiæ in quibusdam in ipsa illa historia arguitur. Inde porro Damis transformatur ab eo, ob mortis metum philosophum abscondens. Sed audi Philostratus quæ dicat, id factum ejus defendens : « Et causa quidem extitit ista, cur Pythagoreum Damis habitum mutaret. Neque enim abjecisse se » ait eum, ut qui vitæ institutum mutasset in deterius, ne» que quod ejus ipsum pœniteret, sed quod astum proba» ret, cui se accommodaverit, tempori inserviturus.

XXXVIII. Post hæc Philostratus quatuor accusationis capita, quæ facile se apologia diluere posse putaret, exponit : ex pluribus aliis eorum delectum habitum esse inquiens. Horum primum erat : « Qua de causa eodem quo cæteri habitu nonutatur ? » Alterum porro : « Quare Deum ipsum homines putent esse ? » Tertium : « Quanam ratione pestem Ephesiis imminentem prædixerit ? » Præterea : « In cujus gratiam in agrum profectus, Arcadem puerum discerpserit ? » Atque ad depellenda ista apologiam quoque eum scripsisse ait. Ante vero in vincula eum conjectum memorat, atque in iis etiam admiranda quædam præstitisse. Damidi enim animo valde afflicto, ut par erat in ista præceptoris sui fortuna, sponte pede delapsa vincula eum monstrasse ; inde vero, ubi ejus tristitiam esset solatus, priori statui pedem restituïsse. Post hæc coram Domitiano imperatore causam dicentem, mox crimine absolutum scribit, dilutisque quæ objecta fuerant criminibus, nescio quomodo parum opportune sequentia, ipsis verbis, in dicasterio magno clamore protulisse : « Fac et mihi [*dicenti*], quæso, locum. Sin minus immitte qui corpus vinciat meum, quandoquidem ligari anima nequit. Imo potius ne corpus quidem meum vincias.

» Nec me enim occides Parcis me auferre negatum. »

Dumque istud tam celebre dictum proferret, e dicasterio eum disparuisse ait. Atque hæc est fabulæ ejus catastrophe.

XXXIX. Historiæ autem ipsius scriptor, dum miraculum in carcere patratum exponit, quod fuco phantasiæ, ut credere par est, facto familiaris spiritus ope Damis viderat, hæc verba subjungit : « Tum primum Damis ait naturam Apollonii accuratius perspexisse, divina quod sit et humana major. Neque enim sacra ulla obeuntem (qui enim in carcere potuisset ?), neque precationibus usum, neque verbum proferentem ullum, pedicas contemptui habuisse ; rur-

» susque crure illis inserto, ut vinsulis qui esset constric-» tus sese gessisse. » Ego vero vitio vertere quidem discipulo nolim tarditatem suam, quod omne cum eo consumens ævum, et superstitiosorum quorumdam rituum interventu mirabilia eum patrare videns, nihil eum mortali præstare natura existimarit. At vero etiam post tantum opus patratum, qualis ille existat ignorat : et, ut fas sit ignoranti, ob ipsum angitur atque timet, perinde ac si homo sit nudus, ne quid ei quod minime velit eveniat. Porro si post longam adeo conversationem demum divinum eum esse, et excellentioris quam humana sit indolis, intellexit; ejus rei ratio meretur examinari, quam ipse scriptor ille indicat dicens, « neque sacra obeuntem eum ulla, neque pre-» cationibus usum, neque arcani quidquam mussitantem » Damin miraculum istud patrare vidisse. Antea igitur patrata per magicas artes quasdam ab Apollonio peracta fuere, propterea que neque obstupuisse ea neque admiratum esse Damin [ait]. Merito autem [ut admiraretur] nunc primum ei evenit, quod insolitum quid ab Apollonio et præter morem efficeretur. Quod autem [objectum Damidi] pedicæ spectaculum attinet, discessumque ex dicasterio, ipsius ea de re Apollonii ad Domitianum sermones haud invitus apponam. Vinculis enim cum illum ligari imperator jussisset, optimo argumentandi nexu ita Apollonius argutatus fuit : « Si magum me esse arbitraris, quanam ratione vincies? » Sin vincire me poteris, quomodo esse magum putabis? » Sed opponere ipsi hoc modo aliquis posset, occasione ex istis accepta : Si tu magus non es, quomodo tibi crus est solutum? At si solutum est, quomodo non es magus? Sique adeo eo quod in vincula se conjici sit passus, magus non esse evincitur; hoc ipso quod vincula exuit, magum eum proprio effato esse, in confesso erit. Et vicissim, si ex eo quod judicio se submisit, magum non esse patet; in hoc ipso

certe quod ex eo sese surripuit, ipsique imperatori se subduxit, addo et stipantibus eum corporis custodibus, luculenter sese prodidit magus. Quamobrem, ut mihi videtur, ipsa Philostrati oratio, dum eam rem animadvertit, facto illi medicinam parat, [referens] quod nullis obitis sacris, incantamentisve adhibitis, occulta quadam et humanam indolem superante virtute, miraculum hocce patratum fuerit.

XL. Verum rursus non ita multo post naturæ ejus nobis suppeditabitur argumentum. Cum ex insperato enim ad eum accederet nonnemo, diceretque : « Hisce te vinculis, o » Apolloni, eximi jubet imperator, utque in liberiore car» cere degas permittit; » tum ultra hominum sortem positus ille, futurorumque antea gnarus,

Muti concipiens animum, sensusque tacentis,

præ nimio, ut videtur, gaudio fatidica excidens virtute, nuntium rogat : « Quis vero me isthac est traducturus? » Ille autem, « Ego, *respondit;* tu modo sequere. »

XLI. Postremo orationem apologeticam quoque composuit studio ingenti vir ille plane divinus, ignarus nempe inanem operam in eo se scripto consumpturum. Putabat enim se ab imperatore iri auditum recitantem apologiam; eoque quod auditurum eum speraret, ad persuadendum cummaxime orationem componit. Cæsar tamen eam non ferens, irritum ejus studium reddidit. Audi igitur de his etiam quid dicat, sibi ipsi adversante oratione : « Quoniam vero oratio » etiam ei conscripta est, ut qui ad clepsydram causam es» set dicturus, eum autem tyrannus intra quæstionum, quas » dixi, angustias conclusit, oratio quoque huic historiæ in» seratur. » Vide igitur ut a futuris longissime aberrans, vir ille plane divinus, quam maxima potuit cura, velut ad clepsydram dicturus, elaboraverit.

XLII. At et ipsa percensenda est frustra ab eo elaborata

apologia, et quæ, multa alia inter quibus Domitianum compellat, arroganter jactat, diserte inquiens : « Te igitur imperatorem Vespasianus fecit; ipse a me est factus. » Vah arrogantiam! qua ne ex vulgo quidem quispiam, nedum vere philosophus, humanaque excellentior natura se jactitet, nisi insaniæ dicam a prudentioribus sibi scribi velit. Deinde vero a suspicione qua premebatur se ipsum purgans, sequentia profert de magis : « Equidem magos falsæ sapientiæ puto alumnos esse. Nam quæ non sunt ut esse videantur, et quæ sunt ut non esse videantur, faciunt. » Ex tota igitur ista tractatione, et sigillatim expositis omnibus, discas licet, an in diis, an in philosophis, an in magis censendus sit, iis admissis quæ ipse de magis et spuriæ sapientiæ cultoribus dixit, et quæ historia ejus de ipso retulit. Nam quercus et ulmi articulata ac muliebri voce locutæ, tripodes etiam spontaneo motu incedentes, æreique servi discumbentibus ministrantes, imbrium item dolia ac ventorum, et sandaracina aqua, et quæ alia repræsentantur ab iis quos deos est arbitratus, et quos ne præceptores quidem agnoscere est dedignatus, in quem alium competere putes, ni in eos qui « quæ non sunt ut esse videantur, et » quæ sunt videantur non esse, efficiant? » quos ipse magos appellans, spuriæ sapientiæ cultores esse demonstrat. Num igitur istis argumentis divinus hic omnique virtute excultus, ipsisque diis gratissimus, sapientiæ coronatus braveo, ipso divinior Pythagora ejusque discipulis, beatiorque censendus erit? an contra spuriæ sapientiæ damnatus, inter infelicisssimos primas feret potius?

XLIII. Rursum in apologetico illo scripto se in Ionia de fatorum vi ait disputasse, adeo mutari non posse quæ texunt ista docentem, ut si imperium huic decernant, quod in alterius nunc quidem sit potestate, nemo illum interimere possit, ne ab illo sibi imperium eripiatur; imo si vel interemptus

fuerit, revicturum tamen eum ut fatis decreta eveniant. Quibus sequentia ipsis iisdem syllabis subjungit : « Cuicumque » fato decretum fuerit lignarius ut sit, is manibus truncetur » licet, in lignarium evadet. Et cui cursu vincere in Olym- » pia [*destinatum est*], hic ne abscisso quidem si claudicet » crure, victoria fraudabitur. Et cui ut sagittandi valeat » arte Parcæ decreverint, hic vel captus oculis sagitta a » scopo non aberrabit. » His vero, adulaturus imperatori, subnectit et ista : « Regum autem exemplo usus sum, ad » Acrisios respiciens et Laïos, Astyagemque Medum, et » complures alios, qui bene se in hujusmodi rebus consu- » luisse sibi videbantur. Quorum alii filios, nepotes alii e » medio sublatos esse putantes, ab iisdem illis spoliati sunt » imperio, reviviscentibus quasi, ut in ipsos insilirent, ad- » juvantibus fatis. Quod si adulandi studio tenerer, dicere » possem etiam tuas animo meo res esse obversatas, quando » a Vitellio obsidebaris templumque Jovis optimi accende- » batur in summo Urbis vertice. Ille vero bene se res suas » habituras putabat, modo tu ejus ne evaderes manus. At- » que adolescens tunc plane eras, nequedum qualis nunc es. » Verumtamen, quia Parcis aliter est visum, Vitellius qui- » dem, dum ista ageret consilia, male periit ; tu vero quæ » illius erant nunc possides. Sed quoniam adulatorum can- » tus me offendit (videtur enim mihi dissonus esse ac dis- » cors), rumpenda mihi ista est chorda. Neque velim ut » arbitreris de tuis rebus me cogitasse. » His autem Apollonium adulatorem juxta et mendacem, et quidvis potius quam philosophum, nobis sistit historia ista, veritatis adeo studiosa. Namque idem, qui graviter adeo prius in Domitianum fuerat invectus, nunc adulatur vir strenuus, simulatque ac si non contra ipsum ullo modo, sed pro ipso potius faciant, quos in Ionia ipse de fatis atque necessitate moverat discursus. Sume igitur in manus tuam, o scriptor,

historiam, et veritati pervigilium agens, antea tibi in litteras relata clara voce et veritatis studium præeunte relege, nec te subducas huic oneri : ut nempe commoratus Ephesi, « a Domitiano viros abalienaverit, et ut communem tue» rentur libertatem confirmaverit : atque commercia quidem » per epistolas minus tuta ipsis esse putaverit, adeoque so» dalium prudentissimis, modo hoc modo alio a turba se» ducto, dixerit : Magni te facio arcani ministrum ; oportet » autem Romam te abire ad hunc vel illum, atque cum eo » disserere. » Ut item de fatis et necessitate locutus sit, atque ostenderit oratione, quod ne tyranni quidem fatorum mutare decreta valeant. Ut porro ænea cum esset Domitiano ad Meletem fluvium posita statua, in eam ut intuerentur præsentes omnes permoverit, dixeritque : O stulte, quam fatorum ignoras indolem atque necessitatis ! cui enim ab eis ut post te imperet fuit decretum, ille, si perimas etiam, reviviscet. Jam ergo, qui post sermones hujusmodi adulatur tyranno, atque nihil eorum in ipsum dictum esse simulat, quomodo omnis is nequitiæ animique illiberalis reus non agatur ? Nisi forte mendaces quosdam et calumniatores Apollonii esse statuat, non veraces auctores, hæc qui memoriæ prodiderunt. Ubi jam igitur illi Philalethis auctores, « qui eruditione plurimum profecere, veritatisque » studiosissimi ? Damis, inquam, philosophus, qui et comes assiduus ei de quo agitur fuit ; Atheniensisque Philostratus, a quibus ista nobis proponuntur : quos luculenter adeo sibi repugnare ipsis, jactatores certe vanissimos, et contradictionibus suis spissorum mendaciorum convictos, indoctos item et magos lux veritatis demonstravit.

XLIV. Postremo Apollonium judicio absolutum sese in Lebadeam recepisse memorat ; cumque in Trophonii specum descendere affectaret, prohibitum ab incolis esse, his quoque magum eum esse censentibus. Atqui merito ejus rei

suspicio obtineat, si quis contulerit ab initio Philostrato dicta, ubi ægre ferens suspicionem quibusdam esse ortam magus quod sit, id ipsum admiratus inquit : « Empedoclem » atque Pythagoram Democritumque, qui eorumdem ma- » gorum extiterint discipuli, nunquam tamen in artis illius » suspicionem venisse; Platonem quoque, tametsi ab Ægyp- » tiis sacerdotibus prophetisque multa accepisset, eaque suis » libris inseruisset, nequaquam tamen cuiquam magiæ ad- » dictum visum esse. De Apollonio autem nondum satis » hominibus innotuisse quod ingenuæ sapientiæ usus sit ad- » jumentis magumque creditum esse eum, quod Babylo- » niorum magis Brachmanibusque Indorum, ac Ægyptiis » Nudis se in disciplinam dedisset. » Quid igitur Philostrato responderi, amice, convenit? Nempe, vir iste ejus generis res molitus fuit, ut solus et olim et nostra ætate fuerit habitus magus, præ ejuscemodi viris qui, licet eosdem, quod tu quidem ais, experti fuissent magistros, et suo tamen ævo bona fama gavisi sunt, et posteris quoque temporibus philosophiæ suæ virtutem commendatissimam reliquere. Annon igitur ultra quam fas sit eum molitionibus suis processisse, quibus sana mens est omnibus manifestum fit? Suntque etiamnum hodie qui magicas machinas, quæ viri illius esse dicantur, sese dicant reperisse. At istis animum advertere nunc quidem haud placet. De morte autem etiam viri prioribus consentanea dum concinnat, nulla parte veritatem rei sibi innotuisse ostendit : alios enim Ephesi exitum ejus contigisse ait referre, alios autem Lindi, in Minervæ templo, alios in Creta insula. Et cum tantum caliginis illius morti offundat, vult tamen eumdem cum ipso corpore ad superos evolasse : nam cum templum, prout ille ait, ingressus esset, valvas repente occlusas, inexpectatumque virginum cantum ex eo auditum esse; cantumque fuisse istum : « Veni, veni in cœlum, veni. » Addit quod ne in cenota-

phium quidem ejus inciderit, cum tamen ipse universum orbem, qua late patet, peragrasset. Vultque hoc ipsi animus, omnino mortem virum illum non attingere. Cum enim initio dubitet de modo quo vivis excessit, diserte deinde dicit in cœlum ascendisse eum. Quamobrem eum, tantus qui sit, et in proœmio et in toto opere, magis quam vel Pythagoram vel Empedoclem ait fuisse divinum, studiisque sapientiæ excelluisse.

XLV. Sed limites orationis constituentes istos, age paucis adhuc de fato atque Parcis tractemus : quid velit [scriptori] per totum opus istud doctrina arbitrii tollens libertatem, et necessitatem inducens legesque fatales, et fatum, dispecturi : hac enim ratione accurate a nobis Apollonii in doctrina errores etiam redarguentur. Si est igitur (ut veræ philosophiæ doctrina tradit) anima immortalis (siquidem quod semper movetur est immortale, quod autem movetur aliunde, ubi motus cessationem admiserit, vivere desinit); si item est causa electionis, et Deus culpæ est immunis : quæ ratio sibi persuaserit invitam, non sponte sua, velut inanimum corpus, ab externo aliquo agitatam, et veluti alienis nervis mobilem, huc et illuc perpetuo motu vigentem naturam duci, nihil unquam vi propria motuque agentem, neque ad se ipsam factorum a se causas referentem; atque ob id ipsum neque philosophantem laudem mereri, neque reprehensionem, si malitiæ ac delictorum plena fuerit? Quid igitur, amice, Euphratem conviciis atque animadversionibus prosequeris, si non suo arbitrio, sed fatali necessitate lucro deditus, ignominia, prout tu censes, philosophiam afficit? Quid magos item probris insectaris, spuriæ sapientiæ cultores appellans, qui fato tamen, juxta tuam opinionem, ad infelix istud vivendi genus trahuntur? Imo quid vitium omnino adhuc nominas? Neque malus quisquam jure a te damnatur, præscriptam sibi a fato necessariam

legem dum implet. Sic versa vice, qua tu ratione Pythagoram veneratus admirabilem vocas præceptorem, Parcarumque ludibrium qui sit, non sapientiæ amator, laudare non cessas? Phraotes porro et Iarchas cur potius quam alii homines a te pro diis habentur, cum propriam non ferant institutionis atque virtutis laudem? Similique ratione Neronis et Domitiani cur fato et necessitati infrunitam haud tribuis superbiam, ab omni crimine et culpa eos absolvens? Verum si cui fato tributum est ut, quemadmodum ais, cursor sit, ut sagittarius, architectus; perinde etiam ei qui incantamentis deditus est, ut magus evadat [a fatis obveniet]; similiterque sicario item, nebuloni, superbo : tum omnino ex necessitate talis erit. Quid igitur oberrans emendationis non capacibus virtutem proponis? aut quid in eos animadvertis quorum fata, non vero voluntas, monstrum alunt? Imo quid, si ipsi tibi fatis est destinatum ut divina præditus indole imperatorem mente sublimi despicias, magistrorum scholas frequentasti? quid Arabas, Babyloniorumque magos, et Indorum sapientes curiose obiisti? Omnia enim vel citra illam conversationem, quæ fatis essent decreta, tibi peragere licuisset. Quid iis item quos credis deis mellitas nequicquam placentas thuraque profundis, et pietatis induens larvam discipulos ad preces convertere laboras? Imo et ipse precatus quid deos exposcis, quandoquidem his quoque fata imperare existimas? Atqui oportebat, cæteris diis omissis, uni tantum Necessitati Parcisque rem divinam te facere, supraque Jovem ipsum venerari fatum. Ita vero dii nulli tibi amplius fuerint, et merito quidem, ut qui prodesse hominibus valeant nihil. Præterea si decretum fuit ut cives Ephesii peste corripiantur, quid contraria sanciens fato te præbes adversum? Imo, quomodo vicisti fatum, tropæum quasi de illo statuens? Si porro in puella Clothus jam stamina erant absumpta, quo tu pacto denuo

post mortem ejus novo colum induere filo, illique esse vitæ redeuntis auctor potuisti? Sed te fortassis eædem Parcæ ad hæc agenda ducebant.

XLVI. Nihil profers quod ad tuam faciat dignitatem, (multum abest,) qui antequam in corpus hoc esses delatus, in eorum qui in mari et fluctus inter ætatem consumunt, te fuisse censu ais Nempe necessitatis, ut verosimile, et hoc est. Nihil ergo quo admirationem mereare, neque natales tui et educatio, neque encyclios disciplina, neque vitæ genus temperantissimum, neque philosophica exercitatio. Nempe fatalis etiam quædam erat necessitas, quæ ad Babylonios ut proficiscerere te compulit. Vi item actus quasi Indorum quoque factus discipulus es : et ad Ægyptiorum Nudos non electio tua et sapientiæ studium, sed fatum te egit, collo te adigens obtorto Gadibus etiam Herculisque columnis, eooque atque occiduo oceano ut oberrares ; ipsoque fuso suo, ut nullo emolumento tuo hinc inde vagus discurreres, te coëgit. Quod si quis sapientiæ participem factum istorum ope dicat esse; ejus quoque rei causa fatum erit, neque amplius vir ille in iis qui discendi studio fervent censebitur, neque merito existimationem consequetur ob sapientiam quam non electione sua, sed necessitate ductus sibi comparavit. Eademque, juxta eum si comparatio instituatur, ratio erit ipsius Pythagoræ, et mancipii alicujus præstigiis dediti, et nullius pretii; ipsiusque Socratis mortem pro philosophia oppetentis, et eorum qui eum capitali supplicio afficiendum decreverunt; Diogenis item et Atticorum adolescentulorum. Utque paucis absolvam, sapientissimus et stolidissimus mortalium nihil different; nihil injustissimus maximeque justus, lascivus maxime et continentissimus, timidissimus et fortissimus distabunt, si eos omnes necessitatis et fati merum constet esse ludibrium.

XLVII. Sed enim contra hæc Præco veritatis inclamabit dicens: Heus homines, mortale et exigui temporis genus! quo ferimini incontinentiæ mero ebrii? desinite demum, e crapula expergiscimini, rectisque mentis oculis augustam veritatis intuemini faciem. Fas enim non est sibi ipsi repugnare veritatem, ac a se dissentire; neque duobus inter se maxime contrariis unam eamdemque causam subesse. Divinæ Providentiæ, omnia continentis, legibus divinis universum hoc regitur. Definita autem animæ humanæ potentia, principem eum ac judicem, rectorem et Dominum sui ipsius constituit : juxta naturæ leges et philosophorum placita eum docens, rerum alias esse in potestate nostra, alias vero non esse; et in nostra quidem potestate esse posita omnia quæ ab electione nostra et operatione pendent, cum quibus et ita a natura comparatum est, ut libera sint nec prohiberi a quopiam vel impediri queant. Quæ vero in potestate nostra non sunt, ea infirma sunt, obnoxia servituti, nihilque ad nos attinent, ad corpus pertinentia et res externas, animo et ratione destituta, atque omnino diversam a natura animalis ratione præditi naturam habentia. In eis vero quæ sunt in potestate nostra, ad alterutram partem propensionem, vel cum virtute, vel cum vitio conjunctam, in electione sua unusquisque positam habet. Porro autem Dominus et rector omnium recta ratione singula transigit, per universam commeans naturam. Hunc assidue sequitur Nemesis, eorum qui a lege divina discesserint vindex. Ad agendum autem quod feramur, non in Parcis, fatove et necessitate est culpa; sed culpa est in eligente : Deus omni culpa vacat.

XLVIII. Quod si igitur aliquis nimium audacter se gerat, in potestate nostra quæ sunt impugnans, eum latere non patiamur ulterius. Imo impietatem talis aperte profiteatur, non Providentiam, non Deum, non aliud quippiam præter fatum et necessitatem agnoscens. Imo et quæ hanc doctrinam

consequuntur sine involucro insuper proloquatur : non dari sapientem, non stultum, non æquum, non iniquum, non virtuti deditum, non pravum, non magum; non divinam indolem in humanis dari; neque vero philosophiam esse, neque disciplinam, neque artem omnino ullam vel scientiam. Nemo alterum [proinde] ingenio sive bonum vocet sive malum, sed confuse omnia, quasi vertigine, agi necessitate et Parcarum fusis. Impium igitur atque profanum istum in piorumne et sapientum censum referamus? Si tamen, cætera dissimulans, Providentiam statuere et deos, eis vero superius admittere præ se ferat fatum, merito quis velut præconis voce exclamet : Pugnantia et contraria maxime, eaque impia admittere deprehensus iste, ad insaniæ pœnas subeundas condemnetur. Atque ista hucusque quidem. Si autem post hæc etiam in philosophorum scholis locum facere viro dignati quipiam fuerint, eis dicendum, fore ut, ubi eum a labe aliunde aspersa purgaverint, itemque a machina quæ ex ista scriptione in eum impellitur immunem præstiterint; omnis quæ ex hac scriptione ipsi conflari possit invidia, e medio tollatur. Si veritatis autem metas egressus, divinam magis quam philosophi quæ sit excellentiam ei tribuere quis velit, ille imprudens magi omnino ei criminationem impinget. Itaque ejus generis libri, sophistica arte concinnati, apud prudentiores opprobrio et gravissimæ inculpationi ejus inserrituri potius mihi videntur.

EUSEBII PAMPHILI

ADVERSUS MARCELLUM

ANCYRÆ EPISCOPUM (2),

LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Quandonam incitatus Marcellus ejusmodi librum conscripserit.

Materiam illi subjectam et quasi styli argumentum, odium fraternum suppeditavit: quod ipsum certe ab æmulatione profectum est et invidia, quæ non paucos, ab ipso, alios in extremas calamitates præcipitarunt. Enimvero, ab exortu statim rerum, per invidiam procuratum et æmulationem fratricidium peragebatur. Unde profectus hic iste noster, cum, hoc unico excepto, nihil unquam litteris mandasset (et utinam ne hoc quidem ipsum), ab ingressu statim scriptionis suæ sanctissimis Dei sacerdotibus bellum sibi statuit indicendum, qui tamen hæreticorum illa agmina quæ catervatim ejus patriam deprædabantur neque scripto sibi statuit, sed neque dicto lacessenda. Qui, si doctrinæ salutaris aliqua illi affuisset vel scientia vel facultas, eam debebat universam ad istos oppugnandos convertere, et hostes hosce Dei et Ecclesiæ suæ, de finibus Galatarum exterminatos, ut a gregibus suis solent pastores boni feras atque lupos, effugare.

Ille vero suam ipsius gentem, velut terram quamdam hor-

ridam et incultam, serpentibus fœtam venenatis, susque deque habuit, ac in Dei sacerdotes, frustra quidem et incassum, iram tamen effudit ebullientem; neque illos de plebe nescio quos, sed ipsos illos qui per Dei gratiam divina plane, hoc est, vivendi philosophica quadam ratione, nominis celebritatem sibi comparaverant. Nec vivos tantummodo et videntes impetivit, sed jamdudum et in Christo obdormiscentes; eosque præ cæteris quos inter cæteras virtutes pietas in Deum commendabat, et sacrarum Litterarum exercitata scientia per terrarum orbem clarissimos propagarat : sed nec una tantum vice conviciari contentus, sæpe repositas, varieque confictas, improbus sycophanta, calumnias, sine modo congessit et mensura; sed et execrationibus insuper eos, ut mulierculæ in rixis et jurgiis solent, insectatur, homines nulla unquam injuria ipsi cognitos. Atque hinc profecto factum est ut in immensum adeo illius excreverit oratio, cum ad decies mille versus opus illud unicum intumuerit. Quid miramur autem, si cum linguam adeo suam in sanctos Dei sacerdotes exacuerit, impiamque audaciam suam ad hunc modum quasi progymnasmate exercuerit, adeo gressus promoverit impietatis ut tandem quod caput est atque apex, unigenitum et dilectum Dei Filium, illiusmodi blasphemiis suis subjecerit? quas mox ipsius verbis, non autem meis, relatas audietis : id enim satius esse judico. Quæ postquam ipsa sic ab illo prolata ubi scripto consignavero, ulterius in hoc libro non progrediar, ad illa refellenda refutandave : sed nec opus est orationem contexendo producere, cum sint illi quos conviciis laceravit neutiquam ignoti vel ignobiles, sed utcumque silentio se contineant, omnium ore et sermone celebrati; cumque illa quam in Christum Dei eructavit blasphemia adeo sit manifesta et in confesso posita, ut ad illam revincendam exactiore aliqua diligentia non sit opus. Quippe

qui divinam gratiam in Ecclesia delibarunt, parvi, minimi, magni, novitatem insolentem hujus nuperi theologi, vel acceptam primis auribus, agnovere. Hanc ob causam adhibiturus sum brevissimas quasdam designationes meas, orationis quoddam corpus ordine et methodico progressu concatenatum constituens, quo quæ ab illo proferuntur, quam sint ab omni ratione aliena, patefiat. Verum antequam in medium ejus verba protulero, admonendos illos esse omnes existimo, ad quorum manus hoc præsens ipsius scriptum pervenerit, eo magis si sint de Galatia oriundi, ne velint divinæ beati Pauli vocis unquam oblivisci, qua Galatas ipsos adhortabatur ne ab eo, qui in Christi gratiam vocavit ipsos, « ad aliud Evangelium transferantur, » cum revera, » quod docet ibi, « non sit aliud ullum Evan- » gelium; *sed* qui conturbent illos, existant, et qui trans- » ferre cupiant Christi Evangelium [1]. » Illud autem imprimis et ante omnia attendendum fuerat, quod nec sibi quidem pepercerit ille tantus Apostolus, sed ad illos permovendos et convincendos qui Galatas conturbabant, adjecerit : « Etiamsi vel nos vel de cœlo vobis Angelus aliud annun- » tiet Evangelium, præter illud quod jam prædicavimus : » anathema sit. » Nec semel posuisse contentus, reponit : « Quod jam prius dixi, et iterum denuntio : Si quis vobis » evangelizet, præter id quod accepistis, anathema sit. » Illud autem Evangelium quodnam fuit quod acceperant, et præter quod non erat aliud annuntiandum? Equidem illud ipsum quod discipulis suis Dominus tradidisse dicitur, ubi ait : « Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos » in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti [2]. » Nobis utique hanc gratiam in cognoscenda sacrosancta Trinitate solus ille solis patefecit in illa nostra mystica regeneratione, cum nec Moses, nec quisquam olim Prophetarum,

[1] Galat. I, 6. — [2] Matth. XXVIII.

priori populo hujus extiterit administer. Ad Dei quippe Filium, atque illum solum, pertinebat hanc a Patre suo gratiam hominibus universis annuntiatam communicare : cum « Lex per Mosen data fuerit, gratia autem et veritas per » Jesum Christum, » eumque solum, utpote Filium unigenitum. Quocirca, nec injuria, Lex infirmo illi populo et infanti, *pædagogi ad instar,* elementa quædam prima divinorum oraculorum suggerebat, deorum multitudinem et cultum idololatricum disturbans, Deum contra unicum cognoscendum annuntians; *gratia,* vero, *per Christum salutaris,* cognitionem nobis repræsentavit supra mundanam et Angelicam, dum populo illi vetusto non retectum, sed silentio prorsus obvolutum mysterium, in apertum profert : Deum nempe illum supremum rerum omnium moderatorem, sæculis prioribus omnibus agnitum Deum, Filii præterea unigeniti Patrem esse prædicandum; Spiritus quoque sancti vim et efficaciam, iis qui digni sunt impertitam : quam sanctam mysticam et beatam Trinitatem Patris, Filii, et Spiritus sancti, ad certissimam spem salutis illius consequendæ quæ per regenerationem fit, in Christo, inde acceptam, Ecclesia Dei fideliter custodit. Et hoc est illud Evangelium quod nullo modo licuit in aliud transformare Evangelium, cum revera non sit aliud, quemadmodum secunda vice testatur beatus idem Apostolus, ad eosdem illos Galatas ita profatus : « Etiamsi vel nos vel An» gelus de cœlo vobis aliter evangelizaverit quam ut ac» cepistis, anathema sit. Quasi qui longe ante vellet admonitos, ut equidem reor, nec episcopis credendum esse, nec præpositis aut doctoribus quibuscumque, si verbi veritatem pervertere et distorquere eorum aliquis attentaverit. Veritas autem illa, quæ? qua Deum esse Patrem docemur; nempe, qua Deum habere Filium nobis traditur; qua ad Spiritus sancti participationem ab ardenti desiderio exci-

tamur. Quæ sunt insignia quædam christianorum peculiaria, quibus Ecclesia Dei sancta a Judaïca politia discriminatur. Nam, ut olim Judaïsmus per unius solius Dei confessionem, Ethnicum de multis diis errorem ablegabat : ita quoque supra illam ipsam, Ecclesiæ singularis et excellens cognitio de Filio Dei, longe quiddam majus et præstantius exhibuit, qua edocemur illum ipsum Deum Patrem extare unigeniti Filii, qui verissime Filius sit, vivus existat et subsistens. Nam quemadmodum, « Pater vitam in se ipso habet, *docebat Unigenitus ipse Dei,* ita quoque in seipso Filius habet vitam[1]. » Ut ita Pater vere quidem pater existat, non autem verbotenus pater falsata usurpatus nominatione, sed veritate et reipsa unigeniti Filii pater : et ut Filius sit reipsa etiam filius. Quisquis autem Filium nudum esse *Verbum* existimaverit, aut solummodo *Verbum* confirmaverit, et illud frequenter suo ore usurpaverit, *Verbum* tantummodo extitisse, intus dum consisteret, quiescente suo Patre ; operatum vero idem ipsum Verbum, cum creaturas effigiaret, perinde ac per omnia in hominibus solet fieri, ubi in conquiescentibus otiatur verbum, operatur autem in loquentibus : is profecto conspirat manifestissime cum sententia Judæorum, abnegatque eum qui vere Dei Filius est. Si quis Judæum interrogaverit, an Deum putet verbum suum habere? Omnino, certe responsurus est, puto. Libenter siquidem profitetur Judæus, non *verbum* modo, quin et *verba* infinita habere Deum. Quod si adhuc instes, an filium habeat? Non est hoc perinde, reor, confessurus. Jam vero, si non Judæus quispiam, sed is qui sit cum episcopatu, illam invexerit opinionem, Verbum esse illum, sed Deo tantummodo adunitum, æternum tamen et ingenitum ; unum atque idem numero cum Deo, nominibus diversis Patris atque Filii usurpatum, substantia ta-


[1] Joan. v, 26.

men idem et hypostasi unum eumdemque : is profecto Sabellium totum sibi induit; ab illa gratia et cognitione alienus excidit, quæ per Christum est. Disquirere non patitur Ecclesiæ lex, nedum subdubitare nos, aut vocare interrogando in quæstionem, utrum Dei Filius unigenitus *erat,* et ante omnia *præexistebat.* Docet autem fide ratihabita, et cum summa confidentia profitetur, Deum sui Filii unigeniti esse Patrem; non autem Patrem esse Filium, vel Filium esse Patrem : hunc esse ingenitum, æternum, sine principio, primum et solum, Patrem adorandum; illum a Patre suo genitum, subsistentem, solum Filium, et unigenitum. Deum hunc agnoscit veracem esse, utpote cum Dei existat Filius. Cui si quis contradicere sententiæ præsumat, et Dei Verbum illi verbo per omnia assimilaverit quod in hominibus reperitur : is nec cogitet secum, nec animo revolvat, nihil Deo, supremo rerum omnium principi esse affingendum quod sit mortale et humanum; imo ne quidem illiusmodi aliquid quæ nos solemus animo et cogitatione comprehendere : utcumque interdum Scripturæ sacræ, dum tanquam puerulos lectores erudiunt, humanitus de Deo loqui soleant, dum manus illi, oculos, pedes, vocem, verba, os, vultum, et sexcenta hujusce generis cætera soleant adaptare, quæ nos omnia oportet ad diviniores transferre cogitationes, nec ullatenus imaginari in Deo humani quidquam vel etiam mortale residere; « Deus *et-* » *enim* spiritus est, et qui adorant Deum in spiritu illum et » veritate adorare debent[1], » quemadmodum Servator nos docet. Quod si autem Deus spiritus sit, omnino constat esse eum multo meliorem et præstantiorem quacumque re sensibili et concreta : unde fiet ut nec *verbum* habeat linguæ sono prolatitium, et per linguæ prolationem aliorum auribus insinuatum; sed nec linguam, vocem, vultum, aut

[1] Joan. IV.


aliud quidquam quod humana ratione constituatur. Siquidem aliud quidquam existat quod nec oculus vidit, nec audivit auris, nec in cor humanum ascendit ejus cogitatio; cujusmodi esse illa docet nos Apostolus, quæ « diligenti» bus se Dominus præparavit[1] : » tum certe horum omnium dator Deus inenarrabilibus est inenarrabilior : adeo ut in ratione de Deo theologica instituenda, multo certe rectius pronuntiari queat, « oculum neque vidisse, non au» rem audivisse, nec in cor humanum aliquandó ascen» disse[2], » scientiam illam qua possit ipse comprehendi. Quæ quoque ratio in Filii generatione debet obtinere. Hæc non alius nobis quam ipsemet Servator, fide dignus, enuntiavit. Ait autem : « Omnia mihi tradita sunt a Patre » meo; *et* : Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem, » nisi Filius[3]. » Si quis istis audeat obnuntiare, et Filium, cui tradita sunt a Patre omnia, subsistentem neget : Verbum vero solum definiat humano, per omnia, verbo simile; interdum in Deo conquiescens, uti solet in nobis ubi conticuerimus usuvenire; interdum operans in eodem Deo, ut, nos cum loquimur, verbum personat : hunc vero ipsum, cum sic Verbum existat, ante annos nondum totos quadringentos factum, nescio tamen unde aut quo pacto, carnem assumpsisse; in qua carne sic assumpta illam quæ secundum hominem est *dispensationem* perfecisse : et tunc primum *Dei filium* extitisse, *Jesumque Christum* de nomine nuncupatum, renuntiatum « Regem, Imaginem Dei » invisibilis, omnis creaturæ Primogenitum[4], » qui nihil horum prius extiterat, docet. Hisce cumulus accedit impietatis, quod nec vitam perpetuis sæculis duraturam, nec æternum Christo regnum concesserit, ab illo quod supposuit, ex ortus illius tempore decurrendo, sed inauspicato satis, fine circumscripsit consummato : neque ipsum dignatus est eo statu quo illos qui per ipsum illam olim conse-

[1] 1 Cor II, 9. — [2] Ibid. — [3] Matth. II, 27. — [4] Coloss. I, 15.



quentur immortalitatem; quibus Servator pollicetur vitam se æternam, incorruptibilitatem, immortale in cœlis regnum elargiturum, nimirum *diligentibus se.* Quidni igitur aperte pronuntiare audet, cæteris quidem omnibus concessum in illud regnum sine fine duraturum, secundum spem ipsorum atque expectationem, unum Christum Jesum, condum promum horum omnium, spe sua privandum et expectatione, cum ab ipso sit regnum ejus auferendum, et caro quam suscepit destituenda? Verbum, quod in Deo olim præexistebat, separatum a corpore, licet præditum existat immortalitate et corruptioni non sit obnoxium, Deo demum esse coaduniendum, ut, quemadmodum olim fuerat, ita iterum cum Deo existat idem? An illum qui hæc opinatus fuerit, impietate transcendere queat aliquis? Valde igitur hisce applicandum est certe necessario Apostolicæ illius determinationis testimonium : « Etiamsi Angelus de » cœlo annuntiaverit vobis, præter illud quod accepistis, » anathema sit[1]. » Dum in sensum Apostolicum accuratius hic nitendo, admirari mihi subiit vehementius. Veluti enim qui vaticinaretur futurum, divinitatem Servatoris accuratiori stylo Galatis exponit. Nam novo quodam modo, neque alibi ipsi usurpato, epistolam ad ipsos scriptam ita exorditur : « Paulus Apostolus non ex hominibus, neque per homi- » nes, sed per Jesum Christum[2]. » Non invenire licet hunc Apostolum ad alios hac verborum furmula perscripsisse, eo quod nulli inter eos ad quos scribebat ita erant ut Galatæ affecti circa fidem. Nam, veluti qui nudum hominem Christum extitisse opinarentur, ita illos corrigere conatus est, et errorem refingere opinionis, dum in ipso epistolæ exordio docet eum non esse hominem (nudum scilicet); pergens deinceps ad eosdem illos, scribit : « Evangelium » meum quod in vobis est evangelizatum non est illud se- » cundum hominem; neque ego illud ab homine accepe-

[1] Galat. I, 9. — [2] Ibid. I.



» ram, aut edoctus fueram, sed per revelationem Jesu » Christi[1]. » Quibus illud expressit satis quidem clare, hominem non fuisse nudum, Jesum Christum. Quis vero fuerit, vel quid, si non homo, progrediente declarat epistola sua : « Cum vero placuisset Deo, qui me a matris utero se» paraverat, revelare Filium suum in me[2]. » Ubi vides manifeste, Servatorem nostrum Filium Dei extitisse, atque ideo fuisse Deum. Ulterius constat liquidissime, Apostolum credidisse illum Dei Filium extitisse priusquam huc in carne adveniret, quod in eadem illa ad Galatas epistola addiderit : « Cum temporis plenitudo adveniret, emisit Deus Filium » suum factum de muliere[3]. » Erat itaque, cum nondum de muliere nasceretur, Filius Dei; eumque tum antea Filium Dei existentem emisit Pater : ut is qui jam olim Dei Filius ferebatur, et Filius etiam hominis extaret, *factus de muliere.* Quin et Mosaïcæ legis extitisse mediatorem illum docet, mediationis rationem determinans ubi inquit : Quid igitur? « Lex propter transgressiones lata fuerat, usquedum » semen illud adveniret cui promissiones condictæ fuerant ; » per Angelos ordinata in manu Mediatoris. Mediator autem » unius non est mediator : at Deus unus est[4]. » Audisne in istis, quomodo Galatas ipsos Apostolus instituat ut unum exinde Deum agnoscant, et unum Dei et Angelorum Mediatorem? quod ipsum alibi quoque docuit ad hunc modum : « Unus *etenim* Deus est : unus etiam Dei atque hominum » mediator, homo Jesus Christus[5]. » Enimvero quem Dei atque hominum appellat Mediatorem, hominem esse nec immerito declaravit, propter Incarnationem. Ubi Mediatorem dixit, non Dei et hominum, sed Dei et Angelorum, non illum tunc hominem consignavit, sed simpliciter mediatorem; « Legem, *inquiens*, per Angelos ordinatam in manu » Mediatoris. » Sed et nomen ipsum Mediatoris illustrius

[1] Gal. I, 11. — [2] Ib. 15. — [3] Id. IV, 4. — [4] Id. III, 19. — [5] I Tim. II, 5.

reddit per distinctionem, ubi ait : « Mediator autem unius » non est, Deus autem unus est. » Non est ergo Deus mediator; nam cujus tandem esset mediator? Neque ipse ille qui Mediator est eo ipso Deus est; nam unius non est mediator idem, cum medius inter duos interponatur. Quorum vero existat mediator, docet, dum de nomine Angelos appellat, et Deum : quorum medium intervenientem Dei Filium, suis manibus a Patre recepisse Legem docet, et per Angelorum ministerium populo communicasse. Erat igitur exinde Filius priusquam fieret Dei mediator et hominum, mediator Dei et Angelorum. Et illo modo erat, non ut qui velut nudum Dei verbum in eo subsisteret, per se non subsistens, unum atque idem cum Deo existens; neque enim hoc pacto mediator aliquorum esse poterat : erat autem, et prius erat, tanquam scilicet « Filius unigenitus, plenus gra» tia et veritate. » Intermedias autem partes supplebat suo Patri, cum ministerio Angelorum legem hominibus promulgaret. Qui docebat ignorantes et ineruditos theologicas de Dei Filio rationes, Apostolus hoc idem consignavit ad istum modum inquiens : « Mediator autem non est unius » mediator. » Neque certe natura rei patitur mediatorem de uno quoquam definiri; ideo, non est unius alicujus iste, sed medius necessario inter duos, ab utroque diversus quorum statuitur mediator. Non est ergo existimandum, hunc esse Deum illum qui est supra omnia Deus; nedum de numero Angelorum aliquem; sed medium utrorumque et mediatorem : quippe cum inter Patrem suum et Angelos intercedat medius. Ad eumdem modum iterum, ubi Dei atque hominum mediator fit, inter ordinem utrumque intermedius, nullius horum est, existens mediator. Non est ille unus et solus Deus; non homo quo modo cæteri homines sunt. Quid tandem, si nihil horum existit? Certe Dei Filius unigenitus, jam constitutus Dei et hominum mediator; olim vero

genitus, jam sub temporibus Mosaïcis, Dei mediator et Angelorum. Hæc sunt illa quæ magnus Apostolus ille ad Galatas scripturæ tradidit : « Lex per Angelos ordinata in » manu Mediatoris, *inquiens.* Mediator unius alicujus non » est : Deus autem unus est. » Unus itaque Deus est, et unus Mediator Dei atque hominum, et omnium insuper generatorum : qui non nunc primum exordiebatur mediationem suam ad salutem, sed olim extabat mediator, cum nondum inter homines natus versaretur ; quod jam prius in sermone demonstratum est. Hæc sunt illa quæ breviter et per compendium Galatis proponimus consideranda, ex illa ipsa ad Galatas epistola Pauli, in qua fidei salutaris illa mystica continetur regeneratio, « in nomine Patris, et Filii, et Spi- » ritus sancti. » Quæ præterquam quod sint Litteris divinis consignata, sunt etiam adhuc majorem in modum cônfirmata per traditionem Catholicæ Ecclesiæ, quæ a fine ad finem terrarum diffunditur, quæ per non scriptam traditionem sacrarum Scripturarum testimonia confirmat et obsignat. Jam vero tempus est ut deinceps Marcelli verba in medium proferamus, et quæ polliciti sumus, demonstratione proponamus; ne quis putet per calumniandi libidinem esse hæc in illum congesta. Quandoquidem vero mihi propositum sit breviter illa describere quæ sunt ab eo dicta, non tamen ideo sigillatim et verbotenus illa arbitror in præsenti esse recensenda : tantum illa quæ præcipua sunt et causam continent advocabo, prætermissis quamplurimis, nec necessariis, et in idem ipsum recurrentibus. Prius tamen quam ad rem aggrediar, per demonstrationem necesse est lectori faciam manifestum, non fuisse hunc hominem assecutum divinarum Litterarum mentem et sententiam, nedum cum essent cuicumque obviæ (3) : ut illi qui ignorant quis et qualis sit adhuc, intelligant tandem quanta cum audacia ad ipsa hæc scriptis proruperit commendanda.

CAPUT II.

Quod nec sacras Scripturas satis exacte calleat.

Cum propheta Zacharias, is nimirum qui tempore reditus e Babylone fuit, mentionem alicubi faciat Jesu pontificis illius magni, scilicet Josedeco geniti, qui una cum Zorobabele principatu fungebatur inter Judæos qui de Babylone revertebantur; præclarus iste et mirificus sane scriptor, horum omnium ignarus, Zachariæ verba quidem illa citat quæ Jesu illius meminerunt, sed a sensu et sententia narrationis illius recedit quam longissime. Nam Jesum illum voluit hic intelligi, qui Mosi succedebat immediate. Deinde, cum Apostolus in illa quæ est ad Galatas Epistola scribat : « Jerusalem, quæ sursum est, libera est, » quæ nostrorum quidem omnium mater est[1]; » hic idem per imprudentiam, aut quod ignoret, vel certe sciens volensque verba illa depravat, dum ad istum modum scribit : « Nostra autem Jerusalem sursum est. Ipsa enim in servitute » est cum filiis suis. » Tertio ubi Petrum sic affatur Servator : « Abi post me, Satan; scandalo enim mihi es, cum non » sapias ea quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum[2]; » minime intelligens quomodo hæc dicantur ad Apostolum, aut quorsum, affirmat ad diabolum esse dicta. Hujusmodi ille allucinationes simul congestas una modo periodo comprehendit, totidem enim verbis disertim scribit : « Nullum » porro nomen excellentius extare quam est nomen Jesu, » inter omnia quæ in terris nominantur, testatur eo loco » Evangelium ubi Mariam ad hunc modum Angelus allo-

[1] Galat. IV, 26. — [2] Matth. XVI, 23.

» quitur : Ne timeas autem, Maria, invenisti enim gratiam » apud Deum. Ecce concipies in utero, et paries filium, et » vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Al- » tissimi vocabitur[1]. Testatur et prophetia Zachariæ, qui de » hoc nomine ita olim vaticinatus est : Et ostendit mihi Do- » minus, inquit, Jesum Sacerdotem magnum stantem ante » faciem Angeli Domini. Stabat porro diabolus a dextris » illius, ut illi adversaretur. Dixit autem Dominus ad dia- » bolum : Dominus, qui elegit Jerusalem, increpet te. Quan- » do autem illum increpabat ? Tunc nimirum cum dilectum » ab ipso Hominem Verbo suo coadunivit is qui Jerusalem, » inquit, elegit. Patet autem illum hanc nostram Jerusa- » lem intelligere, de qua Apostolus loquitur : Nostra autem » Jerusalem sursum est : illa autem cum liberis suis est in » servitute. Tunc etenim cum in magna illa Jerusalem es- » set, hoc est, versaretur in Ecclesia nostra, diabolum in- » crepavit, quod prophetia prædixit, dicens : Abi post me, » Satan, eo quod scandalo mihi sis. Hic est ergo Sacerdos » ille magnus, cujus typum gerebat olim ille Jesus. Neque » enim par est existimare illum ipsum appellatum Sacer- » dotem magnum, licet esset per omnia gloriosus, cum ne » Moses quidem magnus nominetur : et tamen ita magnus » erat Moses ut Dei famulus nominaretur, et deus insuper » Pharaonis ; idque etiam a Deo ipso. Si quis porro ob id » Jesum magnum dictum arbitretur, quod dignus fuerit » habitus qui populum introduceret in terram Canaam, et » miraculis quibusdam aliis coruscaret ; is intelligat opor- » tet, commemoratam illam Jesu magnitudinem non adeo » per typicam illam actionem emicuisse, quantum propterea » quod non ita diu postea populum suum erat introductu- » rus in magnam hanc nostram Jerusalem. » Videtis ideo quam immaniter aberret in hac historia, qui Jesum illum

[1] Luc. I, 31.

per prophetam Zachariam commemoratum non intellexit quis aut qualis fuerat. Erat autem genitus Josedeco, de tribu Levitica, ab Aarone oriundus, summo præditus Judæorum pontificatu; quocirca *magnus sacerdos* nominatur. Hoc docet Propheta disertis verbis : « Et ostendit mihi Do» minus Jesum sacerdotem magnum. » Mosis porro successor ille Jesus, qui Dei populum in terram promissionis introduxit, et multis inclaruit miraculis, erat filius Nave, de tribu Ephraïm, quæ tribus cum sacerdotio nihil habuit commune. Quocirca, qui in voce tam cuivis obvia aberravit, et nudam ignoravit historiæ seriem, non potest ei tuto satis fides adhiberi in rebus theologicis et divinam pertingentibus cognitionem. Debemus autem et in Petro insistere, quemadmodum ad illum dictum sit, *Vade post me;* quæcumque nominis illius, *Satanæ,* sit interpretatio ; propter quid etiam de illo dictum sit, « Scandalo mihi es et of» fensioni ; » et propter quam tandem rationem fiat ut sub uno et eodem tempore uni et eidem dicatur, « Beatus es » tu, Simon Barjona ; *et,* Vade post me, Satan : » quid significet illud, « Vade post me, » et quod statim subjunxit et e vestigio Servator, « Si quis velit post me venire, abneget » semetipsum, attollat suam crucem, et sic sequatur me ; » quod reipsa adimplevit idem ille Petrus, cum deinceps martyrio consummaretur. Sed disquirendum est omnino cur, cum adeo beatum hunc deprædicaverat, tamen statim vehementius objurgaverit. Horum neutrum cum Marcellus consideraret, ad diabolum referenda illa dicta pronuntiavit, contra Scripturæ manifestam veritatem. Num autem hoc unicum ignoravit? Imo progrediente contextu orationis suæ, mentione de Salvatoris resurrectione injecta, docere aggressus est, ante illum incarnatum, sub temporibus Prophetarum, dictum esse a mortuis quemdam suscitatum. In hoc quidem ipso egregie allucinatur. Ait enim,

prophetam Elisæum mortuum primum excitasse : ignorans scilicet, Eliam illum maximum Elisæo fuisse priorem, et viduæ filium de mortuis suscitasse : quod e tertio libro Regnorum[1] cognoscere poterat. Ignorabat autem hoc ipsum, ut apparet, cum disertis verbis ita scribat : « Non solum-» modo primogenitum creaturæ novæ illum dixit Apostolus, » verum etiam et de mortuis primogenitum : non ob aliam » certe causam, ut videtur mihi, quam ut is qui omnis crea-» turæ primogenitus dicitur intelligatur et de mortuis esse » primogenitus. Non etenim de mortuis ante alios omnes » primus surrexit Christus Dominus, verum prior surrexe-» rat ante eum is quem propheta Elisæus suscitabat. Sed et » ante resurrectionem ejus erat Lazarus suscitatus. Et quo » tempore in cruce passus fuerat, multorum sanctorum » corpora qui obdormiscebant, resurgebant. » Quod inconsulto videtur Marcellus posuisse, corpora illa nempe dormientium sanctorum ante Christum resurrexisse. Nec Scripturæ sententiam integram attendebat, qua constat hæc corpora resurrexise postquam ipse de mortuis resuscitatus extitisset. Ulterius et in dicto quodam Apostolico, invenitur idem esse allucinatus divinus Apostolus; in illa ad Romanos ita scribit : « Separatus in Evangelium Dei, » quod jam ante promiserat per Prophetas suos in Scriptu-» ris sacrosanctis, de Filio ipsius unigenito e semine Davi-» dis secundum carnem, qui designabatur Filius Dei in vir-» tute secundum spiritum sanctificationis[2]. » Quam ille sententiam, qua mente nescio, sed pervertit sane. Legit enim in textu Apostolico, προοριθέντος, *præviso* et *prædesignato;* qui debuerat, ὁρθιέντος, *constituto* et *determinato :* in eum nempe finem, ut intelligatur filius esse eo modo quo sunt illi qui per præscientiam designantur. Ad verbum idcirco ita scribit : « Quemadmodum igitur Eccle-

[1] 3 Reg. XVII, 22. — [2] Rom. I, 1.

» siam suam prævisam Omnipotens designavit, ad eumdem » modum et Christi etiam secundum carnem œconomiam, » per quem genus illud piorum et colentium Deum ad ad- » optionem filiorum præordinavit[1], posito illo prius funda- » mento, ita apud suum animum statuisse. Hanc ob cau- » sam, Apostolus per Spiritum sanctum manifeste illum » vocat Filium Dei prævisum et prædeterminatum. » Et alio loco : « Hic est ille de quo dicebat Paulus, præordinatus » Filius Dei. » Neque vocem tantummodo depravavit hoc in loco ab Apostolo usurpatam, sed in ipsam ejus mentem per illius præpositionis *pro* appositionem. Istis autem sunt germana et genuina quæ et in Psalmis attentavit. Nam ubi dicitur : « De utero ante Luciferum genui te, » additamentum adhibet quod nusquam in Psalmo reperitur, ut illis ita posset obtrectare qui non paria cum ipso sentiebant. Attende vero quænam sint quæ scribit : « Hanc ob » causam ideo, videtur mihi aliquid omnino dicendum esse » de eo, quod nusquam adhuc alibi positum est. » Magna pars etenim ab illo positorum, ex ante nobis dictis manifesta sunt. « De utero, *ait,* ante Luciferum genui te. » Opinatus est autem hanc sententiam, præpositione illa ἐξ clam furto subducta, cum hæretica ipsius opinione conspiraturam. Quocirca ubi syllabam illam congruentissimam, de voce exemerat regenerationem ejus antiquam, nec aliud quidquam hac volebat loco indicatam. Quandoquidem vero vehementiorem in modum pro suo hic errore concertaverit, illo reprehenso qui recte scripserat, nihil tamen attulit novi, sed lectori cuicumque idem per omnia exhibet testimonium. Pergit deinceps, et introducit dicentem Servatorem : « Ego sum dies : » verba autem ipsius ad hunc modum se habent : « Cum tenebræ prius obtinerent, » propter cultus divini ignorationem, ubi dies jam esset in

[1] Psal. cx.

» propinquo oritura, Ego, inquit, dies sum. » Nec injuria stellam Luciferum appellavit. Alio deinceps loco ita inquit : « Quandoquidem a suscepta semel carne Christus » simul esse Jesus annuntiatur, vita et via, atque dies. » Pergit porro, et tandem ab Apostolo ita mutuatur : « Nostra » autem Jerusalem sursum est. » Quid autem his diutius ego immorari debeo? Cuivis etenim cui saltem libuerit proclive est, hisce quæ dicta sunt quam simillima, alia quoque infinita colligere ab illo ejus opere observata, unde hominis inscitiam animadvertamus. Hinc quoque factum ut Salomonem prophetam indigitaverit, ut et Proverbia prophetiam non una vice. Verbi gratia, ad hunc modum ait : « Hujus rei causa sanctissimus propheta Salomon » ait : Ad suscipiendam eruditionem doctrinæ[1] et iterum, » Verba sapientum, et ænigmata[2]. » Proverbia prophetiam appellavit. Iterum : « Ob hanc causam videtur mihi sapien» tissimus hic propheta prima verba prophetiæ suæ prover» bialiter enuntiasse. » Secundo igitur et tertio sæpius, uti dictum est, hoc ab illo ita factum est. Ignorat interim diversitates donorum esse, licet idem Spiritus sit. « Uni qui» dem conceditur verbum sapientiæ, secundum quod Apo» stolus ait; alteri verbum intelligentiæ, secundum eum» dem Apostolum; alii fides per eumdem Spiritum; alteri » prophetia. Salomon autem donum accepit sapientiæ, ut » Scripturæ testimonio comprobatur : Et dedit Dominus sa» pientiam Salomoni, et erat omnibus hominibus sapien» tior. » Vitam autem propheticam non instituebat, neque ullo charactere prophetico erat insignitus, quales erant, « Hæc » dicit Dominus, » et huic similes : atque hoc ex iis quæ scripsit satis liquet. Marcellus, hoc minime animadverso, tanquam ei de suo elargiri vellet aliquid, prophetam illum indigitabat : minime interim meminit, prophetas circumiisse

[1] 1 Prov. I, 3 — [2] Ibid. 5.

melotis amictos et hædinis pellibus, egenos, oppressos, angustiatos. Proverbia prophetiarum nomine designat, cum nusquam hoc docuerit Scriptura sacra, sed Auctor ipse sapientissimus et Spiritu insuper sancto præditus, *Proverbia* nominaverit, ut alterum librum *Ecclesiasten,* tertium *Canticum canticorum :* quos scriptis hisce titulos non humana ratione aliqua, sed Numine ductus, apposuit. Hanc ipsam porro divinitus inspiratam Scripturam Ethnicis illustrare exemplis vult, neglecta Apostoli Pauli voce illa : « Nos spiri-
» tum hujus mundi non accepimus, sed Spiritum qui ex Deo
» est, ut quæ sunt a Deo nobis donata dignoscamus : et quæ
» loquimur non sunt in docibilibus humanæ sapientiæ ver-
» bis, sed Spiritus sancti, qui discernit spiritualia. Animalis
» homo non percipit quæ a Deo sunt, stultitia quippe vi-
» dentur ipsi; neque potest intelligere ea, quod spiritualiter
» discernuntur[1]. » Hæc vir egregius cum ignoret, *Proverbiorum* sententiam et intelligentiam conatur Paganorum scriptis illustrare. Ita enim disertis verbis ait :

CAPUT III.

Marcelli de Proverbiis apud Græcos.

« Non est a proposito, ut arbitror, alienum si pauca re-
» censuerim in præsenti, quæ sunt in usu apud Græcos,
» Proverbia. — *Sane vel mortuus est, vel litteras docet.*
» Prima quidem facie putaverit quispiam hoc proverbium
» in litterarum professores usurpatum; quasi non aliter
» apud eos litteræ docerentur. Ego autem, *inquit,* didici
» hoc non ita se habere, sed propterea quod cum prælio
» Athenienses Siculi vicerant, solos illos vita donatos serva-

[1] 1 Cor. II, 12.

» rent qui litteris erant instructi, ut liberis suis præcepto-
» res illos haberent, cæteros vero omnes morte mulctabant.
» Cum vero e prælio quidam aufugientes domum remeave-
» rant, ab Atheniensibus interrogati de amicis quibusdam
» suis aut affinitate conjunctis, dicebant : Sane vel mortuus
» est, vel litteras docet. Quid illud autem, *Capra gladium*,
» sibi velit? Nonne proverbium dicitur de eo qui quæ de ip-
» so dicuntur antea prævidit? propterea quod capra immo-
» landa intueri solet gladium. Hoc profecto ex antiquis nulli
» prodidere. Neque enim hoc sensu proverbialiter usurpa-
» retur. Erat enim facile et cuivis obvium hoc e re natum
» animadvertere. Usurpatur vero de iis qui malum sibimet-
» ipsis procurant. Nam Medea Corinthi postquam liberos
» suos sua manu interemerat, dicitur eo loco occultasse
» cultrum : secutis vero temporibus factum, ut Corinthii
» oraculo moniti, capram nigram immolare deberent, ubi
» cum cultro destituerentur, capra pedibus suis terram
» eruens, illum Medeanum detegebat, quo immolabatur.
» At quid hoc sibi vult, inquiet aliquis, *De quercu satis?*
» Non est facile cuivis obvius hujusce proverbii sensus.
» Prisci illi quondam, ante agriculturam adinventam, glan-
» dibus vescebantur; postquam vero fruges deinceps pro-
» diere, animum hisce applicantes dixerunt oblectati : *De*
» *quercu satis*. Atque hanc esse mentem et sententiam pro-
» verbii prodidere. Necesse autem in præsenti habemus,
» alterius cujusdam proverbii mentionem facere quod in
» multis et diversis auctoribus Græcis habetur, et quid
» etiam de eodem illi memoriæ prodidere : non ob aliam
» causam, quam ut Asterium convictum teneamus; qui cum
» qua est eruditione præditus sæculari, proverbialis senten-
» tiæ præstantiam cumprimis intelligat, in præsenti tamen
» illius præ se fert ignorantiam, ut per dicti illius prover-
» bialis usum suam ipsius voluntatem et sententiam proba-

» biliter astruere videatur. Est autem illud, *Glauci ars.* Cu-
» jus cum meminerint eruditi apud Græcos multi, diversas
» retulerunt interpretationes. Est enim qui docet, Glaucum
» extitisse artis cujusdam maxime omnium admirandæ pe-
» ritissimum, una cum arte sua interiisse, mari submersum,
» nulli prorsus impertita ejusdem cognitione. Alius peritis-
» simum musices extitisse docet, et ab eo discos æreos qua-
» tuor affabre compositos, ut pulsati quamdam symphoniam
» sono numeroso ederent; atque hinc proverbium usurpa-
» tum. Tertius, inter dona Halyattis Lydi Delphis cratera
» oblatum, et mirandi operis sub cratera quamdam, Glauci
» Chii opus. Quartus Glaucum ipsum Delphis obtulisse nar-
» rat æneam tripodem, ita fabrefactam ut si quis crassiorem
» in modum eumdem pulsaret, vel pedes in quibus stabat,
» vel quod sursum erat redimiculum, vel coronam lebeti cir-
» cumductam, aut virgulas per medium sese distendentes,
» Lyræ sonum repræsentaret. Alius postremo proverbium
» existimat usurpari, a Glauco quodam deductum qui scien-
» tia cæteros antecellebat. Videtis autem proverbiorum dif-
» ficultatem exinde satis patefieri, quod nequaquam inter-
» pretes hujus unius proverbii inter se in eadem expositione
» consentiant : adeo res erat illa inextricabilis habita apud
» exteros. Quocirca inter eos unus sapientia et eruditione
» præstans, in unum collectis multis variisque proverbiis,
» in eadem commentatus est ; quobus libris metrica, qua-
» tuor vero numeris soluta proverbia explicans. Parœmias
» autem Gentiles, sententia quidem mea, ob eam causam
» hæc ipsa nominarunt, quod sapientissimi Salomonis Pro-
» verbia legerant et intellexerant, non esse rem cuivis ob-
» viam de prima facie comprehendere illorum sensum : cum
» autem vellent imitari, atque ita fuerant imitati propheticam
» scribendi consuetudinem ; cumque nomen nullum possent
» aptius aut convenientius invenire, Proverbia suum opus

» indigitarunt. » Atque ita ad hunc modum Marcellus conatur Ecclesiam Dei Scripturarum intelligentiam docere : longam vero istam et ineptam adeo, sermonum ipsius, et superfluam seriem ideo visum est contexere, ut amentiam hominis manifestam reddere, multiplicem quoque et intempestivam vanitatem possem, qua utitur satis quidem cum pompa, quod sæcularem attinet eruditionem; quod Scripturas autem sacras, satis concernit jejune. Quod si memor fuisset Apostolicæ admonitionis, ad hanc tantum projectus vanitatem, nequaquam procidisset : suadet autem ut loqui velimus quæ sunt nobis communicata, non in docibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in iis quæ a Spiritu doceri solent, in spiritu et cum spiritualibus discernendo. Minime quoque cepit quod scriptum est : « Animalis homo non per» cipit quæ sunt spiritus Dei; stultitia quippe ipsi sunt, et » nequit illa intelligere, propterea quod discernuntur spiri» tualiter. » Hæc cum ignoraret ille, putavit certe Græcorum sapientes cognitam habuisse sapientiam illam quam Deus Salomoni impertiverat; et quod cognitam haberent illam propheticam scripturam, ut inquit ille, imitatos. Quo vero pacto fieri potuit ut animales homines illi divina cognoscerent et æmulati essent, cum spiritualia spiritualiter discernere nequirent, et ab Apostolo sancitum esset, « anima» lem hominem non capere quæ sunt spiritus Dei; » et adhuc ab eodem statuatur, « animalem non posse spiritualia intel» ligere, eo quod spiritualiter discernantur? » Ad oppositum vero Apostolo hic vir egregius ait, Græcorum collectores proverbiorum ad eumdem modum scripsisse quo Salomon. Verbatim loquitur ad hunc modum : « Quandoquidem in » Proverbia Salomonis sapientissimi inciderant, et ex illo» rum cognoverant lectione, difficulter admodum de prima » facie illorum sensum comprehendi posse; vellent autem » propheticam scribendi rationem illam æmulari, ad eum-

» dem modum scripserunt. » Sed et aliter quoque e dictis animadvertere licet quantopere aberravit is a veritate cum affirmet Græcos ad eumdem plane modum quo Salomon scripsisse. Salomon enim, sapientia quæ divinitus est impulsus, suam scripturam universam ad utilitatem et salutem animarum pietati consecravit : usus est autem, ad ingenia legentium exercenda, tenebricosis problematibus, sermonibus tortuosis, et vocibus per ænigmata procedentibus. Testatur hoc ipsum in initio statim libri, ubi ait : « His auditis » sapiens sapientior erit; intelligens possidebit gubernatio- » nem, et obscurorum verborum parabolas cognoscet; « sa- » pientum quoque dicta et ænigmata : iterum quoque ad per- » cipiendam sermonum intelligentiam. » Et profecto hæc ita se habere facile liquet e contentis per illum librum, quæ non aliter possumus intelligere, nisi ab aperta lectione ad sententiam inde eliciendam nos conferamus. Exempli gratia : « Erant hirudini tres filiæ dilectæ admodum. Istæ au- » tem tres illam nequaquam adimplebant : quartæ vero non » satisfiebat, neque dicebat, Satis et abunde est. *Item* : Sa- » pientia sibi domum ædificavit, et substruxit columnas » septem; sacrificia sua jugulavit, vinum suum in cra- » tere commiscuit. » Item alia non pauca hujus generis, quæ non possunt aliter comprehendi, non de lectionis facie, non ex aliqua historia, sed solummodo per metaphoram et dictionis conversionem. At vero proverbia Græcorum illa ab historia quadam deducebantur. Illud enim, *Vel mortuus est, vel docet litteras* ab historia quadam, concedit ipse, oriebatur : ab alia itidem, *Capra gladium;* et illius item *Satis de quercu,* eo quod qui glandibus olim vescebantur, diutius illis vesci destiterunt. Quod si Glaucus quispiam, artifex aliquis egregius, diversimode ab iis ferebatur, qui deinceps in sententias de illo discrepantes abiere, quid hoc ad divinitus inspirata Proverbia? Neque

enim, ut in Græcorum sit proverbiis, ab historia illa solutionem sortiuntur suam : ut necesse sit Marcellum non solum imperite atque indocte, sed contra mentem Apostoli, affirmasse sapientes Græcorum, cum in Proverbia Salomonis incidissent, ad imitationem propheticæ scripturæ se ad scribendum applicuisse. His in eum finem a nobis præmissis ut certissime appareat hominem nequaquam ita ut oportuit versatum in Scripturis, tempus est ut deinceps fidem illius, quam sit male sana, consideremus; et quam oppositam sententiam tueatur doctrinæ ecclesiasticæ, quam una cum ejusdem antistitibus accusat.

CAPUT IV.

Quod, cum doctrinam Ecclesiæ, tum ejusdem præsules accuset.

Ante omnia proponenda sunt a me illa in quibus ea oppugnat quæ recte et secundum Ecclesiæ fidem scripta sunt. In quibus et scriptores ipsos conviciis impetit : et tantum non certamen quoddam generale contra universos instituit, Asterio quandoque repugnantia, quandoque magno illi Eusebio scribens. Convertit hinc se deinceps contra Paulinum, virum illum Dei beatissimum, dignitate præditum Antiochensis ecclesiæ, cum prius Tyriæ ea dignitate episcopus præfuisset : in qua quidem Antiochensi gubernatione se ita gessit, ut non secus quam privatum suum bonum illum Antiochenses amplecterentur. Hunc felici decursu ætatis ad metam beatam mortis devenientem, jamque olim defunctum vita, neque ulla ipsi molestia cognitum, admirabilis hic scriptor irridet. Hinc profectus indicit Origeni bellum, qui ante annos complures excessit e vita. Armatur deinceps in

Narcissum : alterum adhuc Eusebium persequitur. Ut verbo dicam, Ecclesiæ patres omnes nihili facit : solo seipso contentus, sibi placet. Scribit itaque et de nominibus, ad hunc modum singulorum cum conviciis mentionem facit. Exordium porro sumam ab epistola illa quam scripsit, in qua scriptum est se velle contradicere singulis partibus quæ in fide minus recte fuerant sancitæ (4) : « Credere enim se in » Deum Patrem omnipotentem; et in Filium ipsius unige- » nitum Deum, Dominum nostrum Jesum Christum; et in » Spiritum sanctum : » aitque se edoctum e sacris Litteris hanc pietatis formam didicisse. Quæ sic ab illo dicta lubentissimo amplector animo; est enim communis hæc omnium fidei formula, « Credere in Patrem, Filium, et Spiri- » tum sanctum. » At cum idem, potentiam et vim divinam minime advertens, humano more per speculationem quamdam Patrem dicit patrem, Filium filium : non perinde tuto laudare mihi par est hanc ejus hujuscemodi contemplationem. Per hanc etenim contingit, hæresim ab illis adinventam incrementum sumere; quod facile me posse demonstrare arbitror, productis quæ ab illo dicta sunt. Affirmat enim quod omnino sit necesse Patrem confiteri veraciter esse patrem, et Filium ad eumdem modum esse filium vere, necnon et Spiritum sanctum. Hæc contra Asterium Marcellus affirmat, non contentus posuisse in confesso Patrem agnoscendum esse patrem veraciter, Filium esse filium, et Spiritum sanctum ad eumdem modum. Hinc factum ut deinceps in consequentibus refellere conetur hanc positionem. Vult enim Christum agnoscendum esse nudum Verbum et humano consimillimum, non autem Filium esse Dei vivum et subsistentem. Cum vero ab illo dictum sit nuperrime hanc hæresim excogitatam fuisse, ostendendum est Origenem illum ipsum qui vixit cum majoribus nostris, ab hoc ipso Marcello in processu sermonis introduci

ut eamdem foventem opinionis sententiam cum iis quos accusat. Ego autem scriptionibus ecclesiasticis quamplurimis perlectis, ab Origene antiquioribus olim elaboratis; et epistolis diversis synodorum et episcoporum nomine scriptis : in illis singulis eumdem fidei charactera per omnia deprehendi. Ut necesse sit illum parum secundum veritatem hanc accusationem instituisse, nuperrime istam hæresim adinventam. Procedente porro paulatim sermone, ad illam contra Asterium calumniam Eusebii quoque adjunxit accusationem, illius Eusebii quem sibi quamplures civitates et provinciæ, eædemque clarissimæ, episcopum postularunt. «Revocabo te, *inquit,* in memoriam eorum quæ » scripsit, licet timide consentiens cum iis quæ scripta » erant improbe ab Eusebio, ut cognoscas eum manifesto a » priori suo promisso resiliisse. » Totidem enim verbis reliquit scriptum. Caput etenim Epistolæ est illud *ad Patris consilium voluntatem* Filii generationem referendam esse; nullo autem pacto Dei genituram passioni ascribendam. Atque hoc est illud quod in scriptis suis prudentissimi nostri patres sanciverunt, dum declinant hæreticorum impietates, qui filiorum passivas et corporales generationes in Deo per emissiones comminiscuntur. Quas voces in sequentibus latissime confutat; quibus subnectit in hæc verba : « Unde cum Eusebio erranti consentanea per omnia » Asterius posuerit, injecta mentione de natura Patris, et » ingeniti natura, ipse suimet accusator existit : siquidem » omnino præstitisset, Eusebianæ sententiæ passionem, uti » scripsit ipse, inexplicatam et brevitate conclusam prætermisisse, quam per hujuscemodi contemplationem versu » tam illam scriptionem in lucem protulisse. » Post pauca subnectit : « In præsenti examinabimus unum e multis ab » Asterio positorum, ait enim : Alius est enim qui gignit » Pater, de se, unigenitum Verbum, et omnis creaturæ pri-

» mogenitum. Copulavit utrumque unigenitum et primoge-
» nitum in eodem, cum pugnent e diametro hæc inter se
» se; quod quisque poterit negotio nullo, vel indoctissimus,
» observare. Patet etenim unigenitum, si revera fuerit uni-
» genitus, non posse et primogenitum esse. » Sed frustra hic Asterium accusat; nam non ille sua, sed Scripturæ divine verba usurpabat. Affirmant etenim Dei Filium nunc, « uni-
» genitum esse; *alias*, creaturæ omnis primogenitum. » Infert deinceps : « Sed insuper ille habita cognitione vera, spe-
» culationem quamdam artificiosam demonstravit. Et cum
» de Scripturis id quod vellet nequeat confirmare, ad sa-
» pientissimos, uti retur, patres confugit, et inquit quod sa-
» pientissimi e patribus in scriptis suis concluserunt. Con-
» clusisse suos patres Asterius prodit, et sententiam de Deo
» protulisse ex suo ipsorum animo derivatam. Dogmatis
» enim vox, qua utitur ille, ab humana voluntate et opi-
» nione pendet. Quod satis docet, ars quæ dicitur, dogma-
» tica medicorum. Docent autem et quæ dicuntur philoso-
» phorum dogmata. Neque latet, opinor, aliquem, a Senatu
» edita etiamnum dogmata Senatus nominari. » Hæc Marcellus, parum memor Apostolici dicti de Servatore, « Legem
» mandatorum cum evacuasset. » Pergit autem, et Scripturæ dicam inscribit, quæ docet sequendos esse patres. « Inter-
» roga patrem tuum, et annuntiabit tibi; Seniores, et narra-
» bunt tibi; *et:* Terminos antiquos ne transferto, quos patres
» tui posuere. » Audito deinde Paulinum *beatum* appellari, indignatur; et Eusebii iterum meminit cum contumelia scribens : « Consentire volens cum Eusebio, qui illam impiam
» scripserat epistolam: imprimis parum magisterialiter aut
» ad docendum apte loquitur, qui dogma non nominat cu-
» jus gratia illam scripsit epistolam; cum non ad Eccle-
» siam illud scriptum, neque ad ignorantes dirigeretur, sed
» ad beatum Paulinum. Quem *beatum* dixisse ideo patet,

» quod eamdem cum Asterio sententiam foveat. Postquam » vero sapientissimos Asterii patres didicerimus, consequens » esse arbitror ut cum Paulini, tum aliorum doctores no» minemus. Nam per epistolam Paulini illam, patebit quis » erat illius informator. » Ubi interea alia quædam cum interseruisset, taxat eum denuo, quasi male cepisset Origenis mentem. Loquitur autem : « Scripsit hæc Paulinus injecta » quidem Evangelicæ doctrinæ mentione, sed agnito quos» dam motu suo proprio, quosdam de lectione prædictorum » hominum ad hanc fomam descendisse. » Ad extremum velut qui coronidem apponeret demonstrationi, de dictis Origenianis quædam subscripsit suæ epistolæ : quasi plus illa possent quam Evangelistæ et Apostoli. Verba autem se ita habent : « Tempus autem est ut pauca de prætermissis » attexamus, quæ ad Patrem spectant, Filium, et Spiritum » sanctum. De Patre hæc, quod indivisibilis cum existat nec » dividendus, Filii tamen pater sit; non emittens illum, ut » nonnemo voluit. Nam si Filius Patris sui sit emissio, et si » illum de seipso genuit, ad eum modum quo de se anima» lia gignunt, necesse est ut corpus ille sit qui emittit, tum » etiam et ille qui emittitur. » Tum, postquam de Origenianis ista quædam interseruerat, infert ad hunc modum : « Scri» psit Origenes, a sanctis Prophetis et Apostolis de æternita» te Verbi cupiens edoceri; sed cum sibi ipsi plus nimio in» dulgeret, ausus est secundam quamdam hypostasim Verbi » constituere. » Ita illisce, quæ rectissime ab Origene dicta sunt, non licere scilicet corporalem quamdam et passivam generationem divinitatis Filii Dei comminisci, per ista contradicit, et imprimis quod hypostasim concesserit Filio. Addit Origenem maledictis impetens, et recte ab illo positis contradicens. « Origenes, *inquit,* dum hæc scriptis suis man» dat, propriis suis utitur assertionibus : id liquet autem, » quod non una tantum vice suas ipsius subvertit assertio-

» nes ; consequens autem est illa hic ideo commemorare » quæ alibide Deo dicit. » Ad hæc verba autem scribit : « Non enim incepit esse Pater Deus, eo quod ut inter ho- » mines fieri solet pater esse nequiverat. Nam si semper » perfectus extiterat Deus, et potestate præditus ut fiat pa- » ter, et si præstet ut sit pater hujuscemodi filii, dum rem » differt, se tanto bono privat, ut non sit filii pater. Quod » idem et de Spiritu sancto poterit affirmari. » Qui factum ideo ut, cum Origenes ita scripserit, beatus, illi ut videtur, Paulinus existimaverit non esse quidem in tutum hoc occultare; ad suas tamen opiniones confirmandas usus fuerit contrariis, de quibus ne Origenes certe ipse reddiderit rationem? Mentitus est autem in istis Marcellus Origenem, quasi sibi contraria tueretur : cum non intelligat illum per priorem suam propositionem docuisse Patrem sine corpore et omni passione extare; per secundo loco positam, Filium suum, non in tempore quidem, sed ante sæcula omnia progenuisse. Post deinceps de Origene idem iterum scribit : « Quod si verum fateri de Origene debe- » amus, illud tenendum : cum recenter adeo tum a scho- » lis philosophicis divertens, Litteris se divinis applicuisset, » citius quam par fuerat, nondum edoctus Scripturarum » exactiorem scientiam, utpote qui a sæcularibus disciplinis » erat cumulatissime comparatus, accessit ad scribendum ; » unde, per philosophiam seductus, quædam minus recte » in Litteras referebat. Exempli gratia, Platonicorum dog- » matum memor, et principiorum, quæ diversa sunt apud il- » lum, librum quemdam inscripsit, *de Principiis*. Quæ qui- » dem inscriptio argumento esse poterit non vulgari, non » aliunde eum quam a Platone ea omnia mutuatum. Exor- » ditur autem librum ad hunc modum : *Qui credunt et quibus creditur;* quod ita dictum in Gorgia Platonis re- » peritur. » Id quod ut ita esse concedatur, calumniam Ori-

geni non inferret, cum statim subjunxerit, « gratiam et » veritatem per Jesum Christum advenisse; » et esse Christum illam veritatem, secundum quod ab ipso dictum extat : *Ego sum veritas.* Quænam vero tandem communio cum istis Platoni intercessit? Nullus liber a Platone scriptus hoc titulo *de Principiis*, memoratur. Nec ut Plato de principiis Origenes sentiebat, qui principium unicum ingeneratum, sine principio, super omnia, cum agnoscat, eum ipsum statuit esse Patrem unius unigeniti Filii, per quem omnia facta sunt. In istis cum Origenem mentiatur, adjungit post pauca : « Asterium, qui affirmat generatum fuisse » ante omnia sæcula Filium, vel ipsa quidem littera mentitum convincit; adeo ut non solum in rei veritate, sed in » vocibus ipsis aberraverit. Nam si ante sæcula, uti loquitur » Proverbiorum liber, fundavit me, quo modo ante sæcula » genitum fuisse illum affirmat? Aliud est enim ante sæculum fundatum fuisse, et aliud genitum fuisse ante sæcula. » Hæc ubi dixit, et adjecit simul alia ad illud refellendum, ante sæcula fuisse generatum Filium, subjungit : « Obtestor » viros sanctos in quorum manus ista mea sunt perventura, » ut veluti qui semina et principia istius interpretationis veraciter a me accepta perceperint, plures adhuc demonstrationes adjungere velint ad ea quæ dicta sunt a me, quo » magis magisque refelli possint eorum hominum intenta » quibus fidem pervertere solemne est. Revera enim Deum, » qui genuit ipsos, dereliquerunt, et pertusos sibi puteos effoderunt. » Ad istum vero modum calumniatus, conatur ostendere in sequentibus, ne quidem « imaginem sui Patris esse » Filium. » Ait autem : « Consequens esse arbitror, paucis de » imagine disceptare; scripsit enim : Alius quidem est, ab ipso » genitus, qui est imago Dei invisibilis. Meminit autem imaginis Dei invisibilis Asterius, ut confirmare possit Deum a » Verbo suo in tantum differre in quantum distat ab imagine

» sua quilibet homo. » Hisce postquam nonnulla interposuisset, addit : « Omnino igitur patet, Verbum, cum adhuc carnem sibi nostram non adunaverat, nullo modo per se imaginem extitisse invisibilis Dei. » Par est etenim, imago uti oculis cernatur : ut per imaginem, id quod tum non usurpatur oculis videri tamen posset, adjungit autem : « Quomodo igitur Asterius scribebat verbum Dei esse imaginem » invisibilis Dei ? Eorum enim, et quidem omnium universim, imagines ostensivæ sunt quorum esse imagines intelliguntur : adeo ut per illas is qui est absens videatur. » Quod si vero Dei, qui plane invisibilis est, verbum quoque » esse invisibile contingit, quo pacto potest esse verbum per » se imago Dei invisibilis, cum et ipsum sit invisibile ? » Pergit in sequentibus denuo conviciari : « Unde igitur dolo » repleti et vafritie, ut cum Apostolo loquar, dictum transferunt ad ipsius verbi, ut rentur, primam conditionem, » cum de generatione illa, quæ est secundum carnem, David, uti constat, illud usurparit ? » Longum deinceps intertexens sermonem ait : « Quid ad ista igitur dicturus est? » Certe arbitror nihil habere illum quod respondeat. Neque credo in aperta confessione coram aliis illum positurum, quæ tacita apud se celat cogitatione : id quod videre » cuivis licet, ex iis quæ scripsit. Scripsit autem : Alius est » Pater, qui gignit ex se Verbum unigenitum, et omnis creaturæ Primogenitum, solus solum, perfectus perfectum, » Rex Regem, Dominus Dominum, Deus Deum, substantiæ, » consilii, gloriæ, potentiæ imaginem invariabilem. Quæ » quidem ita ab illo posita, manifeste coarguunt quam impiam tueatur is de Deitate opinionem. Nam qui potest illud fieri, ut qui Dominus et Deus natus est, quod erat ab » illo in præcedentibus positum, Dei imago diceretur? Aliud » est quippe Deus, et imago Dei aliud. Ergo qui imago est, » non est is utique Dominus aut Deus ; sed Domini imago,

» atque Dei. Quod si Dominus revera sit et Deus, non potest esse imago Dei atque Domini. » Hæc inconsideratissime sic ab illo statuuntur : minime autem intellexit posse Filium dici vivam imaginem Patris sui, cum sit suo Patri quam simillimus. Hoc et Scriptura testatur inquiens : « Vixit » autem Adam ducentos annos et triginta, et genuit secun- » dum imaginem et similitudinem suam filium, eumque no- » minavit Seth [1]. » De filii autem divinitate Apostolus docet, dicens : « Qui cum in forma Dei existeret, non utique rapi- » nam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum » exinanivit [2]. » Et iterum : « Cum esset gloriæ resplendes- » centia et emanatio, et character hypostasis. » Et alibi dicitur : « Lucis etenim æternæ est emanatio, et speculum » immaculatum Dei operationis, et imago ipsius bonitatis [3]. » Et Apostolus adhuc : « Devestiti veterem hominem, et no- » vum induti, qui renovatur in cognitionem, secundum ima- » ginem Conditoris [4]. » Quæ cum dicat, satis patet non voluisse illum intelligere carnem esse imaginem Dei. Transiens hinc Marcellus ad episcopos, ita scribit : « Ecce vero, non » tam Asterii causa nos mœrore afficit, si talia litteris man- » davit, quam quod nonnulli qui præesse videntur Eccle- » siæ, Apostolicæ traditionis obliti, et sæcularia divinis præ- » ferentes, ejusmodi quædam scribere et docere palam » fuerint ausi, quæ non minus quam præcedentia errorem » implicant. » Deinde subjungit, post nonnulla interjecta : « Incidi aliquando in epistolam a Narcisso scriptam Nero- » niadis episcopo, quam ad Christum quemdam direxit et » Euphronium, et Eusebium, quasi proposita ipsi ab Hosio » episcopo quæstione, utrum ipse, veluti Eusebius Palæsti- » nus, duas substantias fateretur. Hanc ubi legeram, anim- » adverti et ipsum scripto illo suo tres substantias omnino » confiteri. » Hæc ubi dixit, a Narcisso ad Eusebium trans-

[1] Genes. IV. — [2] Philip. II, 6. — [3] Sap. VII, 26. — [4] Coloss. III, 10.

cendit, eumque accusat eo nomine, quod Verbum Dei profiteatur Deum. Scribit autem ad hunc modum : « Verbum » Dei dividere ausus, et Verbum illud alium Deum nominare, substantia et potestate a Patre distinctum, in quam » incidit blasphemiam animadvertere licet cuivis cui scripta » ejus sunt in manibus. » Scripsit autem idem hisce totidem verbis : « Nunquam nusquam imago rei et cujus est imago » idem sunt. » Sed substantiæ duæ, res duæ, potestates duæ sunt, quæ totidem nominibus discriminantur. Et non secus quam si rectissime hæc fuisset cavillatus, annectit : « Quo» circa, qui fiat ut non isti per omnia pessimam viam illam » cum alienis a fide iniverint, cum eadem prorsus et docere » et scribere in animum induxerint Eusebio, Valentino et » Hermæ, subscribente Narcisso, Platoni et Marcioni. » Longam deinceps et ineptam contexit sermocinationem, ex auditu se professus percepisse quod Eusebius aliquando Laodiceæ existens concionabatur; ubi de incognitis ex auditu disserit, et subjungit statim : Par fuit ut cum lacrymis et ejulatu ad Dominum clamaret : Peccavimus, impie atque improbe nos ipsos gessimus, et malum in tuis oculis operati sumus; at resipiscimus, et tuam consequi desideramus misericordiam. Hæc scilicet ei conveniebant, hæc dicenda illi fuerant, propter Dei immensam et bonitatem et misericordiam. Sed profecto consequens fuerat ut Deus, neglecta bonitate, justitiæ habens rationem, in oppositum responderet : Si me hostis conviciis impetivisset, tulissem equidem; et si osor mei in me verbis intumuisset, ab ipso occultassem me : tu autem, homo mihi conjunctissimus, dux meus et familiaris meus, certe una conversatus cibum meum mihi dulcem reddidisti; in domo Dei simul concordes ambulavimus. (Nam certe, versari Deum nobiscum sacerdotibus suis, persuasissimum habemus ex ipsius verbo : « Ecce, ero vobiscum omnibus diebus vitæ vestræ, usque

» ad consummationem sæculi.) » Nec inconsequenter ad illa quæ jam dicta sunt attexere licebit : « Veniat super illos » mors, et vivi descendant in Infernum; quia est iniquitas » in cordibus eorum. » Et profecto Scriptura docet illos ab inferno deglutiri, qui in impietatis ignorantia moriuntur. Erant autem mortui, etiam cum vivere viderentur. Eusebium denuo accusat in sequentibus, quod cum Ancyram aliquando pertransiret, in ecclesia concionaretur; quod se fando audivisse affirmat, atque ex indignatione scribit : « Apostolus hujusmodi testimonium Galatarum fidei per- » hibet : Eusebius autem, perverso sensu Apostolico, quo » scripsit, Filioli, quos iterum parturio, donec efformetur » in vobis Christus, Galatis obtrectatus est, ut minus recte » de Deo sentientibus. » Certe inquiens parturivit acerbum quemdam et molestissimum partum, tum cum resciverat Galatas non ita ut ipse de fide statuisse; non duas substantias confitentes, non res duas et potentias, non duos Deos agnoscentes. Nota mihi autem quanto cum felle et acerbitate convicietur ei qui nihil prorsus in scripta retulit præter nuda ipsissimaque Apostoli verba, idque etiam ipso fatente accusatore. Et adhuc qui fatetur hoc in loco Eusebium duos Deos profiteri, utpote qui cum Patre suo una et Filium quoque Deum agnoscat esse, pergens porro in sequentibus, veluti sui oblitus et accusationis, conatur eumdemmet calumniari, quod nudum tantum hominem affirmet esse Christum. Antedictis annectit in sequentibus multiplicem et longam quamdam vaniloquentiam, entia et non entia aggregando, tantumnon ad eorum morem qui aiunt : « Labia nostra penes nos ipsos sunt : ecquis nostri domina- » bitur ? » Hinc apparet quod memini scripsisse me ab initio operis, ab hostili inimicitia et fraterno odio ad scribendum prosiluisse Marcellum. Hinc digressus in Asterium denuo tragice ampullatur, bene longam de illo instituens narratio-

nem. Narrat quomodo passim peregrinetur, ubi, quando, et ad quos itet. Dimisso de manibus iterum illo, in Paulinum denuo convertitur, hominem Dei, totidem scribens : « Dictis hisce ductus et hujus pater Paulinus, non veretur » dictis et scriptis profiteri, interdum Christum Deum esse » ordine secundum, eumdemque humano more Deum ge- » nitum ; interdum vero determinat illum esse creaturam. » Idque ita ut esse constet, sciendum est illum Ancyræ no- » biscum versantem aliquando, Christum prædicasse creatu- » ram : » seque cum eo iniisse disputationem mentitur. Accusat insuper hunc beatum virum, quasi deos multos statuisset. Relicto demum Paulino, iterum vacat Eusebio exagitando, inquiens : « Hoc idem scripsit et Eusebius Cæsariensis, eam- » dem fovens cum Paulino et a fide alienis, de Deo opinio- » nem. Scripsit enim, non quasi esset solus Deus, sed unus » esset verus solus Deus. Unde edoctus et Asterii pater Pau- » linus, juniores quosdam deos arbitratus est esse. » Quos veluti de diis opiniones introducentes accusat, cum Filii deitatem neget ipse. Qui si verba Eusebiana proponere voluisset, intellexisset procul dubio non illa esse quæ Patrem solum verum Deum docuissent ; cum a Servatore prolatum sit illud, « ut te cognoscant solum verum Deum. » Post nonnulla subnectit inquiens : « Namque unde ille nobis demonstrare » poterit e Scripturis sacris, unum esse ingenitum, unum » item genitum (eo modo nimirum quo esse eum genitum ipsi » autumant), cum Prophetarum nullus aut Evangelistarum, » nullus Apostolorum id affirmet ? » Deinceps, non secus quam qui in certaminibus describitur, ad manum cum omnibus conserendam, confert se ad Narcissum et ait : « Quis au- » tem illud affirmat, nedum contendit, ut Narcissus disertis » verbis asserit, primum esse Deum, et secundum ? Non cer- » te confirmat hoc quod dicitur, illud, Faciamus hominem » ad imaginem nostram et similitudinem ; ipse enim ait, Et

» fecit hominem Deus. » Relicto Narcisso, in Asterium scribit : « Unum atque idem esse pronuntiat Asterius, Pa- » trem solummodo atque Filium, in eo quod per omnia » consentiant et conspirent ; ait enim : Propter exactissi- » mam illam consonantiam in omnibus dictis atque factis, » dicitur, Ego et Pater unum sumus. » Invehitur deinde in Eusebium ita : « Servatorem hominem fuisse docet : idque » liquet in eo, quod vaferrime sententiam Apostolicam tra- » ducit Eusebius ad suam voluntatem constabiliendam. » Veluti enim qui jamdudum parturierat, ut in lucem blas- » phemiam horrendam producturus, ita de suo proprio » thesauro effudit malitiam in dictum Servatoris. Namque » ostensurus hominem solum Servatorem extitisse, non » aliter quam qui mysterium absconditum Apostoli mani- » festaturus erat, ita inquit : Quapropter apertissime divi- » nus Apostolus absconditam et mysticam nobis theolo- » giam revelaturus, clamat et vociferatur, Unus est Deus. » Et postquam Deum unum esse confirmaverat, Mediato- » rem quoque unum Dei atque hominum constituit, homi- » nem Jesum Christum. Quod si ergo hominem ideo illum » appellet, quod respiceret eam quæ est secundum car- » nem œconomiam, non potest fieri quin simul profiteatur » ille, spem se nullam in eo collocare. Namque, Maledic- » tus homo, Jeremias propheta ait, qui in homine colloca- » verit spem suam. » Vides ut occæcat homines malitia. Nam qui testimonium tale perhibuerat Deum confitenti; qui reprehenderat eum a quo Dei Verbum Deus esse di- cebatur substantia subsistens et potentia : is idem nunc eumdem ideo accusat, quasi qui nudum esse hominem Christum dixerat : apertissime mentitus, tum in istis ita positis, tum in illis quæ deinceps annectit, dicens : « Ve- » rum supra nominatus, cum non magnifaceret sanctissimos » Prophetas, tanquam qui absconditam illam et ineffabilem

» Apostoli theologiam interpretaretur, Unus, inquit, Deus » est, unus Dei atque hominum mediator homo Jesus Chri» stus. » Hæc qui scripsit, et vehementer sibi ipsi placuit, quasi Scripturas omnes memoria tenens, nequaquam tamen cogitavit eumdem qui hoc scripsit, divinum Apostolum, et illud in scripta retulisse : « Qui cum in forma Dei exis» teret, non arbitratus est rapinam, esse æqualem Deo, sed » exinanivit semetipsum, assumpta servi forma, in simili» tudine hominis existens, et figura repertus tanquam ho» mo. » Vides ut sanctus hic Apostolus, veluti qui spiritu istorum improbitatem provideret, alibi, atque alia in parte ita scriptum reliquit, « tanquam homo, *et,* in similitudine » hominis existens, » quo tantam horum blasphemiam compescere posset. Post alia eumdem calumniatur isto modo : « Quomodo igitur factum ut Eusebius, cum ad ista non » attenderet, Servatorem nostrum solum hominem extare » contendit? Non hoc quidem ausus est aperte profari, at » hoc voluisse convictus tenetur a suis ipsius verbis. » Et nihilominus, qui sic eum accusat reprehendit illum quoque, quod Filium esse Deum asseveret : dividere quidem Dei Verbum ausus, et Verbum Deum alterum nominans, substantia et potentia a Patre differentem, in quantam incidit blasphemiam ! Tot et alia, et longe adhuc plura non in solos episcopos effutivit Marcellus ; sed in ipsam quoque sanam et ecclesiasticam fidem manifeste declarat quo animo præditus et voluntate fuerat. Nullam vero curam illi veritatis fuisse discere poteris, si in ipsas aliquando episcoporum epistolas incideris : invenies etenim illum corpus universum, sensus et sententiæ earum delumbasse seriem, dictorum vim occultasse, verba arripuisse, et arrepta satis improbe calumniasse. Eusebium aperte calumniis impetit, quasi diceret Christum esse nudum hominem, ideo quod in epistola sua sententiam Apostolicam usurparat, quam

sic posuit Apostolus : « Unus etenim Deus est : unus mediator Dei atque hominum, homo Jesus Christus. » Hoc effatum idcirco Apostolicum tanquam Eusebianum accusat; nec advertit vir prudens Apostolum ab eo accusatum, propter has voces positas in epistola illa : et alibi in operibus ejusdem aliis quæ in sacras Scripturas exaravit, quæ ubique et passim deprædicantur silentio involvit; illa reticens quæ calumniari non poterat. Consimilia perpetrasse illum licet observare in cæteris quoque scriptis quæ accusat. Quæ, ne oratio excrescat in immensum, illis permittimus cognoscenda, quibus libitum est exactius ea investigare : eo contendentes ipsi, ut Marcelli novitatem de Dei Filio inusitatam in apertum proferamus, ita ut intelligant universi perspicue, quam sententiam fovebat is de Filio Dei.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Qualiter Marcellus opinatus est et docuit Filium Dei, ante nativitatem de Virgine, neque esse aliquod, nec præexistentiam possedisse.

Tempus jam tandem a nobis exigit ut, qui jam prius exposuerimus quos viros hic Galata calumniis aspersit, ipsius fidem quæ sit, vel potius perfidiam, sub aspectu et in luce collocemus; et impietatem illam opinionis longo jam tempore intus apud illum occultam, detracta persona denudemus, necnon productis de ipsius scripto testimoniis ostendamus qui vir fuerit et qualis qui Christi Ecclesiæ præsedit : nempe is qui palam asserebat, Filium nequaquam vel fuisse Deo vel præextitisse, priusquam de Virgine nasceretur. Tantummodo autem Verbum esse illum diceret, Deo congenitum, ab æterno coexistens, et counitum Deo, utputa in homine verbum assolet; humanum hoc etenim utitur exemplo : Verbum affirmans intus in Deo ipso extitisse, quiescens interdum, significative nonnunquam operans, operatione illa sua sola de Patre suo exiens, quemadmodum et nos operari solemus scribendo, dicendo, loquendo. At enimvero quis non intelligit, non esse statuendum de Filio, illum ad istum solum modum significativum Verbum et operativum esse ? Quique hoc ad hanc formam in Deo comminiscitur, nescio quo pacto affirmet Verbum minime subsistens assumpsisse carnem, et in illa

assumpta ita operatum; et tunc primum Christum extitisse, Jesum, regem, imaginem Dei, dilectum, filium glorificatum, primogenitum omnis creaturæ, cum non esset prius, nec antea omnino existeret. Imprimis paradoxum illud est, incœpisse hoc Verbum non ab annis hinc retro quadringentis completis, et simul in eamdem non existentiam revolvendum, post judicii tempus, Verbo quidem Deo demum adunito, ita ut præter Deum nihil quidquam existat; carne quam assumpsit desolata et destituta a Verbo, ita ut neque Filius aliquis Dei subsistat, nec filius hominis quem assumpsit. Eo autem tandem descendit abjectionis, ut Gabrielem non audiat Archangelum, Deiparæ manifeste et perspicue annuntiantem de filio ex illa generando, et de semine Davidis secundum carnem descensuro, cum ita inquiat : « Ecce concipies in utero tuo, et » paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit mag- » nus, et filius Altissimi vocabitur : et dabit illi Dominus » thronum Davidis patris sui, et regnabit super domum Ja- » cob in æternum; et regni illius non erit finis[1]. » Sed nec voces intellexit magni illius vatis Danielis, qui eadem ipsa consignavit, dum Spiritu Dei afflatus profatur, inquiens : « Et ecce cum nubibus cœli Filius hominis adveniebat, et » usque ad Antiquum dierum pervenit, et delatus est ante » conspectum ejus. Ipsi autem dabatur principatus, et ho- » nor et regnum : et servient illi omnes populi, tribus, lin- » guæ. Potestas illius est potestas æterna, quæ non per- » transibit; et regnum illius non interibit[2]. » Sed nec illum Esaias de sententia deduxit, qui de regno Filii Dei interminabili ad istum modum scribit : « Puer nobis natus est : » Filius quoque datus est nobis, cujus principatus super » humeros ejus. Vocabitur insuper nomen ejus, magni » consilii Angelus, admirabilis Consiliarius, Deus fortis,

[1] Luc. I. — [2] Dan. VII, 14.

» potestate præditus, Princeps pacis, Pater futuri sæculi. » Adducam enim sanitatem et pacem cum illo. Magnus erit » principatus ejus, et pacis ejus non erit finis. Super so- » lium David, et super regnum ejus, ut corrigat illud, et » auxilietur, in judicio et justitia, ex hoc nunc et usque in » sæculum[1]. » Atque istis per omnia consona fuerunt quæ virgini Deiparæ annuntiabat Gabriel, ubi ait regnaturum in æternum qui erat ex illa nasciturus : *Regni ejus non erit finis.* Quanta autem cum audacia Marcellus hisce testimoniis contraria scripserit et repugnantia, ab ipsius scriptis edocearis licet, in quibus Filii cum deitatem, cum etiam humanitatem pernegavit, ultra omnium hæresium novitatem. Inter enim pravarum opinionum auctores, aliqui, cum Filium Dei supposuissent neque olim extitisse, nec ante substitisse, hominem eum unum de multis statuerunt cæteris similem, adoptione tantum, natis de mulieribus, prælatum : et eidem tamen nihilominus attribuunt honorem nunquam terminandum, et regnum in æternum duraturum. Rursus, qui renuunt humanitatem ejus, supponunt extare eum Dei Filium, Deum quoque præexistentem; sed hactenus progressi sunt errabundi, et ab Ecclesia alieni. Iste vero, qui Dei Ecclesiæ tempore præsedit tam diuturno, subsistentiam Filii Dei tollit, tum cum ipsis ejus serviat altaribus. Seque forsan sperat vitam æternam atque immortalem consecuturum, Pontificem vero ejusdem eadem vita privat? « Habemus etenim, *secundum Apostoli effatum,* » Pontificem magnum, qui cœlos penetravit, Jesum filium » Dei[2]. » Quem neque præexistere nec præsubsistere, audet iste affirmare; quem nec substiturum nec cum sanctis Dei conversaturum docet, secundum promissionem factam de cœlorum regno. Certe cum sancti illi omnes in corporibus immortalitate et incorruptibilitate præditis regnum Dei

[1] Isai. IX, 6. — [2] Hebr. VIII, 1.

cœleste possidebunt : solummodo Christum, et Christus quam assumpsit carnem, ille privat. Neque contremiscit resurrectionis nostræ Ducem et originem, vitæ sempiternæ procuratorem omnibus et causam, regno suo deturbare; nec hoc solummodo, sed et vita omnimodo dejectum privare. Non aliter quam si quis oculos largiatur, lucem vero penitus amoliatur, quæ est oculorum visionis per emanationem origo. Et neque tantus ille Dei Angelus Gabriel : non magnus ille propheta Daniel, de quo dictum est, *Num tu Daniele sapientior es?* Non talis tantusque vates Esaïas : non Prophetarum consessus persuadere huic homini potuere quo minus hæc scriberet et opinaretur. Imo ne quidem Judæi ipsi, apud quos, qui adhuc quidem expectatur Christus, quem illi *Elimmenon* appellare solent, creditur habiturus regnum desiturum, aut mortem ipse obiturus. Longe quidem istis deterior est, qui non veretur impietatem fovere, cum de initio Dei Filii, tum de fine ; quem non potuit diviuus Apostolus inflectere ne eo usque prorumperet impietatis, dum ita loquitur : « Fidelis hic sermo est : » si cum illo mortui simus, una cum illo vivemus : si suffe- » ramus, et conregnabimus. » Et hæredes quidem nos futuros Dei docet, non tamen sine Christo. « Hæredes, *inquit,* Dei, » cohæredes autem Christi : si compatiamur, ut quoque con- » glorificemur. » Et rursus : « Si mortui sumus, *inquit,* cum » Christo, credimus quod vivemus una cum illo; scientes » quod Christus de mortuis suscitatus non ulterius moritur : » mors adhuc illi non dominabitur. » Et iterum : « Donum » vero Dei est vita æterna, in Jesu Christo Domino nostro. » Vitam igitur æternam non aliunde consequemur, quam per Christum Jesum Dominum nostrum. Et spes illa nos fovet, non solum quod vivemus, sed quod etiam cum illo una glorificabimur, et hæreditatem una consequemur, et cum eo simul conregnabimus. Omnia enim nostra nobis prove-

niunt ab illa, quam habemus cum eo, communione; quod docet ipse Paulus ubi ait : « Fidelis Deus est, per quem vo- » cati estis ad communionem Filii sui, Jesu Christi Domini » nostri. » Quænam vero illa sit communio docet. « Et sus- » citavit, *ait*, et sedere fecit illum a dextris, una secum in » cœlestibus in Christo Jesu, ut ostendat in venturis olim » sæculis superabundantes divitias gratiæ, in bonitate erga » nos in Christo Jesu. » Idem et de Servatore eadem docuit ubi inquit : « Qui, quod maneat in æternum, immutabile » habet sacerdotium : unde et servare omnes potest qui » accedunt per illum ad Deum, semper vivens, in eum fi- » nem ut pro nobis intercedat. » Quin et Melchisedech mansurum sacerdotem in æternum confirmat, eo quod assimiletur Filio Dei. Hisce tamen omnibus ausum fuisse Marcellum contraria plane mandare litteris, paulo post proponetur cuicumque intuendum. In præsenti autem dispiciendum nobis prius est, quam fovebat ille sententiam de Filio Dei non existente ab initio nec sortito subsistentiam.

CAPUT II.

Quæ fuerat Marcelli sententia de Verbo in Deo existente.

In eos postquam insultaverat qui Dei Filium vere filium extitisse vivum arbitrabantur, suam ipsius opinionem profert totidem syllabis in hunc modum comprehensam : « Quam- » obrem priusquam descenderet, et de Virgine nasceretur, » Verbum erat solummodo. Nam quid aliud erat, priusquam » nostram carnem assumeret humanam, id quod descendit » in temporibus novissimis, quemadmodum ipse scribit? et » id quod de Virgine nascebatur nihil aliud erat præterquam

» Verbum. » Pergens deinceps, ait æternum fuisse, et ingenitum quoque definit. Scribit autem : « Quocirca consensum » audis Spiritus sancti, quo per multas et differentes perso» nas æternitati Verbi testimonium perhibetur. » Et per hoc ipsum, incipit quidem ab æternitate Verbi, hoc modo : « In » principio erat Verbum : et Verbum erat apud Deum : et » Deus erat illud verbum[1]. » Ita tribus testimoniis se invicem consequentibus Verbi vult docere æternitatem. Post cætera subjungit : « Prius certe quidem, ut sæpenumero dixi, nihil » aliud erat Verbum. » Et adjungit, quod nec imago fuit Dei invisibilis, inquiens : « Quocirca manifestum quidem est » quod Verbum, ante nostri corporis susceptionem, ne qui» dem imago Dei fuerat invisibilis. » Et rursus post alia subinfert idem : « Quid erat igitur hoc quod descendit, ante » incarnationem ? Omnino certe spiritus fuit. Si quid enim » aliud dicturus est aliquis, non hoc dabit qui ad Virginem » locutus est ad hunc modum Angelus : Spiritus sanctus » superveniet in te. Si autem spiritum fuisse asserat, audi » dicentem Servatorem : Spiritus Deus est : » ubi cum liquidissimo constet Servatorem de Patre locutum fuisse, « Deus » est spiritus, » convictus tenetur Marcellus existimasse, ipsum Patrem fuisse incarnatum; cum sententiam adhuc apertius effert, ad hunc modum scribens : « Discat igitur, » Verbum Dei advenisse : non, ut illi volunt, Verbum cata» chrestice appellatum, sed revera qui existebat Verbum. » Addit iterum et ista antedictis : Quod si de spiritu disquisitio instituatur sola, unum atque idem, nec injuria, cum Deo videbitur esse : quod si illa additio, secundum carnem disquisitio, de Servatore adjiciatur, operatione divinitas sola videbitur dilatari; ut merito quidem unitas sit indivisibilis. Vehementius adhuc hoc idem conatur astruere, in iis quæ deinceps ita scribit : Dicere idcirco, illum ante sæ-

[1] Joan. x.

cula generatum fuisse, videtur de necessaria dici consequentia; nam quod procedit genitum est, Patris nimirum genitum, a quo procedit. Alterutrum non sano modo, nec conjuncto cum pietate, ab illo sumitur. Non enim verbum esse illud, dicere, quod ab eo procedit, et hunc esse generationis verum modum, sed simpliciter Filium solum, solet quidem iis qui illud audiunt emphasim quamdam et apparentiam exhibere humanæ visionis. In istis, sine omni integumento negavit Filium; eumdem vero constat illum introducere nudum tantum Verbum, faciendarum rerum mandatorium : id quod liquet ex adjectis, quem ad hunc modum omnes Scripturæ prædicant; David siquidem de illo inquit : « Verbo Domini stabiliti sunt cœli[1]; *et secundo :* Ipse emit» tet Verbum, et sanabit eos. » Salomon autem : « Quærent » me impii, nec invenient. Odio etenim habuerunt sapien» tiam : Verbum vero Domini non elegerunt. » Et Esaïas : « Non de Sion egredietur Lex, et Verbum Domini de Jeru» salem. » Et Jeremias : « Pudefacti sunt, *inquit*, sapientes, » timore concussi, capti sunt, quia Verbum Domini abjece» runt. » Et propheta Osee : « Oderunt in portis reprehen» dentem : et Verbum sanctum abominati sunt. » Similiter et Michæas mentionem Verbi faciens, ait : « Egreditur Lex, et » Verbum Domini ex Hierusalem. » Tot et tanta ubi coacervavit de Verbo mandatorio Marcellus testimonia, ejuscemodi quoque asserit extitisse et Verbum illud quod apud Deum Deus extabat ab initio. Quocirca subinfert inquiens : Sanctissimus Apostolus et discipulus Domini Joannes, exertim docens apertissime in principio sui Evangelii Verbum, velut prius inter homines ignoratum, Dei omnipotentis nominatim compellat, inquiens : « In principio erat Verbum, » et Verbum erat apud Deum, et Deus erat illud Verbum[2]. » Non unico contentus testimonio, Verbi significat æterni-

[1] Psal. XXXII, 6. — [2] Joan. I.

tatem. Quibus subinfert statim, ut in eo quod affirmat, « In principio erat Verbum, » ostendere posset, potentia esse in Patre suo Verbum. Erat enim in principio rerum omnium Deus, de quo omnia. In eo quod ait : « Et Ver» bum illud erat apud Deum, » Verbum extitisse docet apud Deum actu; nam per illum omnia fiebant, et sine illo fiebat nihil quod factum fuit. In eo quod dicitur Deum esse illud Verbum, Divinitatem non dividet quod Verbum esset id quod in illo erat, et ille in Verbo. « In me *enim,* » *inquit,* Pater, et ego in Patre. » Addit ad ista revelans suam ipsius mentem, dum prosequitur : « Sanctus Apo» stolus et discipulus Domini Joannes, æternitatis ipsius » mentionem faciens, verissimus adest testis de Verbo, In » principio, inquiens, erat Verbum : et Verbum erat apud » Deum : et Deus erat Verbum. Generationis Verbi nulla » hic mentio : tantum tribus continuo se sequentibus testi» moniis usus, confirmat illud, Verbum in principio exti» tisse. » Adjungit istis porro : « Dispensationem secundum » carnem, homini scimus convenire : æternitatem vero se» cundum spiritum Patri credimus adunitam. » Accedunt eisdem in processu : « Quod si ipsemet hoc affirmet, inquiens : » Ego de Patre exivi, et venio; et rursus : Verbum quod » auditis non est meum, sed Patris qui misit me; et : Om» nia quæ Pater habet, mea sunt : manifestum est illud non » injuria dici, In me Pater est, et ego in Patre : ut in Deo » subsistat Verbum illud, a quo hoc profertur. In Verbo » autem illo Pater, quoniam Patris potentia Verbum est : » testis enim fide dignus eum Dei potentiam et sapientiam » Dei nominavit. Non propter illam exactissimam conso» nantiam, in omnibus verbis et operibus, ut Asterio visum, » Servator dixit, Ego et Pater unum sumus; verum ideo » quod sit impossibile vel Verbum dividere a Deo, vel Deum » a Verbo separare. Cum vero propter illam omnimodam

» consonantiam Asterius putet Servatorem locutum ad is-
» tum modum, nec animum ad secundam œconomiam ad-
» vertens veritatem voluit ediscere, necesse est ut illum
» commonefaciam, docere Scripturam expressissime, videri
» saltem aliquando inconsonantiam esse. Quænam erat enim
» sub Passionis tempore consonantia, cum diceret : Pater,
» si possibile est, transeat iste calix? et inferret : Verumta-
» men, non ut ego volo, sed ut tu. Equidem non erat con-
» sonantis dicere, imprimis, Transeat iste calix; nec cum
» consonantia quidquam habere commune videtur quod
» sequitur : Non mea voluntas, sed tua fiat, Pater. Audis
» autem quod prima quidem facie littera denotet inconso-
» nantiam, illo volente, hoc non volente : voluisse namque
» Patrem patet, ex eo quod factum fuit illud quod volebat :
» non voluisse filium liquet, ex eo quod declinat et depre-
» catur. Atque alia vice, Non quæro, *inquit*, meam volun-
» tatem, sed voluntatem Patris, qui misit me. Quomodo
» igitur propter illam ubique et per omnia consonantiam,
» Servatorem affirmat pronuntiasse, Ego et Pater meus unum
» sumus? et paucis interjectis ait : Quomodo erga Filium
» consonantiam habere Pater poterit, vel Filius erga Pa-
» trem, cum dixerit Filius, Omnia illa quæ Pater habet,
» mea sunt? Est enim Filius, qui hoc modo loquitur, abun-
» dantior suo Patre. Omnia quæ Pater habet, mea sunt, in-
» quit ideo; non autem, Omnia quæ Pater habet, commu-
» nia sunt; cum dicendum ita esset illi qui per omnia ha-
» beret cum suo Patre consonantiam : siquidem in Acti-
» bus Apostolicis, ubi eorum qui ad fidem tunc accedebant
» laudatur consonantia, omnia fuisse ipsis communia di-
» citur. Et omnia sunt communia existimanda inter eos
» qui consonantiam inter homines amplectuntur : quanto
» magis par fuit Patrem atque Filium communionem am-
» plecti, qui in duas hypostases dividebantur? At nunc Fi-

» lius quam Pater plus habere videtur, cum affirmet, Om- » nia quæ Pater habet mea sunt. In eo autem quod dicit, » Verbum non esse sui dominum, sed ipsius Patrem (Sermo » enim quem auditis, inquit, non est meus, sed Patris, qui » misit me), ostenditur Patrem a Filio auferre etiam illa » quæ propria sunt. Neutrum istorum, ex Asterii sententia, » recte dicitur. Par et æquum enim fuerat consonantem ali- » quem nullo modo ad se trahere quæ de jure alteri com- » petebant, avaritiam quippe hoc denotat; sed quæ utrivis » suppetebant, illa esse communia arbitrari. Adeo ut cum » humanam carnem intueamur, non quemadmodum Aste- » rius scripsit, Dominum locutum inveniamus, Ego et Pa- » ter meus unum sumus; si enim id volebat, omnino dice- » ret, Ego et Pater in omnibus inter nos conspiramus : at » nunc dixit, Ego et Pater unum sumus. Igitur si aliqua in- » ter eos extitisset inconsonantia, et fieri nequeat ut Do- » minus mentiretur, certe est necesse intelligamus Serva- » torem, cum diceret, Ego et Pater unum sumus, hoc non » dixisse ex intuitu hominis quem assumpsit, sed Verbi e » Patre prodeuntis. Nam si aliqua deprehendi inconsonantia » posset, debet illa referri quidem ad carnis infirmitatem, » quam, cum prius non haberet, suscepit Verbum. Quod si » unitas hæc dicatur, certe videtur ad Verbum esse refe- » renda. Unde non istud tantum, Ego et Pater unum su- » mus, merito dictum est ab illo, sed aliud insuper : Tanto » tempore fui vobiscum, Philippe, et tu dicis, Ostende mihi » Patrem. Nimirum non istis tantum oculis, sed intellectua- » libus, intelligibilia qui cernere possunt : nam corporeis » oculis invisibilis est et Pater et Patris Verbum. Non igitur » ad hunc modum allocutus est Philippum, propter illam » in singulis consonantiam. » Postquam tam multis hæc dixerat, resumpto ab initio sermone, ad hunc modum dog- matizat : « Ante omnem rerum productionem erat, ut par

» est credere, quies in Deo, existente apud eum intus Verbo.
» Nam si omnium rerum conditorem esse Deum Asterius
» credit (id quod ipse nobiscum una confitebitur, Deum
» nimirum semper existentem initium suæ existentiæ non
» sortitum, cætera quidem omnia ab illo producta fuisse,
» et quidem producta de nihilo : neque enim credo, et illud
» professurus est, esse quædam ingenita, nec dicturo credi-
» turus; sed habere persuasissimum cœlum, terram et om-
» nia in iis a Deo fuisse producta) : si credat, inquam, ista,
» necesse est ut illud simul confiteatur, nihil prorsus aliud
» præter Deum extitisse. Habet ergo privatam suam quam-
» dam opinionem Sermo iste, existens in Patre suo. » Hæc
postquam dixerat, subinfert statim : « Concessam illi pote-
» statem, gloriam Asterius nominavit; nec solummodo glo-
» riam, sed et antemundanam gloriam : non animadvertens
» ante mundum conditum, præter unum solum Deum, ex-
» titisse omnino nihil. » Hæc Marcellus ubi dixerat, et sine
ullo prætextu per illa Filium abnegaverat, ut nobis redderet
persuasissimum qualenam Dei Verbum imaginaretur, men-
tem suam aperit dilucidius adhuc, et nostro verbo assimilat
per omnia, in iis quæ ita scribit : « Omnia quidem quæ facta
» sunt, intelliguntur a Patre facta esse per Verbum. Quo-
» circa et sanctissimus Moses Angelum appellat hoc in
» loco Verbum, propterea quod non ob aliam causam appa-
» ruit, quam ut Mosi renuntiaret illa quæ conducere scie-
» bat filiis Israël. Sciebat autem illud conducere, ut crede-
» rent unum solum Deum esse. Quocirca et alloquitur illum,
» Ego sum qui sum : ut ab ipso cum recesserint, nullum
» esse Deum alium arbitrarentur. » Proclive est autem istud
cuicumque prudenti uti arbitror, intelligere, ab exemplo
quodam exiguo et satis humili humano. Neque enim possi-
bile est cuicumque verbum hominis, vel potentia, ab hy-
postasi separare; unum est etenim atque idem cum homine

verbum suum, nec ullo pacto aliter separandum, quam sola agendi operatione. Magis adhuc prodige suam mentem insinuat, in sequentibus inquiens : Non certe indigebat Deus appellatione alia, utputa materiæ, aut rei humanæ cujuscumque ; sed illius solius apparatus qui in ejus mente versabatur. Quandoquidem ergo impossibile fuerat sine verbo, et verbo conveniente prudentia, Deum cogitare mundi affuisse conditurae, non immerito inquit : « Cum præparares » cœlum, una aderam tecum. » Adjicit denuo e similitudine humani verbi, et verbum Dei esse, ut ostenderet illud minime subsistere. Scribit enim : « Hoc in loco, *ait,* Ego sum » qui sum, ad Mosen loquitur Pater. » Loquitur autem, quod constat, per verbum suum. Quæcumque etenim loquitur Pater, hæc ubique per verbum suum locutus videtur. Hoc apparet, si parva licet magnis componere et divinis, a nobismetipsis. Nos etenim omnia quæcumque volumus, quantum saltem in nobis est, facere et dicere, per nostrum verbum procuramus. Ubi nonnulla interseruerat, subnectit : « Quinam igitur Asterius, cum præ se fer- » ret simpliciter et cum timore quodam sequi Scripturarum » ductum, illam earum partem tamen non intelligebat : Do- » minus Deus tuus, iste Deus unus est ; Deus, in cœlis sur- » sum, et super terram deorsum ; nec alius adhuc est præ- » ter illum ? » Unus est, inquit, et præter illum non est alius. Pergens deinceps, contendit vehementius : « Non erat Ver- » bum, dicto catachrestice, rumpantur licet illi mentiendo » qui contrarium tuentur ; sed proprie et simpliciter erat » verbum. » Adjungit : « Quid vero erat aliud mysterium » illud absconditum, quam secundum Verbum Dei ? Erat » autem illud ita olim in Deo absconditum prius, ut nullus » plane apud populum priorem perspicue illa cerneret quæ » ad Verbum pertinebant. Nos vero in præsenti fruimur di- » vitiis gloriæ ipsius et mysterii revelati. » Humana demum

utitur similitudine ad hunc modum scribens : « Quis vero » fuit adeo dignus, vel inter homines justos, vel sanctos » etiam Angelos, pœnam a Deo in illos destinatam amoliri ? » Verbum solum qui una aderat cum Deo, et una cum illo » effigiarat hominem : ad quem dicebat Pater, Faciamus » hominem ad imaginem et similitudinem nostram ; cum » non extaret aliquis alius Deus qui cum illo una effigiare » posset. Ego enim, inquit, Deus sum primus ; ego Deus » postremus, et præter me non est alius Deus. Non est ita- » que junior Deus aliquis, nec in secundis positus Deus ali- » quis, qui poterat una cum Deo operari : sed veluti si quis » parvo quodam utatur et humano exemplo, ita rem istam » examinet ad similitudinem. Sicut si statuarum artifex ex- » cellens, statuam conflare propositum habens, imprimis » characteres ejus atque formas secum speculatur ; latitu- » dinem deinceps et longitudinem decentem cogitat, et to- » tius proportionem sigillatim per partes animo tenus amus- » sitat atque exigit ; tum demum materiam, æs in procinctu » comparat, et futuram illam statuam animo suo delinea- » tam complexus, sibique conscius, rationem intus suam, » qua ratiocinatur et qua administra componit omnia (ni- » hil etenim pulchrum est non secundum rationem exascia- » tum), ubi manum admovere operi incipit, ita tanquam » alteram personam affatur : Age faciamus, inquiens ; age » effingamus statuam. Ad eumdem modum universorum » dominus Deus, viventem de terra statuam effinxurus, non » ad alium aliquem, sed ad suum ipsius sermonem se com- » ponit, Faciamus, aiens, hominem, non ad eumdem mo- » dum quo cætera : nam certe secundum rationem uni- » versa formabantur. » Addit istis post alia : « Nunc autem » sacris Scripturis credo, quod unus sit Deus, et ejus Ver- » bum Deus e Patre quidem exiit, ut omnia per illum fie- » rent. Post judicii tempus et rerum omnium restauratio-

» nem, et oppositæ potestatis cujuscumque amolitionem, » tunc subjicietur ipse illi qui ei subjecit omnia, Deo et Pa- » tri, ut ad eum modum sit in Deo demum Verbum, quod » prius olim fuerat quam mundus crearetur. Nam cum » prius nihil prorsus extaret, nisi solus Deus, condenda au- » tem essent omnia per Verbum, prodiit virtute præditum » operatrice : Verbum, inquam, illud quod in Patre fuit. » Rursus autem eamdem sententiam explicatius ponit in sequentibus : Prius enim quam mundus conderetur, erat Verbum in Patre suo; cum vero Deus omnipotens statueret omnia quæ in cœlo sunt et in terra condere, mundi creatio illa indigebat operatione effectiva : idcirco, cum præter Deum nihil prorsus esset (nam est positum illud in confesso, universa fuisse ab illo condita), tunc procedens Verbum fiebat mundi conditor, quod prius intus intellectualiter residens *ipse fuit.* Et rursus post omnia addit : Hanc ob causam non se nominat *Filium Dei,* sed *hominis :* ut ita hominem, per communionem cum ipso copulatum, fieri procuraret filium Dei; et finita hac dispensationis actione, iterum velut Verbum aduniatur Deo, adimplens quod dictum est ab Apostolo, Tunc et ipse subjectus erit illi qui omnia ipsi subjecerat, ut sic Deus fiat omnia in omnibus : tunc enim erit idem, quod prius fuerat. Tam multis Marcellus illud egit, ut revelata facie Dei Filium ejuret. Si enim unus atque idem erat Deus, et quod in Deo erat Verbum, et nemo unquam sibimetpsi existat Pater, ut nec Filius quisquam sibi ipsi qui unus esset, unus autem solus erat et ipsemet suo Verbo Deus; apparet quod non erat Pater cum nondum extaret ipsius Filius; item, quod non erat Filius cum nondum extaret Pater. Ex antedictis ideo cognoscimus quæ et qualia iste homo commentatus est de Verbo Dei non existente, nedum præexistente; sed quod nudum Verbum in Deo extaret, ita ut interdum conquiesceret, aliquando

autem activa virtute operaretur. Atque hæc non semel, sed diversis modis et temporibus suis scriptis interspersit, adeo ut verborum supervacaneorum struem ingentem per syngramma illud suum accumulaverit. Nos autem contenti e vocibus ipsis refutationem illius scripti contexuisse, hujus dogmatis Judaïci absurditatem nulla dignabimur responsione. Hinc porro transvecti ad illa quæ dicuntur ab eo de carne quam Verbum illud quod in Deo erat, ut ipse loqui amat, sola suscepit operatione, agedum dispiciamus qualiter eam, quam in sacris Scripturis reperimus de Filio Dei unigenito theologiam, ad carnem traducit quam assumpsit : ipsum quidem, qui præexistebat, Dei Filium abnegans, carnem vero deificans ; quam ipsam tamen, sine metu et pietate, mox a Verbo deserendam esse definivit.

CAPUT III.

Quid Marcellus sentiebat de carne illa quam assumpsit Dei Verbum.

Erat in principio Verbum, nec aliud erat quam Verbum. Homo autem Verbo adunitus, cum non fuisset prius, factus est homo : hoc nos Joannes docuit, inquiens : « Et Verbum » caro factum est » Verbi solius mentionem ideo facit tunc; sive enim nominis Jesu meminerit, seu etiam Christi Scriptura sacra, videtur illud Verbum nominare velle, quod deinceps cum humana carne fuit. Si quis vero audeat profiteri reperturum se nomen illud Jesu de Verbo solo usurpatum extra scripturam Testamenti novi, id ad morem Prophetarum prædictum sic inveniet. Liquet autem hinc ipsum : « Astiterunt reges terræ, et principes in unum convene-

» runt adversus Dominum, et adversus Christum ejus. » Post pauca pergit : Non igitur merito, quod sæpe diximus, ante descensum ad homines dicebatur *Verbum,* post descensum et carnis assumptionem nominibus diversis agnoscebatur. Hic observa mihi autem qualiter Marcellus nomen Jesu et Christi, et cæteras quoque appellationes, non de Verbo contendit usurpari, sed tantum de carne quam assumpsit Verbum. Idque quoniam ubi carnem rejicit, demum in Christum Dei impius reperitur, pergit adhuc, et de corpore Servatoris ad hunc modum scribit : Ne hoc ipsum incredibile arbitretur Asterius, si posterior existens suo corpore ad antiquitatem aspirare nequeat ; sed recordetur, quod utcumque contingat, humanam istam carnem posteriorem esse, nihilominus qui illam per sanctissimam Virginem assumere dignatus est, Verbum Dei, adunito illi suo, quod erat, hominem illum suum universæ creaturæ primogenitum reddiderit, et rerum omnium principium volens constituerit, earum quæ in terris sunt, et quæ in cœlis. Hæc qui scripsit commemorat statim post Apostoli verba, quibus Filii constabilit divinitatem ; illa nimirum : « Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis crea- » turæ, quoniam in ipso condita sunt universa, in cœlis et » in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Domina- » tiones, sive Principatus, sive Potestates : omnia per ipsum » et in ipso creata sunt ; et ipse ante omnes, et omnia in » ipso constant[1]. » Hæc omnia ad carnem dicta refert : nec erubuit has voces Apostolicas de illa carne dictas interpretari, de qua ipsa in sequentibus ad hunc modum scribit : « Si fateatur ideo Servator carnem non prodesse, unde fit » ut caro, quæ et orta est de terra et nihil prodest, cum » profuerit nihil, in futuro sæculo Verbo assistat ? » Iterum de eadem illa ita infit : « Quomodo par fuit ut servi forma,

[1] Coloss. 1, 6.

» quam assumpsit sibi Verbum, cum existat forma servi, » Verbo permaneat adunita ? Certe nequit fieri. » Et tamen ille ipse qui de carne ita scripsit, in præsenti illam vocat imaginem Dei, et omnis creaturæ primogenitam ; ipsam ante omnia extitisse dicit, et in illa condita fuisse universa docet, cum quæ in terra sunt, tum quæ in cœlis, Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates. Verba illius sunt : « Si ipse sit omnis creaturæ primogenitus, et in ipso con- » dita sunt universa, intelligere nos oportet Apostolum in » præsenti mentionem facere de illa secundum carnem » dispensatione. » Confirmat hoc adjectis et istis : « Vocatus » est autem omnis creaturæ primogenitus, non, ut illi ar- » bitrantur, quod ante omnia ipse conditus sit, sed propter » illam suam secundum carnem generationem. » Addit autem : « Quocirca sanctissimum istud Verbum, non diceba- » tur ante suam incarnationem, omnis creaturæ primoge- » nitus. Nam quomodo fieri poterat ut is qui semper erat, » alicujus esset primogenitus? Sed primus ille novus homo, » in quem omnia volebat Deus recolligere, is in sacra Scri- » ptura nominatur omnis creaturæ primogenitus. » Infert tum : « Audis ut non solum ista, sed et illa omnia præexis- » tentia sive super terram seu in cœlis, in illa secundum no- » vam hanc creationem condebantur. » Atque hæc sunt illa quibus pronuntiat illum dictum omnis creaturæ primogenitum propter assumptam carnem. Vide autem qualiter ad carnem quoque et illud referat : « Dominus condidit me prin- » cipium viarum suarum, ad opera sua ; » et sacram Scripturam attende, in Proverbiis hoc modo loquentem : « Ego » Sapientia habito consilio, et eruditis intersum cogitationi- » bus : per me reges regnant, et legum conditores justa de- » cernunt. » Quibus eadem Sapientia hæc annectit : « In viis » justitiæ ego ambulo ; et conversor in medio semitarum » æquitatis, ut dividam existentiam diligentibus me, et the

» sauros ipsorum de bonis repleam : si vobis annuntiavero » quæ quotidie fiebant, memorabo enuntiare quæ erant a » sæculo. Dominus possedit me in initio viarum suarum : » antequam quidquam faceret a principio ab æterno ordi- » nata sum, in principio antequam terram conderet ; » et quæ sequuntur : quibus minime volens acquiescere, aut animum suum advertere Marcellus, illud unicum habens in proposito, ut ne confiteretur Filium Dei, illam ante dictam in Proverbiis de eo theologiam ad carnem refert ; et postquam de recta via declinaverat, invia quædam sibi excogitavit, ista verbatim scribens : « Proverbiorum igitur ca- » put istud, non ut illi rentur, docere nos intendit initium » divinitatis Servatoris, ubi ait : Dominus possedit me prin- » cipio viarum suarum ; sed secundam illam quæ in carne » fuit facta dispensationem : quocirca possessionis meminit, » hoc est carnis noviter creatæ. Non igitur, ita addit, crea- » tura ab humana ejus operatione est distincta. Ideo in- » quit : Dominus condidit me initio viarum suarum ad opera » sua ; » per virginem scilicet Mariam, quam præelegit Deus ut Verbo suo carnem humanam uniret. Tum deinceps adjungit : « Hoc sane cum ita se habeat, consentaneum est animo » perpendere dictum illud proverbialiter : Dominus condi- » dit me initium viarum suarum in opera sua. Is etenim » vere condidit, qui quod non erat fecit, Dominus nempe » noster Deus, illam carnem quam assumpsit Verbum. » Infert iterum : « Hoc igitur est, Dominus condidit me ini- » tium viarum suarum ; et addit, Ante sæcula fundavit me ; » fundamentum intelligens carnem suam, quam secundum » dispensationem præordinarat : quod ipsum et Apostolus » ait : Fundamentum aliud nullus ponere potest, præter il- » lud quod positum est, quod est Jesus Christus. » Sæculi unius porro meminit in quo fundamentum illud debet poni, quod est de Christo. Eamdem rursus confirmat opinionem

inquiens : « Non immerito Propheta hic dicebat, Ante sæ-
» culum fundavit me : nempe illud intelligens fundamentum
» suæ carnis, nimirum propter communionem quam habe-
» bat Verbum cum illo vero filio. » Deinceps adjungit : « In
» principio, priusquam terram produceret. Quamnam vero
» terram ? Illam nempe, ut patet, quæ est nostra caro : quæ
» post commissum peccatum in terram rediit denuo. Terra
» es enim, inquit, et in terram reverteris. Par fuit enim ut
» huic remedium accommodaretur quodam pacto, per sanc-
» tissimi illius Verbi communicationem. » Videte autem ut
in istis secum ipsemet Marcellus pugnet. Nam qui alibi
dixerat, « principium viarum Domini conditam esse car-
» nem ; » et qui secundo loco eamdem posuit fundamen-
tum, subjungit, « priusquam terra conderetur, » ubi denuo
per terram intelligit carnem : neque vidit, dictam inconse-
quenter, ante carnem conditam esse carnem ; et post car-
nem conditam, iterum in carnis nomine insistere : Ille tamen
ista superioribus ad hunc modum subnectit, *ante forma-
tas abyssos. Abyssos* proverbialiter sanctorum corda nun-
cupat Propheta, in quorum nempe profunditatibus dona
Spiritus recondebantur. Hic jam in istis attendas aurem,
quomodo is qui dictum illud, *Dominus condidit me,* de
carne intellexerat, a Scriptura deinceps in angustum com-
pactus quæ dicit, *antequam formarentur abyssi,* interpre-
tatur abyssos sanctorum corda : nec advertit quod corda
sanctorum, puta Abrahami, Isaaci, Jacobi, Mosis, Heliæ,
Melchisedechi, et reliquorum Prophetarum, ante Servato-
ris incarnationem fuerant. Qui potest ergo illud ad carnem
referri, *antequam abyssi formarentur?* Post deinceps alia
iterum subinfert inquiens : « Quid illud autem membrum
» sibi vult, Antequam fontes producerentur ? Equidem hoc
» mysterium enarrat nobis scriptura Exodi, in qua olim
» Apostolorum typi prænuntiabantur. Meminit enim textus

» ille duodecim fontium in Elim, cum Apostolorum chorus » esset duodenarius. » Idem iterum ille regerit ad hunc modum, inquiens : « Merito igitur de generatione secundum » carnem Dominus per prophetam Salomonem dixit, Ante» quam fontes aquarum provenirent. » In sequentibus, quædam alia prosecutus stylo, infert : « Quocirca cum præce» dentia fuerimus executi, consequens est ut quod restat » adhuc expleamus. Restat autem illud, quo meminit mon» tium atque saltuum : ait enim, Antequam montes firma» rentur, ante omnes saltus genuit me. Esse porro montes » hosce atque saltus Apostolos et successores Apostolorum, » ut ita illorum justissima conversatio atque vitæ institutio, » ante omnes aliorum politias, intelligatur denotari. » Hujuscemodi suas interpretationes ubi proposuerat, pergit demum ad testimonia Apostolica; et Apostolo contraria in os obgannit : « Ille enim præexistentem Filium Dei omnis crea» turæ primogenitum appellat : omnia in illo et per illum » condita docet : eumque ante omnia extitisse magna voce » protestatur. At hic hanc ipsam theologiam ad carnem » deducit : quam et ipsam statim negat : ait autem : Idcirco » merito infert, Qui est imago Dei invisibilis, quando au» tem ita factus? Num cum figmentum assumpsit illud, » quod factum est ad imaginem et similitudinem? Prius » etenim, quod aliquoties diximus, nihil aliud quam Ver» bum erat. » Perstat, et hoc explicatius elucidat, ubi loquitur : Est ergo manifestum, quod non erat Verbum imago invisibilis Dei ante carnis nostræ assumptionem; nam necesse est imaginem oculis cerni, ut ita per imaginem discernatur id quod non poterat antea oculis usurpari. « Quemadmodum igitur Asterius affirmat, Dei Ver» bum extitisse imaginem invisibilis Dei? Imagines etenim » sunt earum rerum demonstrativæ, etiam absentium, qua» rum sunt imagines : ita ut per illas vel absentem pos-

» simus intueri. Quod si Dei, cum sit invisibilis, verbum » quoque invisibile sit, quomodo tandem Verbum, in se » invisibile, invisibilis Dei imago esse potest ? Certe est » prorsus impossibile ut quod videtur per aliquid invisi- » bile manifestetur. » Non hic intelligit Marcellus quod si sit necesse carnem imaginem fieri Dei, carnes et corpora hominum singulorum et personæ, imagines dicantur esse Dei; ita ut per semetipsum singulare nihil habeat Servator. Iste vero, tanquam oblitus eorum quæ deinceps de carne mandavit litteris, cum ex auctoritate Apostolica servi formam illam nominasset, nec idcirco uniendam esse Verbo; quique etiam apertissima fronte dixerat : « Quomodo conce- » dendum est, illam carnem, quæ de terra sumpta est et ni- » hil prodest, unitam Verbo persistere in futuro sæculo ? » illam tamen carnem imaginem esse Dei invisibilis constanter affirmat : constantissime negans eamdem ipsam, ante corporis nostri assumptionem, imaginem Dei invisibilis extitisse ; sed tantum Verbum ejus. His ita positis, subinfert inquiens : « Quocirca, omni modo patet, imaginem Dei in- » visibilis a sancto Apostolo dici carnem illam, quæ dein- » ceps accessit Verbo : ut per visibile videri posset quod est » invisibile. Imago est, inquit Apostolus, Dei invisibilis. » Nunc patet quod tum primum cum carnem assumpsit, » factum in imaginem Dei, vere imago fiebat invisibilis Dei. » Nam si nos per imaginem istam eo sumus evecti dignita- » tis ut Verbum Dei cognoscere possimus, Verbo certe ipsi » credere debemus per imaginem affirmanti, Ego et Pater » unum sumus. Impossibile est enim ut absque hac ima- » gine quisquam vel Verbum vel Verbi Patrem cognoscat. » Et rursus annectit : « Sic itaque pronuntiat Apostolus, ut » paulo superius est a nobis positum, Exinanivit semetip- » sum, servi formam assumens. « Per servi formam huma- » nam nobis carnem significat, quam Dominus noster Deus,

» sua efformans sapientia, dixit : Faciamus hominem ad » imaginem nostram et ad similitudinem. Recte carnem hu» manam, imaginem nominavit; bene enim novit imaginem » esse illam Verbi sui, paulo post substituri. » Deinceps conatur probare quod illud, « De utero ante Luciferum genui » te, » de carne item usurpatum sit. Loquitur autem ad hunc modum : « Quocirca cum a Davide nominetur Lucifer stella » illa quæ diem designat appropinquare, non est ulterius » disquirendum quis ille sit Lucifer qui intelligitur. Erat » etenim stella illa tunc apparens, cum diem et afferret et » indicaret Magis. Ut sit manifestum illud, Ante Luciferum » genui te, usurpatum ab omnipotenti Deo, de Verbo illo » quod nascebatur cum carne humana per virginem : id ip» sum attestante Evangelista, primum de virgine Dominum » nostrum generatum, et deinceps ortum fuisse Luciferum, » qui diem indicaret. » Progressus adhuc ulterius, ista loquitur : « Suscepit enim homo non solum potestatem re» rum earum quæ in terra fuerant, sed etiam quæ in cœlis. » Nec injuria. Nam si tum cum homo fieret, et Dei media» tor atque hominum, per eum et in eo omnia creata erant, » ut asserit Apostolus, quæque in cœlis erant et quæ in » terra, consequens est exacte sciendum esse, potestatem » ei concessam non tantum eorum quæ in terris, sed etiam » et quæ in cœlis erant. Si loquitur sacrosanctum Evange» lium de aliqua illi a Patre concessa gloria, hanc certe per » Deum homo convincitur accepisse. Factus siquidem, ut » sanctus vult Apostolus, Dei mediator atque hominum, vi» ros pios ea gloria glorificavit quam ipsi donaverat Pater. » Et addit rursus : « Et dignitatem illam homini per peccatum » lapso concessit, ut suo ipsius Verbo per virginem unire» tur. Ecqua enim alia hacce major gloria inter homines » prædicatur? Cum dixisset, Glorificavi te, infert, Et iterum » glorificabo : ut ex immensa sua misericordia, in secunda,

» post carnis resurrectionem gloria, hominem prius mortalem redderet immortalem, et tanta illum gloria glorificaret, ut non modo servitute priori liberatus, sed majori gloria vestiatur quam capiat homo; et iterum, ut hominem illum prius a diabolo superatum, victorem diaboli constitueret. Hominem idcirco in se assumpsit, ut quod consequens fuit, huic primitias potestatis suæ impertiret. » Et annectit : « Hic est ille dilectus homo, nempe Verbo adunitus, de quo loquitur Evangelista : Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui. » Adjungit : « Quod Verbum invisibilis Dei qui fuit, per virgininem erat nasciturus, et sumpturus humanam carnem, et in illa diabolum debellaturus, qui olim prævaluerat : non in eo tantum quod illum redditurus fuit incorruptibilem et immortalem, sed eodem solio in cœlis cum Deo consessurum. » Sunt ista omnino memoria retinenda, propter illa quæ producet statim ipsemet Marcellus, contra carnem illam quàm assumpsit Dei Verbum. Veluti enim oblitus istorum omnium quæ adduxit, finem minime consentaneum pietati et infaustum satis corpori superinducit Servatoris. Ultra ista quidem omnia, tanquam recte successissent, et ex animo superiora conatur ostendere, et illum etiam textum, « Regnavit Dominus, exultet terra, » de carne intelligendum. Ait autem : « Qui descendit ideo, et carnem assumpsit de virgine, rex est constitutus super Ecclesiam, nempe in eum finem ut sic per Verbum homo, qui prius cœlorum regno exciderat, regnum illud denuo consequeretur. Hominem ergo istum, qui regno prius exciderat per inobedientiam suam, Dominum et Deum fieri volens Deus, hanc œconomiam ita dispensavit. Quocirca sanctissimus vates David prophetico more fatur, Regnavit Dominus, exultet terra. » Et post alia quædam subinfert : « Ob quam causam quasi » Dominus noster Jesus Christus regni initium auspicatus

» fuerat a quodam tempore, vaticinium canit, Ego autem » rex ab illo constitutus sum. » Et rursus addit : « Ob eam » causam rex, ut cum humana carne constitutus et decla- » ratus rex, exinanitus prius homo, omne diaboli imperium, » vim et potestatem per Verbum evacuaret. » Tot ille, et quidem longe plura de carne commentus Servatoris, postquam illam nominarat Dei imaginem invisibilis, et omnis creaturæ primogenitum, et regem, et Jesum, et Christum, et dilectum, et quæ alia commemoravi ; insuper addiderat, propter illam ipsam carnem tot nominibus Verbum insignitum fuisse, finem tamen illi eum affingit, quem nunc tempus est ut consideremus.

CAPUT IV.

Qualemnam finem subinfert Marcellus Christi regno, et carni quam assumpsit.

Hanc etenim ob causam regnaturus est, humana carne præditus per Verbum constitutus rex, homo ille olim deceptus : et omnem ita diaboli potestatem, vim et imperium evacuabit. Oportet enim illum, inquit, regnare, usquedum inimicos suos statuat sub pedibus suis[1]. Ait igitur divinus Apostolus, regni Christi finem tum futurum, cum sub pedibus ejus omnia collocabuntur. Post pauca quædam addit : « Maximum hic mysterium revelat nobis Apostolus, dum » pronuntiat affuturum finem regno Christi ; finem porro » tum, cum ponentur omnia sub pedibus ejus. » Et explanans adhuc idem dilucidius scribit : « Dictum est a nobis in su- » perioribus, Dominum nostrum Christum regni sui princi- » pium accepisse ; idque ipsum docuimus e sacra Scriptura

[1] 1 Cor. xv, 28.

» demonstratum. Testimonium primum est : Ego constitutus » sum ab illo rex super Sion montem ejus sanctum[1]. Aliud » ibi : Dominus regnavit, indignentur populi. Aliud : Do- » minus regnavit, exultet terra. Omnino sexcentis licet ex » abundanti testimoniis hoc idem comprobare, vix regni sui » initium hominem per Verbum accepisse. Quod si regni » initium accepit homo, ante annos nondum cccc com- » pletos, nihil est absurdi si Apostolus affirmet illum qui » accepit regnum, annis abhinc tam paucissimis elapsis, » sursum redditurum esse regnum Deo, qui illum, ut Scri- » ptura ait, constituit regem. » Post pauca ita scribit : « Igitur sola operatione, et quidem sub prætextu carnis, » hujusque separatus a Patre videtur, usquedum advenerit » judicii tempus, ut qui eum transfixerant in eum intuean- » tur quem transfixerant, et ita demum id quod sequitur » complementum suum sortiatur. Omnia enim cum post » judicium subjicienda Christo sint, quemadmodum asse- » ritur abs Apostolo, tum et ipse subjicietur illi qui ipsi » omnia supposuit. Quocirca cum didicerimus humanam » carnem, quam pro nobis assumpsit Verbum, ante annos » cccc totos non assumptam, eamdem ipsum retenturum » cognoscimus non ultra judicii tempus in futuro sæculo. » Necesse est enim consummari opere quod verbo prædic- » tum fuit a Propheta : Videbunt enim, inquit, in illum quem » transfoderunt. Carnem vero, quod liquet, transfixerunt. » Et iterum : « Non ideo ut suam utilitatem procuraret, car- » nem assumpsit nostram; sed ut per Verbi communionem » carni largiretur immortalitatem. Hoc vel ab ipso Serva- » tore patet. De carne enim in qua cum suis discipulis ver- » sabatur, ait : Hoccine vos scandalizat? Quid si videatis » Filium hominis eo abeuntem ubi prius fuerat? Spiritus » vivificat, caro autem nihil prodest. Quod si fateatur ni-

[1] Psal. II.

» hil ipsis carnem prodesse, quomodo concesserit, illam, » quæ de terra oriebatur, quæ nihil profuerat, quæ nihil » proderit, in futuris sæculis cum Verbo copulari? Ob hanc » certe causam omnipotens Dominus videtur mihi sic affa- » tus illum : Sede a dextris meis, quousque posuero inimi- » cos tuos scabellum pedum tuorum. Propter carnem hu- » manam videtur mihi sola operatione illum separare, et » terminum illi figere constitutum sessionis a dextris Dei; » atque illum ita affatus, Usquedum posuero inimicos tuos » scabellum pedibus tuis. Propheticum hoc Davidis effatum » explicatius elucidat sanctus Apostolus ad hunc modum : » Oportet illum regnare quousque posuerit inimicos ipsius » suppedaneum pedibus ejus. Dispensatio ergo ejus, quæ » secundum hominem est, atque regnum, terminum quem- » dam fixum habere videtur. Non enim vult aliud quod » dicitur ab Apostolo, Quousque posuerit inimicos ejus sca- » bellum pedibus ejus. Cum habuerit inimicos ita constitu- » tos, non est illi opus ulterius partiali regno isto, cum om- » nium universim inaugurandus sit rex. Regnat enim nunc » cum David et cum Patre suo, cujus fuit et est Verbum. » Non enim ipsum per seipsum Verbum regni alicujus ini- » tium est sortitus, sed homo in fraudem a diabolo induc- » tus, per virtutem Verbi rex fiebat, ut factus rex decepto- » rem illum suum vincere posset diabolum. Quocirca et » Actus Apostolici, de homine isto quem suscepit Verbum, » et quo suscepto a dextris Patris Dei consedit, ad hunc mo- » dum docent : Quem oportet cœlos continere usquedum » omnia restaurentur; hominem nempe. Ita illæ Scripturæ » velut terminum præfiniunt destinatum, in quo oportet ho- » minis illam œconomiam Verbo aduniri. Quid enim aliud » sibi vult illud, Usque ad tempus restaurationis, nisi ut » significaret, futurum ut omnia perfectam consummatio- » nem consequantur? In tempore igitur illo restaurationis,

» creaturam liberabit e servitute : quod et ipsum docet Paulus, inquiens : Hæc ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, asserta in libertatem gloriæ Dei. Qui fit ut servi forma, quam assumpsit sibi Verbum, cum sit forma servi, perpetuo cum Verbo copuletur? Perspicue idcirco et exertim, per tempus admodum coarctatum, respectu præteritorum et futurorum sæculorum, Verbi propter nos suscepta œconomia durabit. Quam, quemadmodum initium habuit, ita finem habituram divinus Paulus pronuntiavit. Deinceps finis, cum tradiderit regnum suum Deo et Patri. Ideo non sua, sed nostra causa, humanam assumpsit carnem. Quod si nostra tantum causa assumpsit illam, certe omnia quæ nostra causa providentia et effectu procurat, judicio consummato consequentur finem : ut nec opus sit hoc regno particulari. » Hæc ubi posuerat Marcellus, sibi demum conscius quasi in absurdas opiniones incidisset, ad superius dicta annectit ista : « Quod si quis velit pronuntiare, ob hæc ipsa mereri humanam carnem ut Verbo conjungatur, ob ipsum illud quod per resurrectionem illam reddiderit immortalem, cognoscat is oportet, non si quid immortale existat, illud statim dignum Deo fieri. Major est enim ipsa immortalitate Deus, qui sua simplici voluntate potest ea facere immortalia quæ non sunt talia. Manifestum vero est, non idem esse dignum Deo copulari quod est immortale, propterea quod Principatus, Potestates, Angeli, cum sint et ipsi immortales, nihil tamen habent cum Dei unitate commune. » Hæc ubi dixerat, intellecto in quam profundam absurditatis abyssum inciderat, revocare conatur modo quodam confessione facta, se nihil eorum quæ dixit intellexisse. « Quocirca, ait, si quis nos interroget de carne ista quæ in Verbo est, an sit immortalis; respondemus nos non posse dogmatice determinare illa quæ non

» exacte didicerimus e Scripturis sacris, quod omnino intu-
» tum judicamus. Nam quo pacto id illi præstare poterint
» qui scita subvertunt aliorum? Dicemus igitur ad illum
» qui scientiam harum rerum exactam a nobis requirit,
» nos ita intelligere uti par est illos qui abscondita mys-
» teria perscrutantur. Videmus enim, ait sanctus Aposto-
» lus, quasi per speculum in ænigmate; tunc autem a facie
» ad faciem. In præsenti ex parte cognoscimus, tunc autem
» cognoscemus quomodo cognoscimur. Noli igitur me in-
» terrogare de rebus quæ certo cognoscere non possum e
» Scriptura sacra. Ob hanc causam exactissime respon-
» dere non possum de carne illa divina quæ communio-
» nem habuit cum divino Verbo. Fidem vero sacris Litte-
» ris adhibeo, quæ affirmant unum esse Deum, et ipsius
» Verbum esse quod de Patre processit ut omnia per illud
» conderentur : post judicii vero tempus et rerum omnium
» restaurationem, et amolitionem adversæ cujuscumque
» operationis, tunc et ipse subjicietur ei qui omnia subjecta
» illi fecit, Deo scilicet atque Patri, ut ad eumdem modum
» sit iterum in Deo Verbum, ad quem erat olim. » Hunc qui-
dem finem vir hic admirabilis scriptor Christi carni con-
stituit, oblitus eorum quæ in præcedentibus de eadem illa
carne ipse scripserat. In sequentibus etiam ille ipse qui
determinaverat sine scrupulo, corpus Servatoris futurum
post judicii tempus Verbo suo destituendum, metum quem-
dam et reverentiam præ se fert, et non posse ait respon-
dere, si quis illum de illa carne interrogaverit; dicturum
vero se ad interrogantem quemlibet : « Noli sciscitari de
» rebus quas non didicimus. » Hic jam quivis ei oggerat :
Quid temetipsum deridiculo habes, homo? quorsum in re-
bus quæ non didicisti te per præcipitia agis, dum in scrip-
tis illas dedicis? Quorsum non custodis ea quæ suscepisti
ab Ecclesiasticis patribus et doctoribus? Novitates sequeris,

qui nuper natam et a fide alienam distortionem in vitam subintroducis, dum regnum Christi circumscribis novitio quodam principio et temporali, quod fine quoque terminandum esse doces. Abnegas vere Unigenitum Dei; substituis Verbum insubstantiale et insubsistens, quod ipsum nihil aliud pronuntias esse, quam unum atque idemmet cum Deo : Quæ quisquis dixerit, non injuria dicetur Filium Dei abnegare. Non est enim Filius Verbum, quod non subsistit; cum nec verbum hominis dicatur filius hominis, utpote quod sola operatione subsistit in loquente. Hoc ipsum de Patre suo egressum ante annos nondum cccc completos, Filium Dei factum inferius narras, per carnis assumptionem, et superius Jesum Christum nominatum, imaginem dictum Dei invisibilis, et primogenitum omnis creaturæ, regem quoque constitutum. Quæ omnia a tempore illo designato incœpit ille esse; quæ omnia simul depositurus est post judicii consummationem. Hæc autem ubinam didicisti? Quis horum tibi informator extitit? episcopus quis? synodi quæ? quod scriptum abs homine Ecclesiastico? Corpus illud Servatoris immortale quo secedet? Nam cum concesseris illud esse immortale, et divinum appellaris, necesse est supponas incorruptibile et indissolvendum. Quod vero natura sua tale est, manet utique subsistens et indissolutum. Sed tu Verbum ad illo tollis, et cum Deo conjungis. Numnam igitur sine Verbo solum subsistet corpus istud immortali et incorrupta irrationabilitate et immobilitate? At Verbum ipsum concedet in Deum, et rursus illi conjungetur post carnis separationem. Eratne ergo extra Deo tum cum carne conversaretur; an in Deo subsistens sempiterno, coæternum existens, unum atque idem prorsus cum Deo? Quomodo igitur cum corpore fuit, si anima expers inhabitavit illud? erit ita in substantia Patris separatum, vivens utique et subsistens, in carne illa quam

assumpsit. Quid ergo prohibet etiam ante mundi hujus constitutionem Filium Dei vivum ipsum confiteri? Sed fortasse dixerit, sola operatione, non substantiæ hypostasi, in corpore extitisse. « Operativa enim, *ait,* virtute sola, cor» pori præsens erat, ad ipsum movendum et operandum » omnia quæ narrantur in Evangeliis; substantia vero Deo » conjungebatur, utpote Verbum ipsius cum esset, ab ipso » inseparabile et indistinctum. » Hæc si dixerit, sciscitantibus nobis tum respondeat : Num pertingebat ad solam illam carnem Verbi illius operatio? nonne etiam et ad cæteros homines Dei sanctos, et ad cæteras omnes a Verbo productas creaturas? Certe quidem edocti sumus, Verbo Domini cœlos constabilitos ; et omnia per illum facta fuisse; et sine illo factum fuisse nihil : scimus e divinis Scripturis, quomodo hic in omnibus operetur. Scriptum est : « Ver» bum Domini ad Osee, filium Beeri; *et :* Verbum Domini » factum est ad Esaïam filium Amos; *et :* Verbum Domini, » ad Jeremiam. » In unoquoque denique Propheta operatur illud idem Verbum Dei : æqualem igitur illi omnes cum Filio Dei dignitatem participabant, nec erat aliqua Servatoris prærogativa ; si sola ille operatione Verbi, quod cum Deo unitum manebat, movebatur. Imo vero Marcellus non admittit Dei Filium ad æquales portiones cum propheta quovis. Consequentur enim illi vitam æternam, immortalem, et indeterminabilem, per sæcula nempe omnia in promisso illo regno cœlorum victuri, fruitione gaudentes bonorum quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec ascendit in cor hominis. Christus autem Dei, communis omnium Servator, mortuorum primogenitus, spes resurrectionis sanctorum, solus tunc derelinquetur, ablato sibi regno, carne vivifica nuda et irrationali derelicta : ut qui « non erat, priusquam » extaret homo, Filius Dei, » neque per æternitatem perseverabit esse, juxta Marcelli doctrinam. Quocirca non im-

merito hæc tam horrenda, Regem illum vere religiosum et ter beatum (5), adversus scriptorem concitarunt, licet illi in scripto suo infinitis modis abblandiretur, et multis eum encomiis honestaret. Hæc in illum commoverunt sacrosanctam illam Synodum (6) quæ de diversis adeo provinciis, Ponto, Cappadocia, Asia, Phrygia, Bithynia, Thracia et ulterioribus regionibus in regiam urbem convenerat; et ut scripto in illum inveherentur patres vel invitos coëgerunt. Hæc et nos ipsos protraxerunt ad hanc quæ præ manibus est disquisitionem, ut vestigiis illius Synodi insistentes sanctiones tueremur, et comministris nostris satisfaceremus, qui hæc ut aggrederemur nobis dederunt in mandatis. Imprimis autem, arbitror, necessario mihi hoc faciendum fuerat, propter eos qui existimant hunc injuria affici. Decet enim hanc fratrum nostrorum suspicionem eximere ex animis, et aliquandiu latentem et per latibula occultatam ipsius in Filium Dei impietatem, in apertam lucem protrahere, quam scriptis in præsenti convictam tenemus ipsius, quæ sua sponte, nullo incitante, Regem adiens in manus præsentabat, obtestatus ut perlegeret. Sperabat enim forsan propter Imperatoris insertas laudes, fore ut tutelam et protectionem ipsius consequeretur, episcopi vero quos conviciis proscidit, suppliciis traderentur. Sed nequaquam res successit ex animi sententia. Deus erat enim istorum judex, et ipse Jesus Christus a scriptore despicatui habitus. Qui cum cordis abscondita rimetur, ipsum sui accusatorem fieri, nullo impellente, disposuit. Unde cum adiret Imperatorem scripto suo gloriabundus, ille Synodo transmisit cognitionem scriptis contentorum. Scriptum porro Synodus condemnavit. Nec injuria : cum de principio et fine Filii Dei, contra omnem determinet pietatem.



EUSEBII PAMPHILI
DE ECCLESIASTICA THEOLOGIA
CONTRA MARCELLUM
LIBRI TRES.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Reverendo admodum et dilecto comministro Flacillo, Eusebius in Christo salutem dat.

Minime profecto mirandum est, si paucis et breviter ea refutasse contentus fuerim, quæ verbosissima Marcello sunt et garrulitate summa scriptis comprehensa. Neque enim multis necessario refellenda fuerant, quæ a seipsis rejectitia unicuique vel obvio viderentur. Quamobrem suffectura omnino ratus quæ sunt ab homine profecta, in prioribus duobus libris, retulisse tantummodo contradisputandi labore omni supersedebam, et ipsius solummodo verba ad ipsum refellendum producebam. In tribus autem istis præ manibus libellis, ultra illam superius institutam rationem, refutationem ex adverso adornavi. Ille unicum ubi enixus erat fœtum, immensum illud opus, et variis ex erroribus contextum, hoc ob eam causam instituisse se narrat, propterea quod unum solum Deum agnoscebat: veritus nimirum ne si in plures libros illud scriptum propagasset, subsistentiam exinde Filio Dei alicubi indulsisse videretur. At nos qui sanctissimam Trinitatem et numeris omnibus beatissi-

20.

mam veneramur, tot libris, hoc est tribus, dispertitum universum styli argumentum exolvemus. Eam porro scribendi inivimus rationem, ut multiloquium declinantes, theologiam conjunctam cum veritate, breviter et tanquam per compendium, repræsentemus. Si satis hoc pro dignitate fuerimus executi, tuum erit, cum perlegeris, judicare. Si quid defuerit, tuum erit adimplere, tanquam frater fraternos defectus. Si et opus alicubi correctione atque medicina fuerit, in hac quoque parte reformationem adhibebis. Bene te semper valere jubeo, meique jugiter in tuis ad Deum orationibus et sacrificiis memor esse velis.

LIBER PRIMUS.

PROOEMIUM.

Suffecisse quidem videbatur mihi, vel nudam Marcelli sententiam proposuisse, nec aliam instituendam refutationem ejusdem, cum præ se ferant verba manifestam adeo neque ullo pacto inficiendam Filii Dei abnegationem : ut nos omnes, qui sumus Ecclesiæ Dei alumni, abhorrere debeamus ab illius sententia illa, neque opus sit ulla alterius redargutione : atque hanc jam partem libris superioribus expeditam dedi. At enimvero ubi animum cogitatio subierat, posse contingere ut ab Ecclesiæ theologia nonnulli excidant, abrepti per variam et multiplicem quam adhibuit testimoniorum appositionem ad dogmatis suis confirmationes undequaque accersitam, eorum scilicet quæ in rem suam

conducere arbitrabatur: quorum in præsenti visum est mihi necessario adornandam esse refutationem; ut ita singulis constare queat, illum in eo quod Filium Dei abnegaverit, ne unicum de sacris Litteris testimonium ad rem appositum, in longissimo illo opere suo protulisse; imo vero, quidquid de Scripturis attulit, contrariam plane vocem emisisse sciant, et ea quæ ab illo dicebantur impie, in rectum retorquendo sensum et sententiam, direxisse. Istis porro conjunctas copulaturus sum de Servatoris nostri divinitate rationes: nihil a me ipso noviter adinventum, aut domi meæ natum, ex opinione profectum sapientiæ alicujus meæ edicturus; sed Ecclesiæ Dei doctrinam præ me laturus incorruptam, quam a testibus auritis olim atque oculatis Verbi acceptam ab initio, illa custodit adhuc inviolatam.

CAPUT I.

Sabellium a Marcello inepte reprehensum, cum eodem in errore cum Sabellio ipse per omnia versetur.

At priusquam his accingar examinandis, cum in operis contextu animadverterem Sabellium ab eo male multatum, hominis fatuitatem admiratus sum, quod illi neutiquam pepercerit, sed impetiverit maledictis quem laudibus ante alios prosequi debebat, utpote sui dogmatis assectatorem, et ejusdem cum seipso opinionis. Decrevi ideo verba ejus neutiquam silentio præterire, sed veluti quamdam accessionem, illius refutationem huic operi adjiciendam. Siquidem quod Dei ministros accuset, licet illud in ipsius contumeliam potius cedat, laudem vero atque existimationem majorem illorum qui ab ipsius communione sunt alieni, non tamen venia caret et excusatione: non absurda, cum quæ minime probet, ea vituperanda sibi censeat. At

illum velle multare male, sic ut speret se laliturum, qui eamdem impiam secum foveat opinionem, impudentiæ cujusdam intolerandæ, et frontis perfrictissimæ videtur esse; nec injuria. Hæc autem se habere ad hunc modum patet, neque falso a me calumniis eum proscissum, eo quod de sententia Sabelliana Deum compellet Filio-Patrem. Non certis disertim, et totidem, hoc fateor verbis; talibus autem utitur quæ hypostasim Filii directe tollant, unum solummodo Deum statuant, atque illum ipsum sui ipsius genitorem, et filium denique sui etiam ipsius. Dato enim et concesso Verbum in Deo esse, quod et unum atque idem cum ipso existat, eum hujusce patrem dicendum docet; et Verbum etiam ejus esse filium, nequaquam filium existentem in substantiæ subsistentia, proprie vero et secundum veritatem, Verbum existentem tamen. Vult ergo intelligi, verbum illum esse, non catachrestice, sed verissime et propriissime verbum, atque præter verbum, aliud nihil: quod si aliud nihil, tum certe liquet quod non filium vere atque proprie dicat, sed verbo tantum tenus atque nomine catachrestice usurpandum. Cumque Verbum doceat unum esse atque idem prorsus cum Deo, illud nempe Verbum incarnatum, natum de Virgine : ipsum esse Deum asseverat. Quod olim aliquando a Sabellio prolatum, ab Ecclesia fuit rejectum, ipsiusque auctor cum hæreticis impiis annumeratus.

CAPUT II.

Quod per Christi gratiam collata est Ecclesiæ excellens quædam cognitio de Patre et Filio.

Omnium principes Judæorum natio, Dei unius cognitio-

nem et confessionem susceperunt, contra errores Gentilitios de deorum multitudine. At gratia illa salutaris Ecclesiæ communicavit, veluti quamdam excellentem prærogativam, eumdem Deum, Patrem Filii unigeniti, profiteri. Filium autem illum solum agnoscit Jesum Chistum, præterea nullum : nec illum secundum carnis quam suscepit generationem (hanc etenim et « servi formam *et* filium hominis » vocare edocta fuit) ; sed secundum illam divinitatem, quam a Patre ; et Deo eodem, habuit ante omnia sæcula, universis incognitam. Secundum quam generationem, paternæ divinitatis plenitudinem, et ipsum Filium Deum constituit, non a seipso possessam vel a Patre separatam, sed nec sine principio illam et ingeneratam deitatem, nedum aliunde derivatam peregrinam, hospitam, et a Patre alienam, sed de paterna participatione, veluti de jugi puteo in ipsum effuso, propagatam cum plenitudine. Siquidem in illo solo habitare « plenitudinem Paternæ deitatis » magnus edocuit Apostolus. Hanc ob causam, in Ecclesia unus solus Deus annuntiatur, neque alius quispiam præter eum : unus itidem Dei Filius unigenitus, imago paternæ deitatis, atque ita Deus ob hoc ipsum.

CAPUT III.

Quod variis erroribus impliciti erraverint, de Filio diversa sentientes ab Ecclesia.

Quam quidem theologiæ rationem plerique intelligere non valentes, varios sibi errorum tramites adinvenerunt. Sunt qui Filium Deum esse concedentes, hominem ejerant quem assumpsit. Alii professi eum hominem nudum, Deum in ipso ignorarunt. Tertii, metu Dei alterius introducendi,

Patrem atque Filium unum esse eumdemque opinantur. Quas vias dum declinat Ecclesia Dei, Evangelicæ præconio veritatis gloriatur : unum quidem Deum profiteri se, supra omnes venditans : unum quoque Filium unigenitum ejus, Deum de Deo Jesum Christum agnoscens ; eumdem ipsum professa Servatorem et Filium hominis : qui cum nondum homo factus fuerat, Filius Dei tamen existebat ; factus quod non prius fuerat, ob inexplicabilem misericordiæ paternæ transcendentiam.

CAPUT IV.

Quod frustra se denominent Christianos, qui Filium Dei non fatentur substitisse.

Atque ista quidem veritatis oratio est per Ecclesiæ præconium proclamata. Illi porro qui Filium Dei inficiantur, unum vero solum Deum esse dictitant, nec præter illum aliud ; quorsum se molestos Ecclesiæ Dei exhibent ulterius, qui potius debuerant aggregari ad synagogas Judæorum ? Quorsum semet quoque ipsos verbis transadigunt blasphemantibus, unum Deum, sycophantæ velut solent, conviciantes per duo cognomina, si eumdem ipsum Filium quem et Patrem per omnia esse contendunt ? Cujus etenim pater esset ille, qui filium non habeat qui subsistat ? cujus porro et ille filius, cujus nullus præextiterit qui genuit eum pater ? Unus siquidem cum existat, nec aliud, omnino fieri non potest aliter quin unus idemque sit incarnatus, passus, et in homine suo vitam transigens mortalem.

CAPUT V.

Quomodo Marcellus Filium Dei abnegavit, Sabellii sectam secutus et propositum.

Enimvero Sabellium, cum hæc tueretur, tanquam atheum hominem et impie audacem, Ecclesia Dei procul amandavit. Hæc eadem Marcellus instaurare demum satagit, prætextu quodam usus, sermone non admodum probabili. Unum enim Deum recte professus, hunc ipsum Deum continuisse in se affirmat Verbum suum sibi adunitum sibique concretum. Atque hinc progressus, illius unius quem tenuit Dei, aliud Patrem vocat, aliud Filium; ac si in uno et eodem foret duplex quædam essentia, eadem et composita. Et quanto quidem rectius, e duobus malis, is qui divinam, ingenitam et inprincipiatam virtutem nequaquam dividens, unum esse atque unicum exertim affirmavit? Et quanto quidem utroque melius Judæus, unum Deum non dividens in Patrem et in Filium? quod Marcellus facit. Nec eumdem, quod Sabellius facit, Filio-Patrem introducit: sed cum Deum veneretur, agnoscit et expectat Christum ejus per Prophetas annuntiatum : quem, cum advenisset, quia non susceperant, infidelitatis illius pœnam sufferunt adhuc et sustinebunt.

CAPUT VI.

Quomodo credat Ecclesia Dei.

At qui in illum qui advenit credere desiderant, hæc tria manifeste confitebuntur : natum de semine Davidis, ipsaque adeo sanctissima Virgine : Filium quoque Dei eum inhabitantem, qui prius extabat et substantialiter consistebat : necnon istius Patrem Deum, a quo missus advenit ille, quemadmodum ab ipso sæpe ponitur in confesso. Nobis igitur unus Deus est, « a quo sunt omnia, » secundum Apostoli dictum; et unus Dominus Jesus Christus, « per quem sunt » omnia, » qui Dei Filius unigenitus præexistebat : et tertius, secundum carnem filius hominis; quem hominem nostra causa suscepit Filius Dei. Sed nec corpus quod assumpsit erat idem cum filio Dei, qui assumpsit : neque ipse Dei Filius unus idemque debet existimari cum Genitore suo. E tribus autem subjectis hisce, illi qui duobus concessis tertium rejiciunt, ab Ecclesia Dei sunt rejiciendi.

CAPUT VII.

Quod diversum ab Ecclesia dogma tuentes, a theologica de Dei Filio ratione, non uno modo solo exciderunt.

Carnem certe Servatoris athei quidam hæretici abnegando, et opinione tantum nuda atque per phantasiam in terris apparuisse solam dicendo, primi erant qui in hoc genere a scopo veritatis exciderunt. At qui dispensationem

illam in carne admiserunt, abnegantes præexistentiam Filii Dei, varias, quod jam dixi, errorum semitas adinvenerunt. Sunt qui merum illum hominem arbitrantur, nihilo meliorem hominum natura communi, nisi quantum ad virtutis prærogativas. At qui ipsum super omnia Deum corpus inhabitasse affirmant, et ipsum sui ipsius Filium extitisse asserunt, propter illam secundum hominem dispensationem, cum duo concederent, Deum atque hominem, a tertio semetipsos excluserunt, Servatorem ipsum Dei Filium unigenitum abnegando. Hanc olim Sabellius tuebatur sententiam; et ad illam nunc delatus Marcellus abiit. Qui, non aliter quam Judæi infideles, se Deum agnoscere profitentur qui est super omnes, et hoc vehementer urgent : secundo quoque loco carnem agnoscunt de Virgine sumptam sanctissima : tertium vero illud, quod est primum salutis nostræ caput, Filium, quem velut obviis ulnis amplectuntur, lucem atque veritatem, per abnegationem Filii, a veritatis luce exciderunt. Hinc est ut illos audiamus unum quidem Deum confitentes, et carnem venerantes a Servatore susceptam : at Filium nihilominus Dei inhabitantem hanc carnem, voce tenus atque labiis cum agnoscant, reipsa penitus abnegantes. Nam Filium Dei anquirere debemus illum, qui vivat et subsistat vere non idem qui censeatur; cum illo quod assumpsit corpore, nec idem cum Deo atque Patre. Neque enim secundum pietatem vere senserit is qui Filium profitetur esse illum Deum qui est super omnia. Eccujus matris esse potest ille filius qui divinitate ingenita et absque ullo principio amicitur? Nec si quis unigenitum Dei Filium eumdemmet et Patrem esse doceat, judicium poterit declinare quod est contra impios constitutum.

CAPUT VIII.

Proponitur orthodoxa et salutaris Ecclesiæ fides.

Quapropter via regia atque recta incedens Ecclesia Dei, diverticula a se ablegat cujusquemodi; suis qui sunt alumnis gratiæ divinæ cognitionem commendat, dum in ipso regenerationis sacramento docet confiteri et credere in unum Deum Patrem omnipotentem : perfectam, suis numeris exactam, et consummatam undique hanc præ se ferens credendam theologiæ rationem, qua Deus esse unus traditur, Paganorum de diis multis errores refelluntur; qua agnoscitur idem Deus Pater. Per quam confessionem suam discernitur Ecclesia a Judæis : qua agnoscitur idem Omnipotens esse, atheorum et hæreticorum impietatem detestando. Nullus autem plane, inter aliter profitentes quam Ecclesia docet, confitebitur Deum Patrem Christi esse illum qui Deus est omnipotens : ut nec e Judæorum secta quispiam est professurus Deum Patrem, cum ejus Filium unigenitum non admittat : sed nec Paganorum ullus concesserit unum solum esse Deum. Ab istorum omnium erroribus Ecclesia se mundans, unum Deum prædicat; et eumdem esse docet Patrem et Omnipotentem : Patrem quidem unius solius Christi; omnium autem dominum et conditorem et Deum. Ad eumdem quoque modum, Dei Filium unigenitum agnoscit eum qui ante omnia sæcula de Patre fuit genitus : non illum certe eumdem cum Patre existentem, at per se subsistentem, viventemque vere Filium, cum Patre coexistentem Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita; inenarrabilibus, ineffabilibus, omnimodo incognitis et imperscrutabilibus rationibus de Patre

genitum, ad salutem universis procurandam : non similiter aliis subsistentem, nec vitam viventem cum illis parem qui ab eo sunt creati : solum de solo Patre genitum : ipsammet vitam existentem. Erat enim Deo conveniens et congruum, qui super omnes est, qui ante omnia genita, ante sæcula omnia existebat, unigenitum hoc genimen producere, veluti quamdam basin futurum et fundamentum, et sustentaculum immobile eorum omnium quæ erant in secundis producenda. Hanc ob causam Filium progeneravit, ante ea omnia quæ producenda erant, tanquam lucis cujusdam radium, vitæ fontem, bonorum thesaurum, in quo sunt omnes sapientiæ thesauri absconditi et cognitionis, quemadmodum divinus docebat Apostolus. Tantorum taliumque bonorum, qui solus bonus Pater est, Filium progenuit suum, ipsammet vitam existentem, et omnium quæ sunt vivificatorem : ipsammet lucem veram, illuminantem omnes substantias ratione præditas et intellectu : ipsammet rationem et ipsammet sapientiam, sapienter et secundum rationem optimam omnia producentem et administrantem. Quocirca unigenitus Filius Dei solus ipse est, neque præter eum alius est aut esse dicitur.

CAPUT IX.

Quod non similiter atque cæteræ creaturæ subsistat Filius.

Atque ideo reprehendi, nec immerito, debent ii qui ausi sunt illum creaturam nominare, ipsumque dicere e non ente, quemadmodum et cæteræ producuntur creaturæ, progeneratum. Nam qui, quæso, ita esse potest Filius? Qui Dei unigenitus Filius, si eamdem cum reliquis creaturis na-

turam sortiatur? hoc enim pacto, ipsorum potius esset frater, quam Filius Dei : hoc pacto de multis productis ipse unus erit, veluti qui participaverit creationis illius, non de præexistente subjecto, et ejusdem sit cum creaturis communionis. Enimvero longe aliter de eo divina Oracula prædicarunt. Ubi enim de rerum productione sermo instituitur, ibi omnia per illum facta fuisse, non una vice testificantur. « Omnia enim, inquiunt, per illum facta sunt, et sine eo » nihil factum est. » Et alibi : « In illo condita sunt univer- » sa quæ sunt in cœlis, et quæ super terram; sive visibilia » fuerint, seu invisibilia. » Et iterum : « Omnia per ipsum et » in ipso condita sunt : et ipse est ante omnia : et in ipso » omnia substiterunt, » secundum doctrinam Apostolicam. Cum vero de ipsius divinitate tractationem instituit, a rerum omnium universitate eum separat : Dominum vero ipsum atque herum, conditorem atque Deum et Servatorem agnoscit universorum : illumque solum, nec ab illo alium, Dei agnoscit et fatetur Unigenitum : Sapientiam, Verbum, vitam, lucem ipsum appellat solum; imaginem Dei invisibilis; lucis sempiternæ relucentiam : et hisce congenita sexcenta similia nomina adhibet, quibus illum glorificat. Quibus omnibus id agit, ut Paternæ deitatis peculiarem et propriam relationem ostendat ad illum tantummodo spectare, veluti ad Filium unigenitum. Hinc factum ut magna voce Pater illi dederit, præconio suo cœlesti, ad Jordanis fluenta testimonium, quod solus ipsi esset dilectus, ubi effatur : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihimet com- » placui. » Quod ipsum testimonium secunda vice, cum in monte transformaretur, ingeminavit, rem eamdem veluti sigillo suo communiturus. Quocirca cum hujusmodi testimonium ipsi universorum Deus exhibuerit; cumque disertis verbis Evangelista pronuntiet eum esse Filium unigenitum, dum pronuntiat : « Deum nemo vidit unquam : unigenitus

» Filius (aut Deus unigenitus), qui erat in sinu Patris, ipse » enarravit. » Adhuc cum Servator insuper ipse, inter docendum, hoc assignet, ubi ita loquitur : « Ita Deus dilexit » mundum, ut Filium ipsius unigenitum dederit, ut omnis » qui in eum crediderit, vitam possideat æternam. » Quisquis igitur post hæc testimonia progenitum illum de non entibus, et ex non ente productam affirmaverit creaturam, istum Filium; nomen ei nudum tantummodo largiri deprehenditur, revera autem Filium esse pernegare. Nam qui de non existentibus generatus est, is certe Dei Filius esse revera nequit; non magis quam quidvis aliud creatum.

CAPUT X.

Quod cum solus sit de Patre progenitus, solus merito dicitur ipse et Deus, et Unigenitus, atque Filius.

Qui secundum veritatem Dei Filius est, de illo, hoc est de Patre genitus, quid mirum si et dilectus audiat et patris sui unigenitus, ob quam ipsam causam et Deus fuerit? De Deo siquidem quid aliud gigni possit, quam quod ipsi per omnia sit simillimum? Condit equidem civitatem rex, non autem gignit civitatem : gignere vero filium, non condere dicitur. Artifex etiam constructor, nequaquam vero pater ejus dici debet quod construxit : qui filii de se progenerati conditor non appellatur. Ad eumdem modum universorum Deus, Filii sui pater, mundi conditor, optimo jure et constructor appellatur. Quod si semel per Scripturas inveniatur dictum, « Dominus condidit me principium viarum » ejus, ad opera ejus, » penitius sententiam ejus dicti, quam paulo post expositurus sum, debemus introspicere; nec quod Marcello usurpatum fuit, propter hoc unicum testi-

monium, Ecclesiasticum præcipuum dogma labefactare. Ille enim cum audisset vel semel positum Filium Verbum nominari, ad humanas rationes delapsus, ipsius plane sustulit subsistentiam; cum qui per seipsum, et per Patris prolatum testimonium, Filius usurparetur, nisi summam per impietatem cum cæteris creaturis nec componi debeat neque comparari. Nam quo pacto Unigenitus appellari queat qui cum multitudine annumeratur creaturarum? cum vel de nominis solius usurpatione filius naturalem quamdam obtineat ad genitorem suum relationem; cumque nomen illud, Unigenitus, ad genus pertingat et generationem, solum eum indicet et solitarium, nec in filiatione sua quocumque cum alio participantem. At enim videntur iidem isti cum Marcello eodem plane modo affecti. Præ metu namque ille, ne duos videretur Deos profiteri, ad Filii processit abnegationem, hypostasin ipsius inficiando. Illi vero cum concedant hypostases duas, unam ingenitam, creatam alteram de non existentibus, unum quidem substituunt Deum. At nullus interea illis Filius habetur in numerato, non Unigenitus, non Dominus, non Deus : neque enim quidquam habet, secundum eos, cum Paterna divinitate commune; sed per omnia componitur cum creaturarum turba in hoc, quod de nihilo procreabatur. Sed non ad istum modum Ecclesia : nam Filium Dei prædicat Deum Dominumque; verissime Filium esse eum atque Deum docet, non communi quadam cum multis ratione, qui denominantur filii atque dei, utpote de quibus dicitur : « Ego dixi, » Dii estis et filii omnes Altissimi, » sed prout par erat illum solum dici qui de illo procreabatur Patre qui in forma Dei existebat, et imago fuerat invisibilis Dei, primogenitus universæ creaturæ. Quocirca ab Ecclesia edocti sumus illum solum colere, venerari, adorare, utpote qui Dominus, Servator et Deus illius existat.

CAPUT XI.

Quod Ecclesia unum agnsocat et notum faciat Deum, licet nuper admiserit illam formam, Deus de Deo.

Quod si autem vereantur ne duos Deos pronuntiasse videatur, sciant oportet quod utcumque licet Filium profiteamur Deum, unus tamen nostra sententia Deus sit : ille nimirum qui solus principio caret, qui ingenitus; qui propriam a se possidet divinitatem, qui ipsi insuper Filio existendi causam et taliter existendi dedit; per quem et ipsum se Filius confitetur vivere, ubi ait: « Quemadmodum me mi- » sit vivens Pater : et ego vivo per Patrem[1]. *et :* Quemadmo- » dum Pater habet vitam in seipso, ita quoque et Filio dedit » habere vitam in seipso[2]. » Quam ob causam nostrum ille Deum esse docet Patrem, atque suum Deum, ubi loquitur : « Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum » et Deum vestrum[3]. » Sed et caput quoque Filii esse Deum docet Ecclesiæ alumnum magnus Apostolus, ubi ait : « Ca- » put autem Christi, Deus est[4]. » Nunc iterum de Filio prolocutus. Atque ipsum dedit caput super omnia, Ecclesiæ suæ, quæ est corpus ipsius. Quocirca, princeps hic Ecclesiæ et dux dicatur : caput autem hujus erit Pater : ita unus iste Deus et unicus fuerit, qui est pater filii unigeniti; unicum etiam caput ipsius Christi. Cum vero unicum sit principium, caput etiam unicum sit, quomodo fiet ut sint duo Dii, et non unus, nempe ille solus qui nullum se superiorem habet, cui nullus alius causam subsistendi contulit? qui, ut suum peculium quoddam, deitatem inprincipiatam et ingeneratam cum monarchica potestate suprema possi-

[1] Joan. vi, 57. — [2] Idem, v, 26. — [3] Id. xx, 17. — [4] Ephes. i, 22.

dens, Filium participem fecit suæ vitæ et divinitatis; sua omnia subjecta ei tradidit; cum misit, mandavit illi, in præceptis dedit, docuit, omnia illi donavit, illum glorificavit, illum superexaltavit, regem universorum declaravit, judicium omne illi tradidit, nos voluit illi obtemperare; jussit eum sedem suam constituere a dextra magnificentiæ suæ, cum sic illum affatus proloqueretur « Sede a dextris mihi : » qui ob ista singula et universa, ipsius Filii existat Deus. Cui obtemperatus unigenitus Filius, semet exinanivit ipsum, sese humiliavit, formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem : quem precibus interpellat, cui obedit, cui gratias agit, quem solum unicum verum Deum credere nos docet : quem se majorem profitetur, quemque adhuc, super omnia, suum quoque Deum esse, nos omnes et singulos scire voluit. Quem ad istum modum Patrem suum glorificantem, Pater, vice versa glorificavit; eumque Dominum, Servatorem, Deum universorum, consortem sui quoque imperii palam declaravit. Hæc a Deo edocta Ecclesia illum Deum, Dominum, Servatorem, Filium Dei supremi unigenitum agnoscit; nec ab eo cum recesserit, inter creaturas, præterea quidquam profitetur Deum. Solum illum quippe Deum novit, quem solum de se genuit Pater; quemadmodum et ipse per Salomonem loquitur : « Priusquam montes » stabilirentur, ante omnes colles progenuit me : » per montes et colles ubi indicare voluit divinas et supermundanas potestates.

CAPUT XII.

Quod sit inenarrabilis illius de Patre generatio.

Quod si quis curiosius hic sategerit, et quomodo sit ille

Deus roget : quomodo erit Pater, qui super omnia est? Audacem hujus hominis interrogationem compescet is qui ait : « Profundiora te ne quæsiveris, et excelsiora te ne exquiras : illa cogita quæ tibi imperavit : neque enim tibi opus » est secretorum [1]. » Et Paulus ait etiam : « O altitudo divi» tiarum, sapientiæ et scientiæ Dei ! quam incomprehensi» bilia sunt judicia ejus, et impervestigabiles viæ ejus ! [2] » Hunc vero progressurum audaci facinore adhuc ulterius cohibere saltem debeat, ut inaccessa prorsus aggrediatur, ea quæ sunt ab ipso prius posita de progeneratione e non existentibus : quod quomodo fieri potuit velim explicet, cum neutiquam nullibi extarent illa. Non enim, ut artifices apud nos solent materiam præjacentem acceptam manibus, universum exinde conformavit : sed ut ipsum hoc naturæ quidem impossibile fuerat, quantum quidem ad humanum operandi modum spectat, nimirum, de nullibi existente materia essentiam rerum constructam dare; ipsi tamen universitatis Conditori possibile fuit plane, et factum est. Captum hoc humanum transcendit prorsus : neque hujus rei ratio comprehendi sermone aut enuntiari potest. Ad eumdem modum, et multo quidem magis, unigeniti ejus Filii generatio incomprehensibilis et investigabilis, non nobis solummodo, sed et virtutibus iis fuerit qui nos longo superant intervallo. Siquidem illa quæ per naturam suam inferius subsidunt et ab illa divina inenarrabili essentia sunt longissimo et inferiori tractu semota, quomodo poterint cognitione sua ad sublimia et in altissimo posita aspirare? Qui poterit fieri ut animo quis ea assequatur (quæ olim omnino non extabant, sed de non esse ad subsistere suum per Deum sunt producta originis auctorem, causamque ipsis existendi existentem) ante suam ipsorum primam productionem? Aut nos heri atque nudiustertius pellem induti

[1] Eccli. III, 2. — [2] Rom. XI, 33.

atque carnem, ossibus atque nervis compaginati, qui nec illa quidem novimus quæ juxta nos consistunt; quomodo sine periculo disquisitionem de ineffabilibus instituemus? qualiter Filium suum progenuit Pater satagentes; cum innumera sint illa quæ, cum ad pedes etiam nostros provolvantur, nobis tamen penitus sunt incognita. Exemplo rem istam illustrabo. Eccquis enim mihi expedire poterit, anima corpori quomodo concatenetur? qualiter inde exeat? qualiter ingressa fuit ab initio? quæ ipsius species? qualis figura, forma, habitus, essentia? Nondum per curiositatem meam ullam naturam ego dæmonum indagavi: non explicui substantias Angelorum; non qualiter se habeant Principatus, Troni, Dominationes: de potestatibus et mundi moderatoribus rescivi nihil. Et si sane ab istis me non expediam, quid mihi proderit investigare scientiam de deitate ingenerata et principio omni superiore? Quid de inaccessis quæstiones instituo, quomodo Deus prodierit pater Filii sui unigeniti? quasi non sufficeret in Dilecti sui testimonium paterna illa vox, quam de cœlo promulgavit dicens: « Hic » est Filius meus dilectus, in quo complacui; ipsum audite. » Quod si præcipiat hunc audire, mandato huic Regio obtemperantes, Filium dilectum audiamus. Quodnam vero illud sit quod nos de seipso intelligere volebat, ipse nos docebit ubi ait: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum » unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum [non per- » eat, sed] habeat vitam æternam [1]. » Illi igitur credendum est, ut vitam æternam consequamur. Nam qui in eum, inquit, credit, habet vitam æternam; non qui cognoscit quomodo natus est de Patre. Nemo enim tum vitam consequeretur æternam, si hæc conditio statuta fuisset: quia, « Nemo novit Patrem, nisi Filius; neque Filium quis novit, » nisi Pater, solus qui illum generavit [2]. » Sufficit ergo nobis

[1] Joan. III, 16. — [2] Matth. XI, 27.

ad salutem fides ea, quæ Deum nobis exhibet Patrem omnipotentem, et Filium ipsius subsignat Servatorem. Qui et ipse inter alia nobis ista commendavit, inquiens : « Quod na- » tum est ex carne, caro est ; et quod natum est ex spiritu, » spiritus est : Deus autem spiritus est[1]. » Consequens igitur est ut intelligamus, quod natum est de Deo Deum esse. Quantum vero Deus ille universorum super carnem hanc terrenam exaltatus, ab illius modo recessit et mensura : in tantum nobis animo concipiendum est, modum illum secundum quem Pater genuit Filium, multis quidem parasangis carnalem generandi modum exuperare. Neque enim aliquid emittendo, nedum ipse alteratus aut per passionem affectus aliqualiter, et, ut expediam verbo, nihil eorum subeundo quæ nostris animis sunt cognitione apprehensibilia, illum subsistere fecit : non enim corpus erat Patri, ut effluxum ipsi, diminutionem, extensionem, transmutationem, conversionem fluxum, partes, passionem attribuamus ullo pacto. Ab istis autem omnibus liber et semotus, generationis modum subivit ille nobis inexplicabilem, incomprehensibilem; imo et universæ creaturarum naturæ nullis vestigiis adorandam, nulla investigatione assequendam. Progignit quidem splendorem de se sol. Dicitur autem Filius, splendor lucis æternæ, et gloriæ splendor; sed non secundum lucis sensibilis imaginem. Nam supra omnis exempli similitudinem, inenarrabilibus eum modis et incomprehendendis produxit Pater : eumque unum et unigenitum. Impiis autem omnibus et a pietate remotis, qui morbo laborant de deorum multitudine, obturantur ora : qui singularem istam et æternam unigeniti Filii generationem in multitudinem deorsum conjiciunt, patrem hominum nominantes deorumque homines diis commiscentes; patrem supponentes his congenerem. Alii, per dæmonum operationem, im-

[1] Joan. III, 6.

pium istud verbum et atheismo plenum protulere, deos congeneres, iisdemque passionibus obnoxios quibus mortale, passibile et peccabile genus hominum subjacet; horum omnium et singulorum patrem Deum singulis et universis assimilari. Præco autem Ecclesiasticus unius Dei, unum annuntiat et unigenitum Filium, quem Pater ad salutem universorum, et singulis providendum creaturis, subsistere fecit.

CAPUT XIII.


Quod adventus Filii omnibus fuerit salutaris et necessarius.

Quandoquidem vero rerum progeneratarum natura, quæ differentiam sortita est multiplicem, per corporeas et incorporeas essentias, animatas et inanimatas, rationales et irrationales, mortales et immortales, appropinquare Deo, qui super omnia et per omnia præest, illius divinitatis splendores nullo modo potuit participare, ob nimiam illam suam deficientiam, per quam a natura illa sublimissima semovetur; unde magno, imo longissimo intervallo, propter naturalem suam infirmitatem, ab illo excidisset, nisi Deum adjutorem ipsum nancisceretur : paterna illa Dei misericordia, nec immerito, suum Filium unigenitum super omnes constituit, utpote qui per omnia commearet, omnibus loco moderatoris præsideret, et illos largiter de sua munificentia irrigaret. Universis siquidem et singulis eum Pater, qui genuerat, tam qui sunt in cœlis quam qui super terras, pastorem constituit et servatorem, curatorem dedit et custodem , medicum et gubernatorem solum. Illi rerum omnium gubernacula in manus dedit, qui et illa produceret, et producta procuraret. Id quod ipse docet ubi ait : « Omnia mihi

» tradita sunt a Patre meo[1]. » Et rursus : « Pater enim diligit » Filium, et omnia illi in manus dedit. » Isque velut prudens gubernator quispiam, sortem illam ubi de Patre susceperat, super mundum ascendens universum, sursumque ad Patrem suum intuitus, universitatem rerum agit, fert moderando singula, nec vel minutissimas res ope ipsius operaque indigentes insuper habet, aut vilissimas despectui. Cumque jugiter assistat horum singulis, cuique rei dividit ea quæ conducunt ; et tanquam medicus, suppeditat universis quæ salutem videantur allatura. Hinc admodum congrue, neque vitam abhorrebat victumque humanum ; sed cum ab omni retro antiquitate subsidium subministrabat affluenter hominibus qui a sæculo vixerunt, Deo charis et amicis, nunc humana forma se conspiciendum insinuans majoribus Hebræorum, nunc vero posteris illorum leges ipsis congruas promulgans, et postremo per Prophetas, vaticiniis variis, apud posteritatem suam divinam inter homines dispensationem multo ante annuntians. Quarum quidem, apud sæculum prius oraculorum complementum, ubi tempus advenerat, consignatum, reipsa effectum dedit ; sicque factum ut deinceps apud homines humano more versaretur. Eratque unigenitus Dei Filius ipse, qui in imagine divina, hoc est, corporis instrumento, cum humano genere conversationem habuit, docendo, sanando, divinæ suæ sapientiæ ineffabili doctrina instituendo ; quique adhuc, ad nutum sui Patris, de misericordia ejus exuperanti usque ad portas mortis evasit, quo et illos qui ibi detinebantur gratiæ quoque participes suæ faceret, ad vitam una secum extractos. Ad istum modum Deus in Christo erat, mundum reconcilians sibi ; sic in carne obivit œconomiam : antequam ipse subsistebat, divinitate Paternæ gloriæ honoratus : non rapinam ducens esse æqualem Deo, semetipsum ta-

[1] Joan. III, 35.

men exinaniens, et formam servi assumens, humiliavit se, factus obediens Patri usque ad mortem. Ita ut quemadmodum mors per unum hominem peccantem in genus universum dominata fuerat : sic et vita æterna, per ipsius gratiam, imperium in eos omnes obtineret qui in illum crederent, et per illum Deo et patri ipsius cogniti commendarentur.



CAPUT XIV.

Quod Ecclesia, nec immerito, Marcellum ejecerit, eamdem cum Sabellio foventem opinionem.

Jure optimo Ecclesia, quæ veritatem istam profitetur, Sabellium a se rejectum ablegavit, qui tanquam adulterinum quoddam numisma, Filii Dei consignavit abnegationem : utcumque unum Deum ille confiteretur, et, quemadmodum nunc Marcellus, palam proloqueretur se nonnisi unum Deum agniturum. Sed et Servatoris nostri primi illi præcones Ebionæos, hoc est mendicos, Hebraïce nominarunt illos, propter intellectus animique mendacitatem, qui se Deum unum tantum agnituros dicebant, et licet carnem Christi non abnegarent, Filii tamen Dei divinitatem non fatebantur. Sed et Paulum de Samosata alienum ab Ecclesia pronuntiarunt patres Ecclesiastici, licet Jesum Dei Christum profiteretur, Deum unum super omnes, perinde ac Marcellus, agnosceret, propterea quod non simul crederet Christum fuisse Filium Dei et Deum ante suam incarnationem. Quocirca, veluti in Christum impius, longe fuit ab Ecclesia Christi eliminatus. Sabellius insuper, veluti impius in ipsum Patrem, quem Filium appellare ausus fuerat, eamdem quoque pœnam cum hæreticis sacrilegis subivit. Marcellus, veritus ne pari cum illo pœna multaretur, hæresi

suæ machinam sufflaminandæ novam adinvenit; Deum atque Verbum in Deo unum quidem determinando, sed eidem geminam nomenclaturam Patris atque Filii adaptando. Sed neque ille ita latuit : nec sero licet irretitus, sua ipsius retia effugere potuit. At enimvero, priusquam deprehenderetur, conscientia stimulante propria, ut omnem a se suspicionem amoliretur, ad Sabellium prorupit conviciandum.

CAPUT XV.

Quibus verbis Marcellus Sabellium concidit, dum ab eo se videri vult dissentire.

Audi vero quibus ille verbis Sabellium accusat, in quibus illum compellat de nomine. Sunt autem quæ scribit hæc ipsissima : « Sabellius autem ille cum a recta fide de- » viasset, neque Deum exacte agnoscebat, neque sanctis- » simum ejus Verbum. Nam qui Verbum nesciebat, is Pa- » trem utique ignorabat. *Nemo, enim,* inquit, *Patrem no- » vit, nisi Filius*[1], hoc est Verbum, per se Patris cognitio- » nem exhibeat. Hoc enim modo Judæos alloquitur, qui tunc » temporis se Deum scire arbitrabantur, Verbum autem Dei » repudiabant ; quo tamen ille solo intermedio agnosceba- » tur, ait enim : *Nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui » Filius revelabit.* Nam cum alio quovis modo impossibile » fuisset cognoscere Deum, per suum ipsius Verbum sui » cognitionem hominibus Deus impertiebat, ut errasse il- » lum certissimo constet, cum neque Patrem exactiore mo- » do, neque ejus Filium intelligeret. » Hæc ipsa Marcellus mandavit litteris, dum se vult purgare a suspicione omni Sabellianismi : sed lingua tantum et voce tenus. Nam

[1] Matth. xi, 27.

quantum ad animi sententiam sui, et cum illo homine conspirantem, iisdem quibus ille telis confixus esse deprehenditur; ut mihi quidem illud in votis sit, ne in hujus mentionem istiusmodi incidisset : Ultra illum quippe videtur progressus impietate. Ille enim fortassis per ignorantiam erravit : ille autem, qui cum confiteatur illum hominem aberrasse, et tamen semetipsum in idem protrusit manifesto præcipitium impietatis, venia prorsus omni dignum se præstitit. Sed ipsa ejus dicta introspiciamus.

CAPUT XVI.

Quomodo e suis ipsius verbis deprehenditur eamdem ipsam opinionem cum Sabellio fovere Marcellus.

Imprimis illud statuit, nec Sabellium nec Judæos agnovisse Deum, eo quod Verbum ignorabant. Verbum vero quodnam intelligebat, dispiciendum nobis est. Siquidem Filium Dei unigenitum, subsistentem vivum esse, enimvero hunc ita neque ipsemet agnovit. Cumque Servator noster diversimode mentionem Filii fecerit, et multoties Unigenitum illum appellaverit; nec alicubi se Verbum nominaverit, sed ubique per Evangelia se Dei Filium usurpaverit ; ob eamque ipsam rationem, Petrum beatum prædicaverit propter illam confessionem, « Tu es ille Christus, Filius Dei vivi [1] ; » cujus revelationem a Patre profectam ei dixit innotuisse, ubi testificatur, « Beatus es, Simon Barjona, quia caro et san» guis hoc tibi non revelavit, sed Pater meus, qui est in cœ» lis [2] : » vir iste admirabilis, obturatas habens aures, hæc disertis verbis scribit : Et hanc ipsam ob rationem, nullibi

[1] Matth. XVI, 16. — [2] Ibid. 17.

se Filium Dei nominat, ubique autem Filium hominis, ut per hanc suam confessionem notum faceret eum qui revera erat filius hominis, propter communionem illam Filium Dei constitutum. Vides autem quod non audet se Dei Filium profiteri ne a dogmate illo excidat Sabelliano; Filium vero hominis, propter carnem illam quam assumpsit, nominat. Verbum autem ubique in illo suo scripto compellat frequentius, ut indicaret illud, nisi Verbum, nihil prorsus extitisse. In illo autem passu quo Sabellium accusat, verba Servatoris commemoravit quibus ait : « Nemo novit Patrem, nisi » Filius, et cui Filius voluit revelare. » Quæ dum recitat, tanquam correcturus, pro *Filio Verbum* eum nominavit; sic enim fatur : « Nemo novit Patrem, nisi Filius, *hoc est* Ver» bum[1]; » quibus addit : « Verbum etenim per se Patris ex» hibet cognitionem; » quibus adjungit : « Impossibile siqui» dem erat alioquin Deum cognoscere, nisi per proprium » ipsius Verbum. » Iterum autem pro Filio substituit *Verbum,* et sanctum ejus Verbum nominat. Sæpenumero autem per voces tam paucissimas Verbi, nullibi autem Filii, mentionem facit. Quin et ipsam Servatoris dictionem transformat, ubi pro Filio subinfert, hoc est Verbum : idque cum Filii appellatio multo magis paternitatis vocabulo conveniret, quam Verbi; cum et ipse Servator, juxta congruentiam, Filium cum Patre copulaverat. Ita semper refugiens appellationem Filii, Verbum vocem susque deque versat. Sabellium certe damnat abnegantem Filium, et tamen se conformem eidem præstat : quasi posset et vellet ab illius accusatione suspicionem hæreseos amoliri; cum si vellet Sabellium ob id ipsum redarguere, quod Filium ille Dei abnegaret, semetipsum ante eum debebat accusare. Quod si Sabellius ignorabat quem vocat ipse Verbum, non erat hoc nomine incusandus. Nam nec certe Sabellius, ne quidem

[1] Matth. xi, 27.

Judæi, qui Christum illum Dei abnuebant, quem Marcellus affirmat in Deo Verbum esse, per quem Mosem et Prophetas alloquebatur; imo non soli se Judæi hoc dicent apprime intelligere, sed ipsi etiam Pagani. Nam quis non Deum mente esse præditum fatebitur, ut sapientem, ut bonum, ut potentem? Sabellius nullo certe modo fateretur se hoc ignorare. Quin Filium Dei vivum et subsistentem, qui et esset, et ante carnem assumptam esset, agnosceret. Et tamen ob hanc ipsam cum hoc Marcello contesserationem, ejectus ille fuit ab Ecclesia Dei. Quo pacto autem Marcellus dicatur eadem cum Sabellio opinatus, manifestum fiet, propterea quod unum atque idem profiteatur Deum, atque ipsius Dei Verbum, hisce aliquando verbis usus :

CAPUT XVII.

Quod manifestissime pergenet hypostasim Filii.

« Siquidem solius spiritus disquisitio fiat, omnino, nec » injuria, Verbum unum atque idem cum Deo videbitur » esse. » Componens autem aliquando Verbum Dei cum humano verbo, adjungit, « unum atque per omnia idem cum » homine esse illud, quod in ipso inest, Verbum, nihilo qui» dem ab alio discriminatum, nisi operis tantummodo effi» cacia. » Quocirca ubi ita statuit, priusquam mundus produceretur, nihil omnino præter Deum extitisse, et alibi hisce ipsis verbis utitur : « Cum nondum iste mundus pro» ductus fuerat, præter Deum quidem solum, nihil erat » aliud. » Et ubi divinum illud Verbum nostro indicativo per omnia assimilavit verbo, in quibus ita scribit : « Quemad» modum res universæ quæ productæ fuerunt, a Patre pro» ducebantur per Verbum : ad eumdem modum et quæ a

» Patre dicebantur, per Verbum indicem edebantur. » Atque ita, cum hoc pacto indicativum verbum compellasset ipsum, sermone progrediente tamen eumdem ipsum a Patre inseparabilem pronuntiat, quod spectat ad hypostasim suam, unumque cum Patre atque idem docet, hisce verbis : « Atque istud, opinor, qui recte volunt sapere, non admodum difficulter collecturi sunt ab exili quodam et humili » inter homines exemplo. Nam nec humanum ab homine » verbum potestate quivis et hypostasi separaverit : est enim » verbum unum atque idem cum homine, non aliter omnino separabile quam solius operationis effectu. » Qua similitudine et alibi usus est, ubi ait : « Quæcumque sunt » quæ Pater loqui deprehenditur, illa omnia proloquitur per » Verbum suum. Atque hoc in nobis ipsis apparet esse ita, » siquidem parvis liceat magna componere. Nam quæcumque nos juxta nostrum posse, dicere vel facere cupiverimus, per nostrum nos verbum illa effecta damus. » Hæc nos oportet existimare non minus Marcellum dicentem audire, quam Sabellium. Nisi forte ridendum volebat Sabellium Marcellus propinare, quia non audebat quod ausus est ipse, Verbum illud Dei indicativum, quod existimat tantum, Filium Dei nominare. Certe non eo prorupit is insaniæ, ut sermonem per omnia humano simillimum Deo omnium supremo auderet ascribere : sed nec eo stultitiæ devenit, ut verbum aliquod non subsistens Filium Dei nominaret. Quocirca qui unum dixit Deum Sabellius, Filium vero abnegavit, consequenter secundum suam suppositionem eumdem affirmavit Patrem quem et Filium. Marcellus vero, qui perinde atque ille Deum unum idemque statuebat cum Verbo suo, inepte accusat Sabellium erroris, prorsus nisi se et errasse fateatur. Nam vel cum Sabellio conspirare debebat, vel semetipsum redarguere : aut si redarguere Sabellium volebat, eamdem pravam suam hæresim abjurare

eum decuit; nec ad modum alicujus statuæ conflatoris, Deum supponere colloquentem cum sua ratiocinatione et animi sui intelligentia, ipsumque sibi ipsi imperantem introducere ad hunc modum, Faciamus agedum, agedum fingamus, age conflemus statuam. Ita enim supponit Deum aliquando prolocutum : *Faciamus hominem.* Nusquam certe vocat Verbum intus constitutum quomodo loqui mos est in humanis : at interdum vocat indicativum, simillimum nostro verbo prolatitio. Esset hoc in Sabellio quidem tolerabile; vel in Judæorum aliquo, qui sine tergiversatione aliqua Filium Dei pernegaturus esset : at quis hæc dicentem Christianum ferat? At ille, veluti qui gloriaretur de judaïsmo, impium dogma atque atheum introducit in Ecclesiam, Filium Dei neutiquam extitisse ante mundi productionem, cum solo Deo excepto nihil plane extaret ibi : hocque ipsum constabilire per scripti illius sui processum conatur universum, in eum finem ut Filio omnem aditum ad subsistentiam intercludat. Sed insuper vehementer gloriatur se unum tantummodo Deum agnoscere : quasi hoc nos non confiteremur cum illo, qui tamen Dei revera Filium esse accepimus, et ab ipsomet etiam Filio unum Deum agnoscere edocti fuimus, eumpse Deum esse simul atque Patrem Filii unigeniti, sui nempe ipsius, qui nos sic docuit, qui vere Filius existeba tante omnia sæcula, de illo Patre genitus; quem non solum Verbum compellare solemus etiam ante susceptam carnem, uti illum circumscribit bonus iste vir, sed multis aliis nominibus : qui hoc ipso mendacii coarguit Scripturam, dum vehementius asseverat illum nullo alio nomine extitisse notum ante suam incarnationem.

CAPUT XVIII.

Quod affirmet Filium ante assumptam carnem nihil prorsus aliud extitisse quam Verbum, consimillimum humano verbo.

Audi autem quomodo hoc ipsum doceat, dum disertis quidem verbis ita scribit : Adeo ut plane omnimodo manifestum fuerit, nullum aliud nomen æternitati Verbi convenienter ascribendum, quam hoc ipsum, quod a sanctissimo Dei Apostolo et discipulo Joanne in principio ponitur Evangelii. Siquidem is post assumptam carnem Christus et Jesus prædicatur, vitaque et via, dies, resurrectio, ostium, panis, et quæ cætera illi nomina in Scripturis sacrosanctis ascribuntur; tamen non debemus ignorar quod princeps illi nomen Verbum fuerat. Ob hanc ipsam causam sanctissimus Evangelistes et discipulus Domini, valde quidem ille spiritu vigilans, ubi illius quod erat ab omni retro æternitate principii meminit, nec inferius descendens : « In principio, *dixit,* erat Verbum : et Verbum erat apud » Deum : et Deus erat illud Verbum[1]. » Ut sic ostenderet, si quod aliud de novo et novitium illi adoptabatur nomen, illud ei accessisse a nova illa sua secundum carnem dispensatione. Quibus adjunxit in sequentibus : « Quocirca prius» quam huc ad nos descenderet, et de Virgine nasceretur, Verbum nec prætcrea quidquam fuit. Nam quid erat » aliud, quæso, priusquam humanam assumeret carnem, id » quod descendit in novissimis diebus ? » quod et ipsum ab eo scriptum affirmatur. « Enimvero, quod de sancta Virgine » nascebatur, nihil nisi Verbum erat. » Et subinfert denuo : « Prius enim, uti dictum est sæpe, nihil nisi Verbum fue-

[1] Joan. I.

» rat. » Ad quæ deinceps accedunt ista : « Verbum quidem » in principio erat, nihil existens aliud quam Verbum. Verbo » autem huic adunitus homo cum prius non esset, homo » fiebat, quod nos docuit Joannes : *Et Verbum caro fac-* » *tum est :* ut solius Verbi videatur ob hoc ipsum fecisse » mentionem. Nam sive Christi seu nominis Jesu memine- » rint sacræ Litteræ, videntur his nominibus compellare » Verbum illud Dei post susceptam carnem. Quod si quis » receperit se ostensurum nomen Christi et Filii ante novi » Testamenti tempora usurpatum, et Verbo ascriptum; is » sciat oportet, hæc omnia prophetice ita dicta. » Et post cætera subinfert inquiens : « Non immerito igitur jam sæpe » diximus, ante suum descensum erat Verbum : post des- » censum et carnis assumptionem varias exinde appellatio- » nes obtinuit. » Et hæc sunt quidem illa quibus demonstratur Marcellum deprehensum Filium Dei illum viventem vere et existentem vere abnegasse, et nudum tantum Verbum imaginari. Sed et insuper apparet ex iis quæ in præcedentibus de ipsius libro posita sunt, cujusmodi illum Verbum esse opinabatur, cum exemplo de humano verbo uteretur; unum nempe idemque illum cum Deo esse statuens. Hoc ad hunc modum constituto principio consequenter ad hanc suam suppositionem, pergit ad mendacium Scripturæ impingendum, et ad illam interpretandam, detortam in sententiam suam.

CAPUT XIX.

Quod sacræ Scripturæ non tantummodo Verbum appellent Dei Filium, sed sexcentis aliis diversis nominibus, etiam ante incarnationem suam.

De quibus quidem si in præsenti paulisper dispiciamus, non absurde facturos arbitramur : ut ignari harum rerum intelligant, nullam plane scripturam illius favere opinioni qui novitati studens a recta fide aberravit; imo plane contrarium proloquantur omnes, et occlamant suis testimoniis contra perversas ipsius narrationes. Omnino autem necesse fuit istud aggredi, propterea quod sunt qui suspiciunt istum hominem ; ne quis fortasse de illorum numero, per sacrarum Litterarum ignorantiam, existimet ferire illum scopum veritatis. Atque illud ante alia in quæstionem vocemus, quod affirmare ausus est, Filium Dei nullo alio nomine nisi Verbi notum appellatione, priusquam de Virgine nasceretur; idque ob eam causam, quod ante præsentiam incarnationis nihil aliud quam Verbum erat, neque alio ullo nomine nisi prophetice vocaretur : Verbum vero et erat tum et dicebatur, et nihil aliud; at postquam carne sumpta advenit, diversis quidem titulis usurpabatur. Quod ab illo ita positum, imperite dictum, et per summam Scripturarum ignorantiam, ante omnia demonstrandum est.

CAPUT XX.

Propositæ per partes e sacris Litteris et explicatæ XXX *demonstrationes.*

I. Imprimis Evangelista Joannes ipse, qui de Verbi appellatione eum agnovit, non multis interpositis, quin statim et in procinctu velut, Deum eumdem appellat, inquiens : « Et Deus erat Verbum. » Cum enim ei facile fuisset dicere, Et divinum erat Verbum, hoc non ita posuit, ne quis illum opinaretur similem humano cuidam verbo extitisse : sed appellat eum Deum, quo divinæ dignitatis ejus excellentissimam indicaret naturam.

II. Transiens hinc ad aliam considerationem quamdam, illius quam habebat, glorificationis Lucem illum vocat : et per illum ipsum titulum præextitisse eum indicare voluit ante assumptum corpus suum; siquidem de Baptista locutus ait :

III. « Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet » de lumine illo quod illuminat omnem hominem venien» tem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ip» sum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria » venit, et sui eum non receperunt[1]. » Vides autem, ut in istis non Verbum solummodo, sed et Deum et Lucem illum nominavit, contra quam Marcello videbatur. Præextitisse quoque affirmat illum, et mundum per ipsum factum fuisse. Quemadmodum enim in præcedentibus dixerat, omnia producta fuisse per Verbum Dei, et sine illo nihil plane procreatum : ita quoque et per Lucem ait : « Nam mundus,

[1] Joan. I, 8.

» *inquit,* per illum factus est. » Ut ita unus idemque fuerit, « Lux et Deus Verbum. » Cumque per illum affirmet factum nunc mundum, nunc cætera omnia, subindicat illum Deo subministrasse. Nam cum posset ad istum modum proferre Evangelista, « Omnia ab illo facta sunt; » atque iterum, « Mundus ab illo factus est, » non illud posuit, *ab eo;* sed *per eum.* Quo scilicet remitteret non ad authenticam Patris omnia creandi potestatem. Sed « Et mundus, *inquit,* » ipsum non cognovit : » cum Deum, qui sit super omnia, per notiones incitas a natura cognoscant omnes; imprimis autem filii Judæorum, manuductione scripturarum Propheticarum, quod progrediente sermone docuit ipsemet Marcellus. Quocirca erat alius iste, quem mundus non cognovit, Deus atque Verbum; lux existens et appellatus Lux : lux autem non sensibilis, non corporalis, non quæ oculos ut sol illuminaret; nam sic illius adeo participes fierent creaturæ irrationales. Nunc qualis erat illa lux nos docet inquiens : « Erat autem lux illuminans omnem hominem venientem » in hunc mundum. » Ad solos ergo homines pertinebat rationalis ista lux. Quocirca per potentiam suam præditus intellectu et ratione, qui est lux, ad imaginem suam et similitudinem rationales animas et intelligentes produxit. Non erat ergo illa lux sensibilis; ut neque Deus erat ille, qui est super universa. Deus enim lux est, et tenebræ non sunt in eo. Lux autem est inaccessa, quod Apostolus docet ubi ait : « Lucem habitans inaccessam, quem nemo » vidit, sed nec post videre. Ille autem in mundo erat, il» luminans omnem hominem venientem in mundum[1]. » Sed et mundus, ait, per hanc lucem factus erat; nimirum, quod supremus Pater per Filium suum universa constituerat. Atque ita tres istæ appellationes, in unum locum congestæ a theologo, in principio scripturæ suæ leguntur, quæ

[1] 1 Tim. VI, 16.

pie quidem et sine ulla offensa potestatem insigniunt Filii Dei, nempe Verbum, Deus atque Lux.

IV. Quartam his annectit idem eo loco, Unigenitum appellans istis vocibus : « Et Verbum caro factum est, et ha-» bitavit in nobis ; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi » Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis [1]. » Ita quoque et Unigenitus dicebatur ille priusquam incarnaretur. Nam utcumque nostra causa, quod ait : « Caro factus est Sermo. » Nihilominus nos ipsi, quibus revelare dignatus est divinitatem suam, neutiquam in carnem respicientes, est enim caro servi forma, sed in ipsius gloriam intuentes, quæ extra quidem corpus a mente pura visitur et defæcata ; vidimus ejus gloriam, gloriam ineffabilem, et captum quemlibet humanum transcendentem, qualem nimirum quis imaginari velit gloriam Unigeniti Dei. Erat autem a Patre ista gloria. Animadvertis non hic dici, Vidimus gloriam ejus, gloriam veluti Verbi, ne tum cum dixerat in præcedentibus, « Verbum » caro factum fuit : » sed ut intelligi posset cujusmodi Verbum ille eum poneret (minime quidem indicativum, nam verbum quidem tale caro fieri nequibat), Unigenitum prædixerat, et gloriam ejus talem qualem Filii Dei unigeniti gloriam intelligimus. Et gloriam illi eam a Patre quoque docet et non aliunde advenisse. Nam nec ingenitam, nec principio carentem, nec a se possessam, et non aliunde gloriam habebat, sed a Patre suo acceptam : quod docet ipse, inquiens : « Pater, glorifica me gloria illa quam apud te habui » ante constitutionem istius mundi [2] : » cui respondens ait Pater : « Et glorificavi te, et iterum glorificabo. » Sed adhuc ulterius Evangelista ille idem de hypostasi ipsius perhibet testimonium, ubi Joannes Baptista testimonium ei perhibuit, et clamavit dicens : « Hic erat qui, post me veniens, » ante me factus est, quia prior me erat, quia de plenitudine

[1] Joan. I, 15. — [2] Id. XVII, 1.

» ejus omnes accepimus[1]. » Sed clamantem Joannem quod prior ipso fuerit Sabellius non audit, utcumque de generatione apud Patrem Baptista instituebat sermonem. Quomodo igitur ei testimonium perhibet quod ante ipsum erat? Certe quod spectat carnis generationem, Servator non erat ante eum : necessario vult secundum eam qua Dei dicitur Unigenitus. Secundum hanc prior Joanne fuit, et ante eum nascebatur. Patieturne ista ad Patrem et universorum Deum referri, an potius ad verbum involuntarium et inexistens in Deo, quod cum Deo idem sit? Sed de verbo non subsistente est impossibile ut dicatur illud : « Ante me fue» rat. » Quis adeo insanus est ut opinetur Baptistam de universorum Deo isthoc usurpasse : « Erat ante me, et prius me » genitus est ? » Hinc igitur demonstratum est eum de cujus divinitate agitur, ante genitum Joannem substitisse, et prius illo genitum extitisse : qui non solummodo Verbum, sed Deus, Lux, Unigenitus, ante adventum in carne et erat et dicebatur. Unde vero hæc cognitio Evangelistæ accesserit, ipse nos docebit in sequentibus : « Unigenitus Filius, qui » erat in sinu Patris, ipse enarravit. » Vides, Verbi divinitatis rationes unde didicit.

V. Non Moses ait, sed nec Prophetarum quispiam post Mosem; non e numero Angelorum, aut sublimium aliquis potestatum : sed ipse Filius unigenitus hoc enarrabat. Unigenitus filius, factus visibilis, enarrationem de Patre apud homines instituebat alius, nempe existens, ab invisibili Deo : sed et præexistebat ille non, quod Marcello visum est, in mente Patris, sed in sinu ejus : quomodo promisit Servator nobis nos in sinu Abraham, Isaac et Jacob quieturos; ita et ipse erat in sinu Patris, non unus idemque cum suo Patre. Nam nec nos futuri sumus iidem cum sanctis illis patribus. Sed et illud insuper observandum venit, quod ubi semel Verbum

[1] Joan. I, 15.

nominaverat, eumdem etiam et Deum et Lucem dixit, et Unigenitum appellavit, et Filium Dei confitetur. Nec deinceps illum Verbum usurpat, sed et Servatorem commemorat, insuper ipsum se dicentem non Verbum, sed Filium unigenitum, Lucem, Vitam, Veritatem, et sexcenta quidem alia. Nimirum audire licet ipsum sic docentem : « Sic dilexit Deus » mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui » credet in eum non pereat[1]. » Et iterum : « Neque enim » misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mun» dum. » Et tertio : « Qui non credit, jam judicatus est, quia » non credit in nomen unigeniti Filii Dei. » Ita hoc in loco iterum : « Deus dedit et misit Filium, mundi Servatorem ; et » qui mittebatur erat omnino alius a mittente. » Quocirca mihi videtur Servator in sequentibus, tanquam contra Marcellum et cæteros qui naturæ Filii invident, pronuntiasse quod scriptum est : « Nonne in lege vestra scriptum est : » Ego dixi, Dii estis[2] ? » Eos dixit deos, ad quos factum est Verbum Dei. Neque poterit dissolvi Scriptura : « Quem Pater » sanctificavit, et in mundum misit. Vos dicitis, Quod blas» phemas, quoniam dixi quod Filius Dei sum. » Audisne hic quoties se Servator nominet non Verbum, sed Filium, et Unigenitum ; qualiter sese a Patre missum doceat, et priusquam mitteretur, sanctificatum ; et quemadmodum eos qui gravantur confiteri ipsum Filium esse Dei, aversetur, e divinis Scripturis docens, quod non tantum filii Dei, sed etiam dii mortales homines appellentur : ut minime blaspheme dictum habeatur, confiteri illum simul, et Dei Filium, et Deum, quem Pater sanctificavit et in mundum misit. Quid ergo ille patiebatur, qui post hasce voces ausus est exertim dicere, « Verbum esse illum, nec præterea quidquam ; » atque ob eam causam ita totidem verbis scribere : « Non no» minat eum Dei Filium ; sed ubique se Filium hominis ipse

[1] Joan. III, 16. — [2] Idem, X, 35.

» appellat; ut sic per hujusmodi confessionem, hominem » naturaliter existentem, Dei Filium factum persuadeat per » hujusmodi cum Deo communionem? » Hæc cum dicantur a Marcello, miror ego quibus oculis contra tueri, quibus labellis contra dicere tot audeat testimoniis.

VI. Quin et lucem esse ipsum se Servator ait congruenter iis quæ de luce sunt prædicta, « Ego, *inquiens,* sum lux » mundi. » Et iterum : « Ego sum lux, et veritas, et vita. » Et demum : « Lux venit in mundum, et dilexerunt homines ma» gis tenebras quam lucem. » Quod si quis interroget unde advenit, respondebit is qui dixit : « Qui desursum venit su» per omnes est. *Et :* Qui de cœlo venit, quod vidit et au» divit testificatur. » Quis autem erat ille qui de cœlo venit? Numnam caro quam assumpsit Servator? Nequaquam, sed ipse erat, nempe lux Verbum, atque Deus, Unigenitus existens et filius. Is illa omnia quæ vidit et audivit testificatur. An audivit hæc et vidit cum in terris versaretur? Non, sed prius. At quænam illa erant quæ et vidit, nisi Pater? Quem ille audivit, præter Patrem? Adeo autem semetipsum Verbum nequaquam significativum esse professus est, sed Filium vere vivum et subsistentem, ut ita fuerit prolocutus : « Pater diligit Filium, et omnia tradidit in manu » ejus. Qui credit in Filium, vitam habet æternam. » Credimus itaque, quod Filium suum Deus cum diligeret Pater, omnia ipsi in manus tradidit. Attendendum est porro sedulo ad illud, *omnia,* utpote quo rerum omnium subsistentiæ comprehendantur : unde et videre quispiam posset magnitudinem potentiæ Filii Dei, dum recogitet quantam qualemque in manum tradita sit a Patre rerum universarum subsistentia. Si magnum sit cœlum et hoc universum, certe quæ supra sunt, ista oculis usurpata, in potestatibus subsistentia incorporeis, incorruptibilibus, intelligibilibus et divinis, multo quidem hisce sunt majora, et ab istis longe

discrepantia; eaque ab istis universa quæ, cum captum transcendant nostrum, nostram quoque refugiunt cognitionem. Ista omnia et singula cum unica illa manus Filii Dei unigeniti apprehendat, potentiæ suæ virtutem omnem magnitudinem supergressæ patefacit. Quod ipsum et per aliam suam vocem indicat Filius, ubi loquitur : « Omnia mihi tra» dita sunt a Patre meo. » Deinde ac si nos in incerto hæreremus quisnam ille esset, et qualis, qui depositum receperat istiusmodi, « Nolito, *ait,* quærere nec interrogare » quis. » Non est enim ille talis qui ab hominibus possit comprehendi : imo ne quidem perfecte intelligi potest ab illisce quæ sunt superne potestatibus; cum sit Filius Dei. Quocirca postquam enuntiaverat, « Omnia mihi data sunt » a Patre meo, » intulit : « Et nemo novit Filium, nisi Pater[1]. » Quocirca silentio involvatur omnis de Filio Dei sermo, qui est inenarrabilis; et soli ejus Patri commendetur illius de seipso generationis modus et intelligentia : nec disquirendo quispiam progrediatur ulterius, in natura et substantia inenarrabili. Ipsius autem de seipso doctrina solummodo per gratiam, quæ ex fide est obsignata, maneat : quæ omnia quidem ipsi tradita a Patre suo manifeste admodum nos docet. Dedit ergo Deus atque tradidit illi hanc traditionem suam, ad emendationem et profectum universitatis, tanquam servatori, medico, gubernatori omnium. Filius ea recepit, et tanquam fidus quispiam depositi custos donum illud apud se detinuit, non ut verbum insubsistens et substantia carens, sed tanquam is qui vere cum sit Filius unigenitus et dilectus Patri ad hæc, semetipsum ipse nominavit panem vitæ, inquiens:

VII. « Ego sum panis vitæ. Ego sum panis ille vivus, qui » de cœlo descendit[2]. » Qualiter autem vivus existebat, apertissime declaravit inquiens, dum affirmat : « Quemadmo» dum misit me vivens Pater, et ego vivo per Patrem. *Et :*

[1] Matth. XI, 26. — [2] Joan. VI, 41.

» Qui me comedit, ille propter me vivet[1]. » Hoc ipsum alibi edocuit, inquiens : « Et quemadmodum Pater vitam habet » in semetipso, ita et Filio dedit habere vitam in semetipso. » Erat igitur panis vitæ, et in cœlo subsistebat, Angelicas virtutes irrigans atque nutriens per suæ divinitatis potestatem. Hæc erat ille priusquam in terram descenderet : Filius erat, vitam in seipso continens, ad eum modum quo in se habebat vitam Pater. Patris enim sui vitam et divinæ suæ vitæ quod proprium fuerat atque peculiare (ob quod solus habere dicitur immortalitatem, quemadmodum locutus est divinus Apostolus) nemo præter Filium possidere poterit : qui et imago sui patris sit, et factus quoque ad imaginem patris. Ante vero dictam ille vitam possidet, non sine principio, non ingenitam, suam propriam, velut Patris possessionem, sed quam accepit a Patre. Ita enim ait : « Et » Filio dedit vitam habere in semetipso, quemadmodum Pa» ter habet vitam in seipso. » Ille ergo dedit, accepit iste. Solusque hanc habet iste prærogativam, ut non e foris aliunde ad illum accesserit vita, quemadmodum cæteris creaturis accedere solet, sed in seipso scaturientem illam teneat, secundum conditionem ejus quæ in Patre est. Quocirca, quæ participant de vita omnia, vivunt illa de Filii largitate supererogata : solus autem ipse vitam habet in seipso scaturientem, Patre illam largiente, ad eorum usum et fruitionem qui deinceps erant vita vivificandi. Id quod ipsemet testatur, inquiens : « Quemadmodum me misit vivens Pater, et » ego vivo propter patrem : et qui comedit, ille propter me » vivet. Hic est panis qui de cœlo descendit[2]. » Vides autem ut panis erat vitæ, etiam dum adhuc in cœlis esset. Ob quam ipsam causam legitur alicubi dictum : « Panem » Angelorum comedebat homo[3]. » Priusquam ergo mitteretur, vivebat in cœlo, et per Patrem vivebat : non ut ver-

[1] Joan. vi, 57. — [2] Ibid. — [3] 4 Esdr. xix.

bum significativum, non ut unum atque idem cum Deo existens; sed tanquam is qui subsisteret et vitam sibi propriam possidebat : illam scilicet quam Pater elargitus illi fuerat. Progressus denuo, excellentiam paternæ gloriæ dum insinuat, ait : « Quemadmodum me Pater docuit, ista lo- » quor. *Et:* Qui me misit, is mecum est : non me dimisit » solum, quoniam ego ubique quæ sunt ipsi complacentia » facio[1]. » Omni modo hic mihi observes velim, quid et quomodo *ubique* dicatur. Non enim nunc ait, Dum in terris per carnem cum hominibus versor, quæ Patri sunt complacentia facio; sed, semper et ubique. Hæc autem ita se locutum testatur, ut qui illa acceperat a Patre suo. Quocirca doctorem suum inscribit Patrem, alius ab eo proculdubio existens; siquidem omnis qui ab alio edocetur, diversus plane ab illo existit qui docet. Quod si in Deo Verbum erat (propter quod logicus dicatur ille), cogitationum sui Patris et sensuum tantummodo significativum, qui potest fieri ut sit ipse magister sui ipsius informator? Quomodo, cum a Deo sit inseparabilis, missum fatetur semetipsum? Quomodo, cum sit unum atque idem cum Deo, se Deo complacentia perficere testatur? Quod si respondeat ad hæc Marcellus, Verbum carnem factum hæc pronuntiasse : et quid istud, inquiam ad illud, non confiteri eum Filium esse, sed solum Verbum? Qualiter vero in carne fuit, cum hæc proloqueretur? Numne vivens, subsistens, extra Patrem constitutus? Et quis, quæso, erat tum ille Pater, qui suum in se Verbum tunc non possidebat, sed sine suo verbo subsistebat? Carnem vero Verbum tunc inhabitans, cum in terris hic conversaretur, siquidem extra suum Patrem fuerat, vivens, subsistens, carnem movens ad instar animæ, omnino erat alius a Patre suo; et duæ tum hypostases, ipse atque Pater, subsistebant. Frustraneus erit porro Marcelli la-

[1] Joan. VIII, 29.

bor omnis, qui illum quod in carne fuit substantiale Verbum, vivum et subsistens determinavit. Quod si Verbum illud, quod inhabitabat carnem, extra Deum fuerat, unitum vero fuit et copulatum eidem, tanquam unum atque idem cum eo : omnino concessurus est illi existentiam, et ipsum quoque esse cum carne existentem Patrem, et Filium a se et per se subsistentem, et in corpore operantem; aut saltem humanam animam : si nihil horum, tum certe sua sponte per se moveri carnem fateatur necesse est inanimam et irrationalem : sin vero concesserit esse Patrem, erit illi pater, genitus, passus, et omnia humana opera qui subivit. Quod cum Sabellius olim affirmavit, inscripsit ei dicam impietatis Ecclesia Dei. Quod si nefas sit dicere incarnatum fuisse Patrem, necesse est de Filio hoc pronuntiemus, ab ipsius schola et disciplina qui hoc docuit profecti. Quod si illum abnegaverit subsistentem Marcellus, merum illum hominem concedat oportet, de corpore atque anima constitutum : ita ut a communi natura hominum nullatenus recedat. Sed et dogma hoc Ecclesia rejecit etiam : quod cum olim Ebionæi tuerentur, et non ita pridem propugnaret Samosatenus, et qui ab illo denominantur Pauliani, blasphemiæ sententiam ab Ecclesia latam in eos subierunt. Quid ergo restat aliud, quam ut carnem introducat nudam omni prorsus habitatore? ad modum eorum puporum quos se ipsos motitantes agyrtæ circumducunt. Et quo pacto caro et ipsummet per seipsum corpus absque ullo inoperante dixerit : « Quæ ille me docuit, ea proloquor[1]? » quomodo caro dixerit : « Ego semper et ubique » ea operor quæ sunt illi complacentia? » Quo pacto se caro missam dixerit a Patre? Anne carnis patrem dicere Deum, sanctum est? aut potius ejus qui carnem insidet et inhabitat? Quis tandem ille fuerit? Numne Verbum illud

[1] Joan. VIII, 29.

quod in Deo fuerat, ipsemet idem Deus, ut Sabellio placuit? aut potius (quod cum sanctitate stat et veritate) vivens et subsistens unigenitus Filius Dei? Quod si nihil horum ipsi arriserit, omnimodo substituet hic humanam animam; atque ita erit illi nudus homo Christus. Nec ulterius nobis Sabellius prodibit, sed de secta Paulianorum novus scriptor. Quod si Verbum illud dixerit hominem habitare, quod in Deo fuit, nihil aliud ipsum nisi Verbum existens, et verbum significativum vel operativum; quo pacto hoc dicatur, vitam propriam et peculiarem vivere sejunctam a Patre? quo missus fuit ille, qui quidem coünitus semper et copulatus Patri consistebat? Quo pacto præceptorem suum affirmat Deum Patrem? quo pacto se semper et ubique Patri suo complacentia fecisse dicet? Sunt enim hæ voces satis claræ et manifestæ Filii illius vivi et subsistentis, qui ubique certe per Evangelium deprecatur Patrem, et a Patre ut se glorificet petit. Quæ quidem omnia quid aliud docent, quam ipsum revera substitisse? imprimis ubi ait : « Duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo mihimetipsi : et, qui misit me Pater, de me is perhibet testimonium[1]. » Tot locis cum se vivum prædicaverit Servator, nusquam se tamen *Verbum* nominavit, sed Filium, et Lucem, et Unigenitum, et Panem vitæ. Verba autem sua et verba se habere quidem docet, ubi ait : « Si quis verbum meum custodiverit : » at semetipsum Verbum nusquam nominat. Et certe erubescendum illi fuerat qui, hisce omnibus non obstantibus, Verbum illum, et nihil aliud nisi Verbum designavit. « Audi sis ergo, quæ scripsit, dixit. Adeo ut omnimodo manifestum fuerit nullum aliud nomen Verbi æternitati congruere, præter hoc ipsum, quod sanctissimus Dei discipulus et Apostolus Joannes in principio Evangelii nominavit : et secundo, ut os-

[1] Joan. VIII, 17.

» tenderet, quod si novum nomen aliquod et nuper datum » ei conveniebat, a novo et nuper tradito Testamento, hoc » erat ipsum congruum illi in carne dispensationi : et tertio, » quocirca, priusquam descenderet et de Virgine nascere- » tur, Verbum erat tantummodo. Quid enim esset aliud, » priusquam carnem humanam assumebat, is qui, quod ab » ipso scriptum est, descendit in novissimis temporibus ? » certe natus de Virgine nihil aliud erat. » Hæc facile fuit sciscere et sentire Marcello, propterea quod Filium Dei non profiteatur, ad quem sua referebat Evangelista. Quid ais, mi homo ? Non illum solummodo nominavit « Verbum, » sed et Deum ; sed Lucem illuminantem omnem hominem » in hunc mundum venientem ; sed unigenitum Filium, qui » fuit in sinu Patris. » Nemo idcirco dehinc theologum et Evangelistam calumnietur, sed cum accuratione illum audiat, qualenam Verbum designabat, cum statim intulerit : *Et Deus erat Verbum.* Cui et adjecit illud : *Omnia per illum facta sunt.* At ab ipsomet Servatore universitatis ne semel quidem Verbum nominatur; sed Filius Dei, sed Unigenitus, sed Lux, sed Vita, sed Veritas ; sed omnia potius quam Verbum.

VIII. Quod si hic opponat has de novo Testamento desumptas esse nomenclaturas, dicendum illi est quod et illud testimonium, *In principio erat Verbum,* non est desumptum aliunde. Ut unum atque idem Evangelium, atque ipsemet Evangelista qui nominavit illum Verbum, illa cætera de eodem scriptis mandaverit. Sed et divinus Apostolus Paulus dixit :

IX. « Unus Deus Pater, e quo sunt omnia ; et unus Do- » minus Jesus Christus, per quem sunt omnia : » satis clare Dei Filium, per quem omnia facta sunt, etiam ante ipsius in carne adventum, non vocat Verbum, sed Dominum Jesum Christum. Quod si, quemadmodum Marcello placet,

idem erat et Deus, et in Deo Verbum, suffecisset Apostolo illud dixisse : « Nobis unus Deus Pater, e quo sunt omnia. » Sensus etenim plene constabat; et sermo perfectus erat, quo Deus universi conditor ponebatur. Sed vel Judæus ita affirmaret. Ecclesiæ ergo præco ad illud prius, hoc positum in secundis nos noluit ignorare. Quodnam vero illud? « Et » unus Dominus Jesus Christus. » Quocirca, in secundis posuit illud, *nobis,* hoc sensu : Ut non sit omnibus, at *nobis* tamen est « unus Dominus Jesus Christus. » Quorsum vero postquam edixerat, unus Deus, et unum quoque Dominum adjecit idem inquiens, « per quem sunt omnia? » Certe, quia per illum omnia facta fuerant, non injuria, post Deum illum universorum, a nobis, qui hoc probe noverimus, Dominus universorum agnoscetur. Constat vero hæc non de carne dixisse illum, sed de Dei Verbo, propterea quod subinferat, per quem sunt omnia. « Nobis, *inquiens,* unus Deus » Pater, e quo sunt omnia; et unus Dominus Jesus Christus, » per quem sunt omnia. » Quod ipsum de Luce et de Verbo quod circumit omnia, dictum est. Erat ideo ipse Jesus Christus Lux et Verbum per quem sunt omnia, non autem caro. Neque enim ita indistinctim de carne diceret, « per quem » sunt omnia. » Sed nec Dei Filium ante carnem existentem Christum nominasset idem Paulus, ad eumdem modum, ubi eum appellat Petram in eodem loco, de populo loquens qui cum Mose in deserto versabantur : « Bibebant de spiri» tuali sequenti eos petra; Petra autem illa erat Christus. » Quod ipsum consignat idem statim inquiens : « Nec tentemus » Christum, ut nonnulli eorum tentaverunt, et a serpenti» bus occisi sunt. » Sed confirmat illud ipsum, ubi ait : « Per » fidem Moses grandior factus, negavit se esse filium filiæ » Pharaonis : majores divitias æstimans thesauris Ægyptio» rum improperium Christi[1]. » Sed et idem ipsum adhuc

[1] Hebr. XI, 24.

efficacius insinuat, ubi ait : « Hoc idem sentiatur in vobis, » quod et in Jesu Christo. Qui cum in forma Dei esset, non » rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Sed semetip- » sum exinanivit, formam servi assumens, et figura inventus » ut homo [1]. » Vides quod priusquam exinanivit semetipsum et assumpsit servi formam, erat, ante erat, et in forma Dei subsistebat. Quis autem ille? Non alius certe, quam Jesus Christus, et antequam carnem assumeret : audiendus est enim, neque negligenter, beatus Apostolus, « Idem sen- » tiatur in vobis, *dicens*, quod et in Christo Jesu ; » dum deinceps exponat quis ille erat Jesus Christus, in iis quæ adjungit :

X. « Qui cum in forma Dei esset, non arbitratus est ra- » pinam esse se æqualem Deo ; sed exinanivit semetipsum, » servi formam assumens. » Non possumus de carne intelligere divinum hoc oraculum. Non congrue de carne dici potest illud, *qui et ;* nec illud, *existens in forma Dei.* Sed neque caro se exinanivit, assumens servi formam. Ridicule hoc imaginamur. Age igitur disquiramus illud, quomodo dici queat, « Qui cum in forma Dei esset, non est arbitratus » rapinam esse se æqualem Deo. » Siquidem fuit verbum insubsistens nullibi existens extra Deum, sed intus existens in ipso, interdum cum silentio atque cum quiete, alias autem operando : quo pacto potuit esse in forma Dei, potestate existens ipse Deus? quomodo non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, cum esset Deus? quomodo semet humiliavit factus obediens Patri? Certe illud, *obedire* aliquem alicui, duas necessario personas insinuat. Quoniam vero trahit in exemplum verbum humanum, ejusque similitudinem Marcellus adhibet, interrogemus an quadrare in humanum verbum possit illud quod dicitur : « Qui in forma » hominis existens, non est rapinam arbitratus esse se æqua-

[1] Phil. III, 5.

» lem Deo, sed semet exinanivit, factus obediens ad mortem » usque. » Quo pacto congenitum homini verbum hoc præstiterit, idemque cum homine ipso fuerit? Non erit ergo ille nudum verbum inexistens, sed revera Filius unigenitus Dei : « Qui in forma Dei existens, non est arbitratus rapinam esse se æqualem Deo; sed exinanivit semetipsum, » servi formam assumens. » Quem divinus Apostolus *Jesum Christum* nominavit, utpote qui sciret omnium optime illum ante carnem præextitisse.

XI. Sed eumdem idem Apostolus « Mediatorem Dei atque hominum[1] » appellat : Legem Mosis in illius manu datam pronuntians : « Lex ordinata per Angelos in manu Mediatoris : Mediator autem unius non est : sed Deus unus » est. » Audis ut, Deum appellans et Angelos nominans, intermedium introducit Mediatorem, ubi ait : « Sed Mediator » unius non est. » Erat ideo ante incarnationem suam per ætatem Mosis mediatoris functus munere in ferendo Legem.

XII. Sed et Pontificem vocat eumdem idem Apostolus : « Habentes igitur Pontificem magnum, qui ad cœlos penetravit, Jesum filium Dei[2]. »

XIII. Insuper splendorem gloriæ, et characterem Dei, et filium, et hæredem eumdem vocat : « In novissimis hisce » diebus locutus est nobis in Filio suo, quem constituit hæ» redem omnium : per quem fecit et sæcula, qui cum esset » splendor gloriæ, et character substantiæ ejus[3]. » Hic uti et superius dictum est de Verbo, quod omnia per ipsum facta sint; [et de Luce quæ in mundo fuit, et mundus per ipsam factus fuit;] et de Jesu Christo : « Nobis unus Dominus Jesus » Christus, per quem omnia. » De eodem videsis quemadmodum dicitur, « per quem fecit et sæcula. » Hic vero operæ pretium est advertere animum ad id quod dicitur Splendor; ita enim statuo vocem istam subindicare illam de Patre Filii

[1] Gal. III, 19. — [2] Hebr. I, 2. — [2] Id. X, 21.

generationem. Cum enim Filii nomen sæpius occurrerat, et Pater etiam frequentius Deus audiverat; ne modum forte aliquem hic imaginemur qui in generatione rerum animatarum occurrit, Apostolus similitudinem diviniorem adhibet, ubi de Deo agit, ad Patrem illud applicans, « Habitans » lucem inaccessam; » Filium vero compellans Splendorem paternæ lucis, ut splendor sit primi illius luminis genitura: non ad modum creaturis mortalibus usurpatum existens dum generantur, verum juxta allatam similitudinem. Merito eum igitur et Imaginem appellat invisibilis Dei, propterea quod existeret in forma Dei, et quia erat splendor et character substantiæ.

XIV. Hanc ob causam de illo scribens ait: « Qui est imago » Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Quoniam » in ipso creata sunt omnia quæ sunt in cœlo et quæ super terram, sive visibilia, seu invisibilia sive Throni; seu » Dominationes; sive Principatus, seu Potestates: omnia » per ipsum et in ipso condita sunt, et ipse est ante omnia, » et in ipso omnia subsistunt[1]. » Hæc omnia, licet secus Marcello videatur, de Filii divinitate dicuntur. Neque enim tot et talia dixisset de carne Apostolus. Stultum enim foret neque cogitatu facile, ut ne dicam incongruum, quod ad dictionem attinet et nominis interpretationem. Qui enim congruenter de carne dici posset, *qui* est imago? dixisset utique, *quæ* est imago.

XV. Alibi quoque idem eumdem appellat Imaginem Dei: « Quod si absconditum sit Evangelium nostrum, ab iis est » absconditum qui pereunt, in quibus Deus sæculi istius » occæcavit intellectum incredulorum, ne irradiaret in cor- » dibus ipsorum illuminatio Evangelii Jesu Christi, qui est » imago Dei. » Ubi advertendum nobis animo est, quod divinus Apostolus determinativum de Christo sermonem insti-

[1] 2 Cor. III, 18.

tuit, imaginem Dei scilicet appellans ipsum; ne quis duos imaginari Deos posset, sed unum nempe eum qui supra omnia est. Si enim unus est Deus, et præter illum non est alius, ipsius sit oportet qui per Filium suum tanquam per imaginem agnoscitur. Quapropter et Filius quoque Deus est, propter Patris figuram in ipso, ut in imagine, resultantem. Id quod divinus Apostolus indicat, dum aliquando inquit, « Qui » cum in Dei forma esset; » aliquando autem eum imaginem Dei definit esse. Atque ita, inter cæteras nomenclaturas, Filius et erat et dicebatur imago Dei, priusquam in carne adveniret. Atque ista quidem pauca de innumeris, ne modum excedamus, e novo Testamento adducta sint. Quin et olim existentes Prophetæ Dei, eumdem diversis theologicis nominibus honorarunt.

XVI. Est qui eum Spiritum Dei vocat, inquiens : « Egre» dietur virga de radice Jesse : et flos de radice ejus ascen» det : et requiescet super illum Spiritus Domini, spiritus » sapientiæ et intelligentiæ [1]; » et quæ sequuntur. Perspicue siquidem in istis manifestavit eum, qui de semine David fuerat secundum carnem, et inhabitans etiam in illo Dei Verbum. Unde divinus Apostolus nunc loquitur : « Do» minus autem spiritus est. » Nunc iterum : « Christus Dei » potentia, et sapientia Dei. » Alius insuper Propheta eum ad eumdem modum Spiritum appellat : « Spiritus faciei » nostræ Christus Dominus. » Et in Evangelio de eodem liquidissimo dicitur : « Ecce puer meus quem elegi, dilectus » meus in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam Spiri» tum meum super eum, et judicium gentibus nuntiabit [2]. »

XVII. Alius porro Propheta Vitam eum vocat et Lucem, ubi Deum sic alloquitur inquiens : « Apud te est Fons vitæ, » et in Lumine tuo videbimus lumen [3]. » Quinam erat ille vitæ fons apud Deum? quis lumen? ipsius nempe qui in

[1] Isai. XI, 1. — [2] Matth. XII, 18. — [3] Psal. XXXV, 10.

Evangelio dixit : « Ego sum lux mundi; *et :* Ego sum via, » et veritas, et vita. » Quocirca Deum compellans supplex in oratione Propheta loquitur : « Emitte Lumen tuum et Ve- » ritatem tuam; illa me deducent. »

XVIII. Veritatem insuper eum cum vocaret Zorobabel, victoriæ lauream tulit, qui coram Persarum rege memoratur dixisse : « Veritas manet et prævalet in æternum. Vivit et » exuperat in sæcula sæculorum. Neque est apud illam res- » pectus personarum, sed justitiam facit, ab iniquis omnibus » et impiis abstinet. » Ad quæ annectit : « Ipsius autem vis, et » regalitas, et potestas, et magnificentia est per omnia sæ- » cula. » Qui enim vivere Veritatem dixit, et vincere et exuperare, evidentissime ostendit existentiam ejus. Et consequenter se Servator ipsam appellat veritatem, et obsignat testimonium Zorobabelis.

XIX. Fluvium appellavit eum is qui dixit : « Fluminis » impetus lætificat civitatem Dei. » Montem nominavit insuper, qui dixit : « Montem cui benedixit Deus, ut in illo » habitaret. »

XX. Unde apud Danielem de Monte legitur : « Excisus » lapis sine manibus. » Idem demum in excelsum montem ubi recesserat videbatur. Per montem intelligitur divinitas præexistens, per lapidem vero humana natura.

XXI. Sed et illum Justitiam appellarunt, ut is qui dixit, » Exsuscita Justitiam ab Oriente ; » et etiam justitiæ Solem, ut is qui dixit : « Timentibus autem me exorietur Sol justi- » tiæ : et sanatio in alis ejus; » et alius ait : « Occidet Sol su- » per prophetas qui errare faciunt populum meum. » Hæc non competunt visibili huic soli, sed alteri, nempe Verbo incarnato.

XXII. Sapientia quinetiam dicitur. Salomon in Proverbiis ait : « Sapientia sibi domum ædificavit, et substituit co- » lumnas septem; » et quæ sequuntur. Quodque ante mun-

dum erat ista vivens Sapientia et subsistens, docet idem, ubi tanquam ex ore ipsius Sapientiæ istas emisit voces : « Ego Sapientia habitavi consilium, et scientiam, et cogita» tionem. Ego invocavi : » et his sequentia adjungit : « Per » me reges regnant, et conditores legum justa decernunt : » per me principes imperant, et potentes decernunt justi» tiam. »

XXIII et XXIV. Sed et Lignum vitæ illum Salomon et Dominum appellavit, ubi ait : « Lignum vitæ est omnibus » qui apprehendunt ipsum, et tutus erit qui in eam, veluti » in Dominum, innititur[1]. »

XXV. Sed et Salomonis pater David in Psalmis, et Dominum simul vocat et Sacerdotem : nunc inquiens : « Dixit » Dominus Domino meo, Sede a dextris meis ; » nunc etiam : « Juravit Dominus, neque resipiscet, Tu es Sacerdos in » æternum, secundum ordinem Melchisedech. »

XXVI. Sed et Deum hunc agnoscit et profitetur, inquiens : « Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : virga direc» tionis virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquita» tem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ » præ consortibus tuis[2]. » Deus qui in istis a Deo unctus dicitur, quisnam alius esset, quam qui propter unctionem hanc paternam Christus vocatur ?

XXVII. Erat idem iste et Dilectus Dei : quod Psalmi illius inscriptio docet, *Ode super Dilectum.*

XXVIII. Esaias autem ipsum appellat Brachium : « Re» velabit, *inquiens,* Dominus Brachium sanctum suum, in » conspectu nationum. » David ad eumdem modum, Justitiam et Salutem agnovit illum, inquiens : « Revelavit Domi» nus Salutare suum, in conspectu nationum revelavit Jus» titiam suam. »

XXIX. Et iterum : « Annuntiate diem de die Salutare

[1] Prov. I, 18. — [2] Psal. XLIV, 7.

» ejus. » Et iterum : « Quis dabit de Sione Salutare Israëli ? » *Et :* Ostende nobis, Domine, Salutare tuum; misericor- » diam tuam des nobis. » Quid opus est ut ista hic colligam sigillatim, cum cuivis liceat studioso de Scriptura divinitus inspirata istiusmodi undecumque colligere ? Ubique vero Scripturarum apparet, viros Dei divino spiritu illustratos, unigeniti Dei Filii cognitionem inenarrabilem manifestasse, licet non ultra populum Judæorum. Quocirca diversimode enuntiaverunt illum obtectis quibusdam nomenclaturis Gratia enim illa prædicationis in ipsius præsentiam et adventum reservabatur, quam de ipsius divinitate per universum nunc terrarum orbem, veluti quoddam olim absconditum mysterium et silentio involutum, Ecclesia proseminavit.

XXX. Hoc ipsum nos docuit divinus Apostolus, inquiens : « Secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi erga » vos, adimplere verbum Dei, mysterium illud quod a sæ- » culo absconditum fuerat in generationibus, nunc autem » manifestatum est sanctis ejus, quos voluit Deus cognos- » cere quænam sint divitiæ mysterii istius in gentibus, qui » est Christus in vobis, spes gloriæ ejus. » Vides ut absconditum hoc mysterium fuerat prius, nunc autem revelatum, Filius Dei. Quapropter Prophetæ Dei mysticum in modum prophetico spiritu eum deificarunt : Judæorum autem omnis multitudo in ignorantia istius mysterii persistebat. Deum quidem unum agnoscere edocti, eo quod in errores de deorum multitudine sæpius abstrahebantur : Patrem vero Deum unigeniti sui Filii ignorabant. Nam hoc de Gentibus Ecclesiæ reservabatur mysterium, tanquam gratia quædam excellens, ipsi impertienda. In ipso enim sunt, quod Apostolus observat, omnes thesauri absconditi cognitionis. Enimvero tot jam testimoniis Dei illud Verbum, quod in initio erat apud Deum, non modo quod Marcellus opinatur Verbum dictum est, sed et Filius, et Unigenitus, et Lux, et Panis, et Jesus, et Christus, et Dominus, et Pontifex, et Splen-

dor, et Character, et Imago, et Primogenitus omnis creaturæ, et Fons vitæ, et Veritas, et Flumen, et Justitia, et Sol justitiæ, et Sapientia, et Lignum vitæ, et Dominus, et Deus, et Dilectus, et Sacerdos, et Brachium, et Salutare : et hisce quidem omnibus appellabatur nominibus, cum existeret, et præexisteret ante carnem sumptam; ut e prolatis hic Scripturis ostensum est. Quæ ratio Marcellum hic commovit ut, istis universis prætermissis, in solo Verbo resideret? neque enim transivit ad cæteras nomenclaturas; solummodo illum Dei Verbum esse statuit, et verbum quidem significativum, interdum in Deo conquiescens, interdum re et ore prolatum vel etiam operans. Certe propterea quod Sabellianizaret, nec in Dei Filium crederet, nec agnosceret mysterium illud quod quidem præexistebat olim, at soli Christi Ecclesiæ per ipsius gratiam revelatum est. Quod si dicat mysterium illud incognitum esse, Deum cum in se haberet Verbum, verbo illo usum; hoc siquidem Marcello videtur ita esse, cum sic scripserit : « Quid aliud fuerat mysterium illud absconditum, quam Verbum? Ita autem in » Deo olim erat hoc absconditum mysterium, ut nemo apud » priorem illum populum intelligeret clare quæ spectabant » ad Verbum. » Si hoc posuerit, discat oportet quod Judæorum quilibet, qui Christum Dei non agnoscat, verbum tamen habere Deum confitebitur, neque esse illum alogum. Hoc ipsemet Sabellius, hoc Ethnicus quivis fatebitur : hoc Barbarus qui Deum agnoscit, sine scrupulo confitebitur. Nam hoc ipso quod Deum confiteantur, sapientem intelligunt, rationalem, potentem, justum, bonum. Et quodnam tum mysterium hoc occultum fuerat, quod erat apud omnes in confesso positum? Quis non dixerit in Deo sapientiam esse, et potentiam, et vitam, et lucem, et veritatem, et justitiam, et rationem, et quidquid bonum et honestum est? quin potius eum esse omnia ista, aut si quid his superius et melius extiterit quod nobis sit incognitum? Hæc

natura, a seipsa edocta, cogit unumquemque de Deo profiteri. Unde et de Filio edocti sumus hæc etiam singula, unigenitum illum esse, filium, hæredem Patris sui, omnia possidentem quæ possidet Pater : unde dicitur fuisse in forma Dei et imago Dei, juxta divinum Apostolum, ubi ait : « Qui cum in forma Dei esset, non est arbitratus rapi» nam esse se æqualem Deo[1]. » Et rursus : « Qui est imago » Dei[2]. » Quocirca quod Deus erat logicos, non fuit hoc mysterium quod a sæculo absconditum fuerat et a generationibus. Neque illud nunc revelatum dicitur, quod singulis hominibus per notiones naturales cognitissimum est. Quod si interroget quispiam, Illud qualenam erat? respondet Apostolus, ubi ait : « At nunc in sanctis manifestatum est, » iis nimirum quibus voluit hoc ipsum Deus revelare, quæ » sint divitiæ gloriæ mysterii hujus in gentibus, quibus est » Christus in nobis. » Christus erat igitur mysterium illud : Filius is nimirum Dei. Quocirca mysticum in modum illum olim diversimodis appellationibus Prophetæ glorificaverunt, id quod erat inenarrabile abscondentes; illiusque revelationem gratiæ ipsius in omnes diffundendæ, quasi thesaurum reservantes reconditum. Cum vero post tot e sacris Scripturis testimonia contendat Marcellus nihilominus illud, *In principio erat Verbum,* nihil aliud indicare quam eum, priusquam assumebat carnem, nihil aliud quam Verbum extitisse, neque ullo præter illud nomine appellatum; tum vero primum per varias indicatum nomenclaturas quando Verbum caro factum fuerat, cum prius præter Verbum plane nihil extitisset : certe prorsus hic indoctus deprehenditur, et in Scripturis sacris intelligendis plane infans. Hoc vero sic adornato, agedum deinceps veluti redivivum novum hunc Sabellium introspiciamus.

[1] Phil. 1, 6. — [2] Hebr. 1, 3.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Qualiter Sabellii dogma restauravit Marcellus.

Post exhibita testimonia Scripturæ sacræ, quibus illud ostensum est, quod non solummodo Verbum vocabatur Dei Filius ante suum in carne adventum, uti Marcello visum fuerat, sed sexcentis ab eo diversis nominibus : agedum deinceps intueamur idolum Sabellii, velut de terra se exerentis. Ausus est dicere, ipsum, qui super omnia est, Patrem Domini nostri Jesu Christi, Deum de sancta Virgine genitum; ipsum quoque passum, dum ita scribit : « Quidnam erat ergo quod descendit ante incarnationem? Omnino dicet, Spiritus erat. Nam si secus pronuntiaret, obloquetur ei Angelus is qui ad Virginem ait : Spiritus sanctus superveniet in te. Quod si concesserit esse spiritum, audiat dicentem Servatorem : Deus spiritus est. » Hisce verbis, Deum qui est super omnes, de quo nos docuit Servator et Dominus, inquiens : « Deus spiritus est, et qui adorant eum, eos in spiritu et veritate adorare oportet; » Spiritum illum esse pronuntiat, qui supervenit Virginem, Sabellii errorem renovans. In progressu demum, cum Jeremias de Servatoris incarnatione diceret : « Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus[1], » oraculum illud iste ad Patrem retulit, totidem verbis scribens : « Sed vide-

[1] Baruch. III.

» tur et Pater in verbo esse, licet aliter Asterio et paria cum » illo sentientibus videatur. » Quin in Servatoris passione hoc ipsum facit. Nam cum de Threnis Jeremiæ retulisset : « Spiritus oris nostri Christus, captus est in peccatis nos» tris[1], » adjungit : « Et hic Propheta de Verbo, qui carnem » nostram assumpsit, disserit. » Et tum infert : « Pater um» bræ conditor haud dicetur. » Quod vero Deus spiritus fuerit, Servator docet : « Deus spiritus est. » Quin et quod lux sit, nos etiam docet : « Ego sum lux. » Vides en, ut dicta hæc de Servatore, ad Patris divinitatem referat. Tollit vero Filii hypostasim directissime, dum ante rerum omnium productionem nihil prorsus extitisse, præter Deum, docet. Verba autem ejus hæc ipsa sunt : « Concessam illi gloriam, Aste» rius et gloriam et non gloriam nominat : dum non remi» niscitur quod, cum nondum mundus esset conditus, nihil » extabat aliud præter solum Deum. » Sed et idemmet ipsum confirmat, inquiens : « Cœlum et terra, et quæ in cœlis sunt » et in terra, universa a Deo fuerunt facta. Hoc si credat, » necesse est quod conspiret ejus opinio cum ea, quod præ» ter Deum nihil erat. »

CAPUT II.

Quod judaïzare deprehenditur in opinione sua.

Vides ut tantum non se Judæum præstet, pernegans Dei Filium unigenitum, per quem omnia condidit. Siquidem præter Deum nihil erat aliud, priusquam mundus producebatur, tum certe non erat Filius; et tum, quomodo omnia per illum facta fuerant, et sine eo factum est nihil? Certe Judæus, qui Christum esse pernegat Dei Filium, ante mundi

[1] Thren. IV, 20.

constitutionem agnoscet extitisse plane nihil præter solum Deum, cui perhibet Marcellus testimonium. At Christi Ecclesia cum omni libertate gloriose profitetur : « Nobis unus » Deus est Pater, e quo sunt omnia ; et unus Dominus Jesus » Christus, per quem sunt omnia. » Cum vero dicat, *per quem sunt omnia,* illum agnoscit ante omnia. Adeo ut qui tuetur ante mundum conditum nihil omnino aliud fuisse præter Deum, veritatem ipsam mentiatur. Una etenim cum illo solo Deo et unigenitus ipsius Filius erat ante mundi productionem, et cum Patre conversabatur. Hoc etenim edocuit is qui dixit : « In novissimis his diebus locutus est nobis in Fi» lio suo, quem posuit hæredem omnium, per quem et sæcula » condidit[1]. » Et in Proverbiis per Salomonem Filius ipse de se docuit : « Cum pararet cœlum, aderam ei. *Sed et* erat ipse » lux, illuminans omnem hominem venientem in hunc mun» dum. *Quandoquidem* in mundo erat, et mundus per ip» sum factus fuit. » Quod si factus fuit per ipsum mundus, certe patet illud, quod ante mundum fuerat ipse. Quocirca solus ante mundum conditum non erat Deus : conversabatur cum eo unigenitus ejus Filius, in quem cum Pater intuebatur, gaudebat, quod ipse nos docuit illa in Proverbiis Sapientia, inquiens : « Ego eram in qua gaudebat continuo. » Sed et ipsemet Filius replebatur oblectatione, dum in paternas cogitationes intueretur. Quocirca dixit : « Oblectabar » autem coram illo omni tempore. » Hæc sunt illa mysteria sacrosancta, quæ semel accepta Christi Ecclesia pie custodit. Is vero qui tuetur ante mundum conditum nihil præter solum Deum extitisse, e duobus unum necessario constituit, Sabellium se, vel Judæum. Nam si de sui animi sententia Filium neget, solum Deum professus, Judæus est, qui Christum rejicit. Vel si verbotenus agnoscit Filii vocabulum, ipsum autem Filium esse unum Deum dicat, unum

[1] Hebr. I, v.

atque eumdem; ita et Patrem et Filium arbitrabitur. Nam si ante mundum nihil extabat plane præter Deum, ipse vel Pater et Filius simul erit; vel certe non genuerit Filium.

CAPUT III.

Quomodo Dei Verbum in Deo existens sine principio definivit et ingenitum.

Sed videtur Marcellus eum qui in Deo erat Λόγον, secundum quem logicos intelligitur, eumdem esse et Filium arbitrari : ut ita ipse sit sui ipsius pater, et e converso sui ipsius filius. Audisis ergo quæ totidem verbis scripsit : « Ante universi conditionem, erat, ut videtur, quies alta, » in Deo Verbo existente : si enim credat Asterius Deum » esse universi conditorem, certe nobis illud concessurus » est, illum semper extitisse, numquam existendi princi- » pium sortitum, omnia autem ab illo facta fuisse et de ni- » hilo facta. » Vides ut Deum statuens absque omni principio Verbum quod in illo erat, in quiete statuit, ante mundi condituram, constitutum. Pergit porro, et adjungit : « Si » istud credat, et illud quoque eum fateri necesse est, quod » plane præter Deum nihil erat aliud. Habuit ergo Verbum » in Patre subsistens suam peculiarem gloriam. » Hinc profectus, et æternum, hoc est ingenitum, esse Verbum pronuntiat. « Audis ergo Spiritus sancti consonantiam, qui per » multas et diversas personas Verbi æternitati testimonium » perhibet. » Et rursus : « Et ob hoc ipsum exorditur ab » æternitate Verbi : In principio erat Verbum, et Verbum » erat apud Deum, et Deus erat Verbum : tribus hic con- » tinuis testimoniis usus, æternitatem Verbi vult constabi- » lire. » Qualiter vere Verbum coünitum erat Deo et cum

illo una ingenitum, tueatur operæ pretium est, ut ipsius verbis positum audiamus. Dispensationem quidem in carne illius ad hominem spectare intelligimus, at vero secundum spiritum æternitatem ejus unitam cum Patre credimus esse.

CAPUT IV.

Quomodo unum atque idem esse Verbum atque Deum dixit.

Qui ad hunc modum in Deo Verbum esse concessit, unum atque idem cum eo illud deinceps docet extitisse, ita scribens : « Siquidem spiritus fiat solius interpretatio, » unum cum Deo atque idem nec immerito videbitur esse » Verbum; quod si additamentum illud, secundum car- » nem, adjiciatur ut requisitum in Servatore, sola opera- » tione videtur divinitas extendi : ita unitas, nec injuria, erit » indivisibilis. » Et in progressu iterum : « Non propter illam » exactissimam ubique in verbis et factis consonantiam, id » quod videtur Asterio, Servator ait : Ego et Pater unum » sumus ; sed quod plane sit impossibile, vel Verbum a Deo, » vel Deum a Verbo suo separare. » Quod si ita unum erat atque idem Deus cum Verbo quod in ipso erat, ut Marcello videtur : tum qui genitus erat in sanctissima Virgine, carnem indutus, homo factus; qui quæ scripta sunt patiebatur; qui mortem oppetiit pro peccatis nostris, erat ipse super universa Deus. Quod cum Sabellius sentiret, illum inter atheos et blasphemos reposuit Ecclesia Dei.

CAPUT V.

Quod cum ita dicat, Filium neget.

Quod si dicat Marcellus Verbum fuisse incarnatum, illudque Verbum a Deo inseparabile statuit, quippe quod unitas sit indivisa, quod una sit hypostasis Dei et Verbi quod in ipso erat : non possumus aliter rem concipere, quin secundum eum Deus is qui est super omnia sit incarnatus, si unitas est indivisa : si unum atque idem existat Deus, cum Verbo quod in ipso est, quemnam dicemus Patrem esse? quem vero Filium, cum sit suppositum idem? Ita unum illum atque eumdem cum introducat Marcellus Filio-Patrem, Sabellium renovavit.

CAPUT VI.

Quid de divinitate Filii sentiat Ecclesia.

At Dei Ecclesia indivisam certe novit unitatem, quippe quæ fatetur principium unicum, unum illum et ingenitum et sine principio Deum; et de ipso genitum, unigenitum Filium, accurate cognitum, extitisse vivere et substitisse agnoscit Servatorem : non illum sine principio, non ingenitum, ne duo principia statuat et Deos duos; verum genitum de Patre suo, et principium habentem genitorem suum. Atque ideo credere accepit in unum Deum Patrem omnipotentem, et in Dominum nostrum Jesum Christum, unigenitum Dei Filium. Quæ sancta et mystica fides regenerationem in Christo exhibet iis qui per ipsam illumi-

nantur. Sed illud quod ponitur a Marcello, monadem operatione dilatari, in corporibus locum habet; at de incorporea, inenarrabili et indicibili substantia verum non est : neque enim dilatatur in operando, neque contrahitur in non-operando; neque humano more operatur, aut humano more commovetur. Deus ideo cum sit indivisa unitas, Filium suum unigenitum de seipso generavit : non ille divisus, non alteratus, non conversionem passus neque fluxum, aut alicui subjectus passioni. Neque enim præcipiens, neque imperans, non leges scribens, ut homines solent; non lingua locutus aut labiis ista operatur; neque respectu habito ad ornatum universi, simillimis nobis oculis intuetur : cum per virtutem suam inenarrabilem et divinam ea quæ nondum sunt producta anticipando intueatur, non secus atque jam subsistentia et producta. Sed neque is, ut apud nos artifices solent, in operando et creando materiam præexistentem manibus acceptam digitis compingit; sed per ineffabilem iterum et incomprehensibilem virtutem suam, rerum productarum omnium substantiam ad esse suum perduxit. Atque ita quidem omnia effecit ille, rationibus atque modis inscrutabilibus. Quid nos sollicite ideo laboramus ut similem quamdam passionem in illo imaginemur in filii sui generatione, qualem in cæteris animantibus ? quam ille quidem generationem super omnia et ante omnia subivit, non ad modum et proportionem mortalis naturæ, sed juxta modum illum atque rationem quæ erat ipsi soli cognita et intellecta.

CAPUT VII.

Quomodo Ecclesia Patris prædicat monarchiam.

Enimvero vereris, mi homo, illud, ne si duas fateare hypostases, duo itidem principia subintroducas, et a deitatis ita excidas monarchia. Discas ergo, quod cum unus sit sine principio ingenitus Deus, Filius autem de illo progeneretur, unum necessario principium fuerit, monarchia et regnum unum; cum suscribat esse Filius paterno imperio et principatui. Caput enim Christi Deus est, secundum Apostolum. Sed vereris vehementer ne cogatur is duo principia fateri qui duas confitebitur hypostases Patris atque Filii : sed et istud disce, quod qui duas in Deo hypostases esse statuet, non cogitur fateri duos Patres, neque Filios duos; sed unum ex iis Patrem, alterum vero concedet esse Filium. Ad eumdem quoque modum, neque necesse est eum duos Deos fateri qui duas admiserit hypostases. Nam neque illas honore pares ponimus; neque ambas principio carentes, aut ingenitas : sed unam ex illis ingenitam, sine principio existentem; alteram vero genitam, et Patrem sui ipsius principium possidentem. Quamobrem et ipse Filius Deum suum docet esse Patrem suum, in quibus ait : « Vado ad Patrem meum » et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. » Deus certe et Pater, ipsius quoque Filii Deus esse docetur. Quocirca unus Deus apud Ecclesiam prædicatur, Filii Pater. Filius autem, quando cum Patre comparatur, non jam Patris ipsius Deus dicitur, sed Filius unigenitus et dilectus ejus; et imago Dei invisibilis, et resplendentia paternæ gloriæ : honorat, adorat et veneratur suum Patrem *Deum* eum et *ipsius Deum* inscribens : cui gratias agere, cui pre-

ces fundere dicitur, cui obediens usque ad mortem fuerat. Fatetur se vivere per Patrem, nec quidquam posse facere sine Patre; non suam, sed Patris voluntatem facere. Ait igitur, et totidem quidem verbis : « Quod de cœlo descendi, » non ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus » qui misit me[1]. » Et iterum : « Non possum ego facere de » memetipso quidquam : quemadmodum audio, ita judico : » et meum judicium rectum est, quia non quæro volunta- » tem meam, sed voluntatem Patris, qui misit me[2]. » Alium vero fuisse ipsum, alium autem qui misit ipsum, docet inquiens : « Si ego testimonium perhibeam de me ipso, testi- » monium meum non est verum; alius est, qui de me testifi- » catur. » Mentionem dehinc Baptistæ faciens, Patrem suum illi testem esse asseverat inquiens : « Et qui me misit Pater, » ipse testificatus est de me. » Addit autem : « Et si diligitis » me, gauderetis utique, quod ad Patrem proficiscor. Quo- » niam Pater me major est[3]. » Quibus omnibus ostendit se alium a Patre, et paternam gloriam majorem insinuat esse : cum illum misisse dicat, se vero missum de cœlo descendisse, non ut suam voluntatem faceret, sed voluntatem ejus qui misit eum. Quid ad ista dicturus est Marcellus, cum eum qui de cœlo descendit ista ipsa docentem audiat? Non, opinor, illud allegare poterit, carnem Servatoris hoc prolocutam : non enim caro de cœlo descendit. Quemnam ergo dicturus est, de cœlo descendentem, hæc docuisse? Num Patrem Deum? Anne Patri conjunctum Verbum? Si Patrem dixerit, Sabellium revelate se exhibentem, ipse eum Servator mentitum convincet, inquiens : « De cœlo descendi, » non ut ego meam voluntatem facerem, sed ut voluntatem » ejus qui me misit; *et :* Non possum ego de me ipso quid- » quam facere : quemadmodum audio, ita judico. Neque » quæro ego voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui

[1] Joan. vi, 38. — [2] Id. v, 30. — [3] Id. xiv, 28.

» misit me, Patris. Et Pater meus major me est[1]. » Nam certe extremæ cujusdam dementiæ esset hæc Patrem dixisse existimare. Quod si quis Verbum Deo congenitum dicat, et animi ejus sententiam qua ratiocinatur, et existimet illum ea enarrare quæ erant apud ipsum intus occultata : quo tandem pacto Dei mens et cogitatio de cœlo descendebat? Quomodo in carne quam assumpsit existens, ista enarret? Quomodo quod in Deo erat Verbum, dicet se de cœlo descendisse ut non suam voluntatem faceret, sed voluntatem mittentis ipsum? Atque per ista quidem Filius declarat honorem quo Patrem prosequebatur. Cum vero rebus genitis præsidet, quæ per ipsum sunt productæ, tanquam qui existat Servator omnium, Dominus et Creator : « Omnia, *tunc inquit,* per ipsum facta sunt, et sine » ipso factum est nihil. » Tum et Deus, et Dominus, et Servator, et Rex prædicari poterit. Atque ideo illum adorare veluti Deum, et colere, et venerari, Ecclesia ipsius docet, ipsa ab ipso hoc edocta. Ait igitur Servator ipse : « Neque » enim Pater judicat quemquam, sed judicium omne dedit » Filio suo, ut omnes honorent Filium quemadmodum ho» norant Patrem. » Disertis verbis ipsum honorare jubet, non tanquam Prophetas, non velut Angelos, aut Angelis similes potestates, sed quemadmodum ipsum Patrem. Hoc enim ipse Pater ita voluit, qui omne judicium dedit Filio, ut omnes eum honorent quemadmodum et honorant Patrem. Quod ipsum cum exacte intelligeret Thomas vocatus Didymus, veluti qui de choro duodecim discipulorum fuerat, clarissimis verbis eum et Deum et Dominum consignavit, inquiens : « Dominus meus, et Deus meus. » Et nos ob hanc ipsam causam oportet Filium, non quemcumque alium, divino honore venerari, quomodo scilicet Patrem honoramus; cum in hoc ipso Pater per Filium honoretur.

[1] Joan. v, 30.

Quod et ipsum docuit inquiens : « Qui honorat Filium, honorat et Patrem qui misit eum. » Veluti qui regis imaginem ad se missam honorant, regem ipsum imaginis illius exemplar honorant; ad eumdem modum et Pater honoratus existit per Filium, uti et per ipsum visus. Nam qui Filium vidit, is utique et Patrem vidit, dum deitatem ingenitam, veluti in imagine atque speculo in Filio characterizatam intuetur. « Est enim splendor æternæ lucis, et speculum mundissimum operationis paternæ, et imago bonitatis ipsius. » Hæc autem omnia cum de Patre suscepisset, ab illo et gloriam divinitatis, tanquam Filius dilectus et unigenitus accepit : sed non ita Pater a quoquam accepit, cum sit ipse omnium principium, et fons, et radix bonorum ; unde merito unus et solus prædicatur Deus.

CAPUT VIII.

Quibus verbis Marcellus abnegavit Filium Dei.

Hæc cum ignoret Marcellus, non vult Filium de Patre revera natum, veluti vivum et subsistentem : at de Deo egressum illum non aliter ait, quam cujusvis imperativa aut indicativa vox de ipso exit. Audi vero ipsum clarissimis verbis hoc idem affirmantem: « Videtur ergo hisce consequenter dicendum, ante sæcula ipsum generatum. Nam quod de patre præexistente egreditur, genimen ejus est. » Aliud vero ut sit, dici non potest cum sana pietate conjunctum. Nam velle affirmare non esse illum Verbum, » quod ex eo egreditur (et hunc ipsum esse veræ generationis modum), sed vere filium, nec præterea quidquam ; » relationem quamdam visionis humanæ videtur audientibus

» exhibere. » Deinde quod neque Verbum de Patre suo generetur insinuat, dum ita loquitur : « Sanctus ideo Apostolus et Domini discipulus Joannes, dum æternitatis ejus » mentionem facit, verissimus Verbo testis adhibetur, *In » principio,* inquiens, *erat Verbum, et Verbum illud erat » apud Deum, et Deus erat Verbum.* » Nusquam generationis Verbi isthic meminit. Hunc ad modum Filium Dei abnegans, Verbum vero statuens in Deo existens, aliquando illud intus in Deo vult esse, interdum ait e Deo egredi, interdum ad Deum recurrere, ipsum iterum et in Deo velut antea residere. Audi vero quibus verbis hoc affirmet : « Credo autem ego nunc Scripturis divinis, quod unus sit » Deus dicentibus; et quod Dei hujus Verbum processit de » Patre, ut omnia per illum fierent. At post judicii tempus » consummati, et universorum restaurationem, et amolitio» nem operationis cujuscumque; ad oppositum tunc et ipse » subjicietur Deo, qui subjecit ipsi universa, ut deinceps » futurus sit denuo in Deo Patre Verbum, quemadmodum » fuerat priusquam mundus conderetur. Nam cum præter » Deum nihil plane extaret, et per Verbum erant omnia » producenda, processit cum effectuali efficacia Verbum, » quod Patris erat. » Quam eamdem demum sententiam expressius ita posuit : « Cum nondum esset mundus hic, Ver» bum erat in Patre suo : » at cum Deo complaceret omnipotenti creare omnia quæ in cœlis erant et in terra, ad mundi productionem requirebatur operatio effectiva. Et cum præter Deum solum non extaret alius (nam ab ipso fuisse condita universa in confesso ponitur), tum procedens Verbum illud, quod prius intellectuali modo intus agebat, comparavit se ut mundi fieret conditor. Subinfert autem post hæc omnia demum : « Hanc ob causam, non appellat se » Dei Filium, sed ubique se vocat Filium hominis, ut per hanc » suam confessionem eum qui erat homo, per communio-

» nem cum verbo Filium Dei esse disponeret : et consum-
» mato hoc suo opere, iterum ipse velut Verbum adunire-
» tur Deo; sic ut adimpleret illud quod Apostolus dicebat :
» *Tunc et ipse subjicietur ei qui ipsi omnia subjecit Deo,*
» *ut sit Deus omnia in omnibus.* Tunc autem omnia fient
» quæ prius fuerant. » Hæc cum de Verbo Marcellus edisserat, illo nimirum propter quod logicos Deus dicitur, in maximas incidit angustias, ausus affirmare extra Deum processisse aliquando, qui in Deo erat, Λόγον; et rursus post judicii tempus Deum denuo ingressurum, ut ita demum adunitus Deo subsistat, quemadmodum et prius substiterat.

CAPUT IX.

Refutatio perversæ hujus hominis sententiæ.

Nunc demum ad interrogationes respondeat. Quid de tempore intermedio sentire debemus, cum extra Deum esset Λόγος? Quomodo egrediebatur? Qui status Dei fuerat interea dum Λόγον in se sibi proprium non haberet? si enim post mundi consummationem in Deo erit Λόγος uti prius fuerat, quomodo erit λόγος e Deo egressus? si enim per se subsistens a Deo erat alius, tum frustraneus est omnis Marcelli labor. Quod si extra Deum egressus λόγος, ut nostrum prolatitium solet verbum, extra Deum permanebat, inseparatus tum certe semper et omni tempore, etiam tum cum operaretur, erat intus in Deo. Quod si sic, tamen unde fit ut in diem judicii comperendinetur? ait enim tunc Deo illum readuniendum, et perpetuo futurum, sicut olim prius fuit : sed nec Λόγος qui de Deo processit, qualis erat prius, extabit talis, sed et Deus sui ipsius dissimilis futurus est

utpote qui olim λόγον suum in se habebat, et in fine mundi eumdem resumpturus, et futurus qualis olim prius fuerat; interea temporis dissimiliter se habiturus. Sed et Λόγος ad eumdem modum extra Deum positus, non futurus est is qui prius fuerat ante mundi consummationem. Ecquid, hisce ita positis, magis impium poterit esse? Omnino enim, erat, erit, futurum est, aliquando, iterum, contingens, et quæ sunt mutationis indicia in tempore factæ, aliena sunt prorsus a substantia illa quæ est sine tempore, principio, generatione, mutatione. De qua solum esse cogitandum est, et esse quidem immutabiliter. Quam eamdem et eodem modo se habentem debemus cogitatione comprehendere : non imminutam, non coarctatam, non dilatatam, non expansam, nihil extra se vel intra se continentem; non hanc modo, modo illam comparantem; neutram permanenter, sed diversam a se priori, et rursus in statum illum priorem revolutam. Hæc supponere tamen ausus est Marcellus; quippe qui olim ait Deum extitisse, et quietem quamdam altam apud Deum imaginatur : ad imitationem illius Hæresiarchæ impii sese conformans, qui blasphema istiusmodi dogmatizavit : Erat Deus et Sige. Post Sigen, et Hesychian processisse ait, Λόγον, in principio conditionis mundi, cum operatione efficaci : ita ut non esset, qualis erat prius, in Deo conquiescenti quiescens ipse; sed progressus e Deo operaretur. Et quo modo tandem processit inde? omnino per prolationem cujusdam articulatæ vocis, personante nimirum et proloquente Deo ad modum humanæ loquelæ. Ita enim visum est, dum ita scriberet : « Quemadmodum » facta omnia a Patre, per Verbum facta sunt : et dicta » omnia a Patre, per Verbum significantur. Et iterum, om- » nia quæcumque Pater dicit, ea semper et ubique per Ver- » bum declarantur : quod et a nobis ipsis satis liquet; si- » quidem hisce parvis magna liceat et divina comparare.

» Nos enim ea omnia quæ volumus, quantum quidem possumus, et facimus et dicimus ministerio verbi nostri. » Quod si ad hunc modum per efficaciam operantem processit de Patre Verbum, unde progressus est Marcellus, ad circumscribendum Verbi operationem tempore quodam determinato, nimirum mundi consummatione? Quando futurum est quod affirmat, ut Verbum intra Deum subsistat, quemadmodum aliquando subsistebat? Aliquando autem quiescentem Λόγον illum, in quiescenti Patre nobis dedit. Ita, ut videtur, post mundi consummationem quietem statuit, cum nihil Verbum deinceps operabitur. Atenim ante mundi constitutionem nihil erat prorsus præter Deum, inquiet : et quandoquidem nihil erat, jure merito illi quietem assignavit. Jam in tempore consummationis Daniel propheta, ante thronum Dei constitisse affirmat innumerabilem Angelorum multitudinem : « Millia millium, *ait,* ministrabant illi : et decies millies centena millia assistebant » ei. Judicium sedit, et libri aperti sunt[1]. » Sed et tunc præterea temporis consistent omnes illi filii futuri sæculi : beatæ Patriarcharum, Prophetarum et Apostolorum animæ, spiritus illi Martyrum sancti ; omnes quoque Servatoris nostri oves, quæ a dextris ipsius constitutæ audient : « Venite, be» nedicti Patris mei, possidete regnum præparatum vobis » a jactis mundi fundamentis[2]. » Quocirca cum vel post judicii tempus, tantus numerus eorum futurus est qui victuri sunt vitam immortalem, quid causæ subesse poterit cur non et tum etiam Dei Verbum operetur? Unde scivit Marcellus quod nequaquam tum sanctos suos Deus sit allocuturus, neque verbo suo usurus effectivo; sed quod futurum sit in Deo Verbum, quemadmodum et prius fuerat, omnino conquiescens et conticescens? Hoc enim multoties affirmavit dicens : « Tunc erit illud, quod et prius fuerat :

[1] Dan. VII, 10. — [2] Matth. XXV, 34.

» erat autem prius, ut et ipse quoque affirmat, in quiete. » Conticescet ergo Deus per illud tempus, qui prius fuerat » locutus et usus suo Verbo operativo. At tunc per promis- » sum illud cœlorum regnum, proprio suo verbo, et omni » quæ in illo sita est sapientia, sanctos suos penitus priva- » turus est. » Ecce autem in qualenam se præcipitium dederit, dum neminem sibi adhibet manuductorem, nec advocat Scripturas in consilium. Nam hæc omnia ipse sibi fabricata collegit de una voce perperam intellecta. Nam ubi se ad demonstrationes applicuerat de Testamento veteri atque novo, undequaque certe impellebatur, in angustias conjiciebatur : unam vero voculam vix tandem reperit, quæ ipsius hæreticæ opinioni favere visa est ; huic uni tanquam cum bono Deo adinvento adminiculo se applicuit. Nec erat quidem illud de persona Servatoris nostri dictum usurpatum, sed Evangelistæ ; nam is eum ita appellat : « In principio erat Ver- » bum, *inquiens,* et Verbum erat apud Deum, et Deus erat » Verbum [1]. » Hinc ille profectus Filium planissime pernegavit, tanquam qui prius nihil aliud erat quam verbum simillimum huic nostro.

CAPUT X.

Quod non recte cepit illud : « In principio erat Verbum. »

Enimvero non solum solius Verbi nomine compellavit magnus et divinus Evangelista, quod jam sæpius a nobis dictum est, sed Deum, et Lucem, et Filium, et Unigenitum : quinetiam illum seipsum Servatorem, Verbum autem solius Scripturæ nequaquam appellasse perhibet ; per uni-

[1] Joan. I, 1.

versum porro Evangelium Vitam, et Lucem, et Unigenitum, et Filium Dei, et Veritatem, et Resurrectionem, et Panem vitæ, et Vitem, et Pastorem, et innumeras alias nomenclaturas : ut in præcedentibus ostensum est. Quid causæ fuerit ut, cum tot sint et tales, in nulla alia substiterit dictione, sed nec curiosius verborum sensum satagat, sed solius Verbi vocem proprie de illo dixerit usurpatam, quasi præter verbum hoc nihil foret aliud. Scribit autem totidem verbis : « Non quidem catachrestice nominatus ille, Verbum, » rumpantur licet mentiendo qui diversa docent, sed vere » atque proprie Verbum existit. » Et iterum : « Discat idcirco » Dei Verbum advenisse, non Verbum quidem catachres- » tice denominatum, ut illi aiunt, sed Verbum verissime » existens. » Et iterum : « Ut jam sæpius a me positum est, » nihil erat aliud quam Verbum. » Et rursus : « Priusquam » descenderet et de Virgine nasceretur, Verbum erat so- » lum : nam quid ille esse aliud poterat priusquam assu- » meret humanam carnem, qui descendit ad nos in novissi- » mis diebus, ut ipse loquitur ? *Et :* Illud quod de Virgine » nascebatur, nihil erat præter Verbum. » Hæc affirmanti Marcello, talem quamdam interrogatiunculam proponere non absurdum fuerit. Et undenam nobis, o bone tu, hoc ipsum, *nihil aliud,* et *solum* proponis ? Illud certe, *In principio erat Verbum,* accurate novimus, sed non illud *solum.* Sed quid, quæso, nimirum : et, « Deus erat Verbum ; » *et*, Lux erat illuminans omnem hominem venientem in » hunc mundum ; *et,* Erat unigenitus Filius ; » et quæ præter ista alia referuntur nomina ? At quod *Verbum* erat *solum,* neque quidquam præter *Verbum,* nemo hominum dictum esse potest demonstrare. Unde audax ergo illud additamentum *solius ?* cur non potius Filium quis appellet eum solum, neque quidquam præter Filium ? cur non Deum, neque quidquam præter Deum ? cur non mundi Lucem, neque

quidquam præter Lucem? cur non vitam, neque quidquam præter Vitam? Quomodo etiam in cæteris, nec immerito loqui nobis licet. Sed quemadmodum is qui ista dixerit errare graviter convincetur (quandoquidem is qui unus est et Dei Filius, hisce omnibus nominibus appelletur; nec hisce tantum, sed aliis multis præter ista, et hisce magis divinis forsan, prout diversimodo divinam ipsius potestatem et virtutem apprehendimus): ita quoque et eum qui Verbum illum solum appellaverit, neque aliud quidquam præter Verbum, omnino falli necesse est et errare. Cum enim Joannes Evangelista solus ipsum appellet *Verbum*, neque *Verbum* solum, sed multis aliis nominibus designet; cumque ipse se Servator *Lucem* nominet, et *Veritatem*, et *Vitam*, et *Unigenitum*, et *Filium*, nusquam vero *Verbum* : quomodo non absurdum fuerit, nihil quidem eorum allegare quibus se ipse insignivit? neque dicere ipsum ita ab illis vocatum, et nullo alio nomine; insistere autem in voce illa, *Verbum*, quod de ipso usurpavit Evangelista, et constanter affirmare? nihil eum esse aliud præter *Verbum* Imo vero, inquit, proprie atque verissime erat Deus Verbum; nam non erat ille alius qui Verbum ipsum dixit, alius qui Deum nominavit, sed idem atque unus Evangelista : simul et Verbum esse ipsum nos docuit, Et Deus erat Verbum; et Lucem idem eumdem nominavit. Quorsum igitur non proprie atque vere Filium unigenitum, et si quibus aliis nominibus se Servator et Dominus Evangelistæ nominavit, eum vocat? sed, omnibus omissis et insuper habitis, solum eum Verbum proprie atque vere extare docet, adjecto hoc etiam insuper, quod tantummodo Verbum est, ubi etiam ad humani verbi similitudinem se demittit?

CAPUT XI.

Quod eum aliquando prolatitium Dei Verbum vocet, aliquando autem intus repositum, ut in hominibus solet fieri, atque immanens.

Lucem ubi illum nominatum audit, non quidem aberrat ad corporalem lucem, neque similem eum affirmat solari lumini ; at Verbum ubi legerit, significativum eum imaginatur, et humano verbo simile, adeo ut nunc affirmet eum in Deo conquiescere, nunc extra Deum egredi dicat, atque ita et extra eum et in eo consistere, ad modum quo nostrum verbum solet, quod intus residere et ore proferri intelligitur. Totidem vero verbis ita loquitur : « Omnia » quæcumque Pater loquitur, ea omnia ubique per Verbum » suum videtur loqui : quod et e nobismetipsis manifestum » est, ut magna parvis et divina humanis comparemus. Nam » et nos ea quæ volumus, secundum nostrum posse, vel di- » cere, vel facere, per nostrum λόγον ea quidem facimus. » Rursus demum et ita loquitur : « Priusquam res omnes crea- » rentur, quiescentia summa erat ejus, quod in Deo existe- » bat, Verbi. » Addit autem : « Cum nihil prius esset præter » solum Deum, at per Verbum erant omnia proditura, Ver- » bum præcessit operatrice sua potestate. » Hæc cum de Verbo et hujuscemodi dixerat, audi jam quemadmodum conatur Evangelii dictum interpretari. Scribit autem : « Sed » sanctus Apostolus, et discipulus ille Domini Joannes, dum » nos in principio Evangelii sui docet, perspicue et exertim, » tanquam quod prius hominibus incognitum fuerat, omni- » potentis Dei Verbum ita nominat. Ait autem : *In princi-* » *pis erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus*

» *erat illud Verbum.* Unico non contentus testimonio, hic » *Verbi* significat æternitatem. » Ait iterum : « Sed tribus » continuis testimoniis usus, Verbi significat æternitatem. » Item annectit, ut, ubi dixit, In principio erat verbum, os- » tenderet potestate apud Patrem Verbum extitisse. Est enim » rerum omnium existentium principium Pater Deus, e quo » sunt omnia : in illo autem, *Et Verbum illud erat apud* » *Deum,* operatione insinuat apud Deum extitisse Ver- » bum. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, et sine ipso fac-* » *tum est nihil.* In eoque dicitur, et *Deus erat Verbum,* » non dividit deitatem, quoniam in ipso erat Verbum, et » ipse erat in Verbo. *In me enim,* inquit, *Pater et ego in* » *Patre.* Marcellus per hæc tot et tanta subsistentiam unigeniti Dei Filii tollens, testem suæ hæreticæ pravæque opinionis citat Evangelistam, quasi nihil aliud ille voluisset intelligi, quam Verbum, nunc operativum, quiescens alias in Deo, nec quidquam aliud existens quam Deum.

CAPUT XII.

Quod non ut Marcello videbatur, theologiam de Filio Evangelista proposuit.

Magnus enimvero Evangelista simul et theologus, ter cum Verbi mentionem hoc in loco faciat, ne semel quidem appellat eum Dei Verbum. Non utique dixit, *In principio erat Verbum Dei;* sed tantum indefinite, *In principio erat Verbum.* Nobis reliquit disquirere cujusmodi illud erat Verbum. Rursus ubi dixit, *et Verbum erat apud Deum,* potuit dixisse, *et Verbum Dei erat apud Deum :* sed, *et Deus,* inquit, *erat Verbum ;* non, *et Verbum Dei erat Deus.* Ne nos existimaremus, Verbum illud Dei ope-

rationis significativum aut effectivum esse. Sed Marcellus, cum opinaretur æternum esse ipsum Dei Verbum, hoc est ingenitum, ita prorsus eum definivit : minime advertens quod, si Verbum diversum quid a Deo statuat, duo futura sint æterna, hoc est Deus et Verbum ; nec principium hoc pacto statuetur unicum. Quod si unicum dicatur æternum, atque illud ipsum definiat esse Deum cum suo Verbo, nudum prorsus Sabellium confitebitur se, qui, ut ille fecit, unum Filio-Patrem et unicum confinxit. Secundum ergo ipsum, erit Pater genitus et passus ; ipse semetipsi orationem fundet ; missum se fatebitur a semetipso, et Filium sui ipsius : atque ita simulatorie se non revera, sed mentitus, fatebitur Unigenitum. Quid hoc sermone magis impium excogitari poterit ? Nos autem, age, consideremus quale nobis Verbum Evangelista enuntiet, ubi loquitur : « In principio » erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat » Verbum. »

CAPUT XIII.

Quot modis intelligatur quod voce Verbi significatur.

Vox illa, Λόγος, Græca certe lingua si proferatur, variam a se suppeditat significationem. Vocatur λόγος id quod disponitur in anima rationali : unde contingit ratiocinari. Est et λόγος secundo, quod significat aliquid, per linguam et vocem articulatam ; tertio, quod descripsit et scribendo scriptor disposuit. Solemus et λόγον appellare seminalem et nascentem facultatem : secundum quem dicuntur potestate esse in seminibus illa quæ nondum enata sunt, sed deinceps actu proditura sunt in lucem. Adhuc et alio modo

solemus λόγον usurpare, pro intellectiva artis alicujus aut scientiæ facultate, quodque omnium et singulorum istiusmodi theorematum comprehensivum est : veluti medicum, architectonicum, geometricum.

CAPUT XIV.

Qualiter exponenda sit Evangelica de Verbo doctrina.

Quocirca cum λόγος ita diversimode intelligatur, et ab Evangelista indefinite dictum sit, « In principio erat Ver» bum, et Verbum illud erat apud Deum, et Deus erat Ver» bum ; » animadvertendus hic usus est, et dignoscendus vocis illius λόγος novus et peregrinus usus, quem præter illos quos commemoravimus Evangelista tradidit, indefinite loquens Verbum : adjiciens autem peregrinum et inexpectatum illius vocis sensum, ad vim et virtutem propriam ejus adaptatum in eo quod addit : « Et Deus erat Λόγος. » Quasi diceret : Nolito existimare hoc inter ea esse quæ sunt ad aliquid, ut λόγος qui in anima est, aut λόγος qui per vocem percipitur, quive seminibus inest corporalibus, aut consistit in theoremasi mathematicis. Hi omnes λόγοι cum sint ad aliquid, in alia et diversa præexistente substantia intelliguntur : at Deus Λόγος non altero indiget præexistente, ut in ipso sit et subsistat ; sed per se vivens est et subsistens, veluti qui Deus sit. Deus enim erat Λόγος. Cum vero Deum illum dictum audias, ne accipias dictum quasi sine principio ingenitum, quemadmodum Patrem : disce autem quod ita in principio erat iste Deus, Λόγος. Quodnam vero ipsius intendat principium, manifestat in sequentibus : non inquiens, Et Verbum erat ille Deus, cum adjectione articuli ;

ut ne illum esse qui est super omnia definiret. Verum nec dixit, *in Deo :* ne ad humanam dejiciat eum similitudinem. « Sed Verbum, *ait,* erat apud Deum. » Nam si protulisset, Et Verbum illud erat in Deo, veluti quoddam accidens in subjecto; aut tanquam aliud in alio : compositum ita Deum substituisset, substernens illum veluti substantiam sine λόγῳ, et λόγον substantiæ velut accidens. In qua opinione cum Marcellus esset, Patrem atque Filium in idem cogit, substantiam appellans Patrem, Filium vero in ipso existentem, accidens. Ita Deum qui concesserit sine λόγῳ, impio se atque blasphemo dogmati implicabit, cum admittat ille Deum ἄλογον, utpote qui λόγον in se habeat tanquam accidens, non autem sit ipse λόγος. Cum omnino fatendum sit, divinum, ineffabilem, bonum, simplicem, incompositum, uniformem, supra omnia esse ipsum Deum; ipsum, inquam, αὐτόλογον, αὐτοσοφίαν, αὐτοφῶς, αὐτοζωὴν, αὐτοκαλὸν, αὐτοαγαθὸν, aut si quid hisce nominibus majus et præstantius excogitari queat; imo vero potius quod excedat mentem omnem, superet omnem cogitationem et disquisitionem animi : hujus autem Filium unigenitum, veluti Patris imaginem, ex ipso ortam, omnino et per omnia quam simillimam Genitori suo; et ipsum quod credat Deum, et mentem, et λόγον, et sapientiam, et vitam, et lucem, illius pulchri imaginem atque boni; non tamen ipsummet Genitorem, sed Patris sui Filium unigenitum, non ipsum quidem ingenitum et inprincipiatum, sed ex illo ortum, sic ut principium sui adscribat Patri. Quod si hisce contradicendo Marcellus, idem esse per omnia dixerit illum Deum, et illud in eo Verbum Deum incompositum definiens atque simplicem; videat ne vel Patrem vel Filium eum agnoscat, sed Judæum se prodat, aut cum Sabellio inducat Patrem eumdem plane atque Filium : utputa cum idem sonet apud illum, « In principio erat Verbum, » ac illud, « In principio erat Deus; » et illud, « Verbum

» bum erat apud Deum, » æquivaleat illi, « Et Deus erat apud » Deum ; » et illud tertium non sit aliud quam, « Et Deus erat » Deus. » Quæ præterea quod cohæreant minus, ab omni ratione sunt alienissima. Nam quonam pacto locum habere poterit illud, « Omnia per ipsum facta sunt, » cum unicum sit suppositum ? et Scriptura doceat, non ab illo, nedum ex illo, sed per illum omnia fuisse facta ? et illa præpositio *per* ministeriale quid significet, quemadmodum in sequentibus docet Evangelista, inquiens : « Lex per Mosem data est : gratia et » veritas per Jesum Christum facta est ? » Quemadmodum enim Lex, non illa hominum vel Mosis existens, sed Dei, cui minister et servus subministrabat Moses, ut illa ad homines promulgaretur ; atque ideo dictum est, « Lex per Mosem » data fuit : » ita quoque et gratia data est, quod per Christum Pater eam operaretur. Atque ad istum modum dicitur, « Omnia per illum facta sunt ; » utpote ab altero producta, cui alteri operaturus hic subministrat : ut quærendus sit a nobis creator alius universorum, qui dicitur a Theologo creasse omnia. Is autem ecquis alius esse poterat ? certe nemo dixerit. Quæ cum ita sint, fateri nos oportet, eum qui ab Evangelista deificatur, non esse Deum illum super omnia, neque Patrem, sed illius Filium unigenitum ; non eum Patre pari passu ambulantem, nec tanquam in supposito existentem unico, non unum atque eumdem cum Deo, sed Filium vere existentem vivum subsistentem : in principio qui erat, et apud Deum erat, et Deus erat ; per quem condit universa. Ut clarius transposita hæc proferre quis possit, pro illo, « In principio erat Verbum : » In principio erat Filius; et pro, « Et Verbum erat apud Deum : » Et Filius erat apud Patrem ; et pro illo, « Et Deus erat Verbum : » Et Deus erat Filius. Ita enim congrue cohærebit quod adjicitur in sequentibus : « Omnia enim per illum facta sunt, et » sine illo factum est nihil. » Quocirca recte illum Evange-

lista dixit in principio fuisse, principium illi concedens; hoc est generationem de Patre : nam quodcumque de quoquam progignitur, genitorem sui principium habet. At non perinde ita intulit, « Et Verbum illud erat in Deo, *sed*, Et » Verbum erat apud Deum », ita docens : nempe genitum quemvis, et patrem suum sui principium habentem, non longe a suo patre semotum, non sejunctum longe ab illo recessisse; sed adesse illi et cum illo esse. Quod et ipsum docuit in Proverbiis, ubi, ut prius allegatum est, dixit : « Ante omnes colles gignit me.» Cui sic adjunxit: «Cum ho- » minem appararet, præsto illi aderam. » Atque ita quidem Verbum, hoc est unigenitus Filius erat apud suum Patrem Deum præsens, adstans, assistens semper et ubique; quod quidem insinuat ita inquiens, «Et Verbum erat apud Deum.» Quandoquidem vero congruebat intelligere qualem tunc obtinebat dignitatem, necessario adjunxit illud, « Et Deus » erat Verbum. » Qui enim aliter fieri poterat quin esset ille Deus, qui ex uno solo ingenito Deo genitus erat. Nam si quod de carne nascitur caro est, et quod nascitur de spiritu spiritus est, quemadmodum doctrina Servatoris habet : certe consequens est ut quod de Deo gignitur Deus sit. Quocirca et Verbum erat Deus : Deus factor et conditor omnium. Quod intimabat ipse Evangelista, inquiens in sequentibus statim : « Omnia per illum facta sunt. » Lex ergo illa Mosis, pædagogi ad instar quæ fuit, in cosmopœia Deum omnium conditorem inducens, elementa nobis quædam divini cultus et institutiones tradens, ait : « In principio creavit Deus cœ- » lum et terram, » etc. Quibus populum Judæorum erudire is volebat, ut mundum esse conditum arbitrarentur; ne creaturam aliter pro creatore colerent. Quomodo vero Deus, et per quem ista condidit universa, nondum Mose alumnos suos informabat. Gratia vero et veritas per Jesum Christum, mysterium illud annuntians quod ille silentio obvolverat,

initium auspicatus Ecclesiæ Dei, novæ cujusdam atque mysticæ doctrinæ : unde apud omnes ut exaudiri possit, enuntiat illud : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud » Deum, et Deus erat illud Verbum. Et omnia per illum » facta sunt, et sine illo factum est nihil. » Ad quæ accedunt illa : « Quod factum est, in illo vita fuit; et vita erat lux ho» minum, et lumen in tenebris affulgebat : » et quæ sequuntur. Quibus Filium Dei, et divinæ lucis prærogativam, et vitæ in illo præstantiam docet; qualiter etiam quæ per Mosem dicta sunt omnia, et quæ illa etiam superant, sunt producta. Cum istorum nihil intelligeret Marcellus, interdum deprehenditur judaïzare, interdum transfugere ad Sabellium : ut judaïzans ante mundi productionem, præter solum Deum, docet nihil extitisse; cum Ecclesia ante mundi exortum, et Patrem agnoscat atque Filium. Sabellii partes agens, unum et eumdem Patrem designat atque Filium ; interdum introducens Verbum immanens, aliquando prolatitium et emanans : certe videri vult has voces respuere. At enim quid aliud assignavit, cum Verbum illud intus in Deo nunc affirmet, nunc per operatricem efficaciam prodire pronuntiet? unde et cum humano verbo componit illud. At enim divinus Evangelista Verbum a se deificatum secundum nullum istorum modorum intelligendum proposuit; sed, ut par et æquum fuerat, unigenitum Dei Filium intelligendo concipere, Verbum esse docuit, per quod omnia secundum suas rationes rationabiliter sunt constituta, sine quo nihil factum est eorum quæ sunt. Deum eum vocat et Unigenitum, propterea quod solus ille vere fuit Filius Dei; Dei, qui est super omnia, Filius genuinus, Patri suo dilectus : per omnia suo Patri assimilatus; ut ideo vere Deus extiterit, eo quod animis a se creatis ad imaginem suam intellectualem lucem rationalem irradiaverit : quocirca vocat Lucem illum non rerum omnium, sed hominum

tantummodo; « Erat enim, *ait,* lux illuminans omnem ho» minem venientem in hunc mundum. » Ad hunc modum et vere existebat Vita, eo quod omnibus viventibus de suo suppeditet. Atque ita invenire nobis licet appellationes ei vere attributas, quibus quæ illi insunt divinæ virtutes repræsentantur. Ubique autem et per omnia erat Veritas, Dei Filius erat, quod ab ipso edocemur, ubi ait : *Ego sum veritas.*

CAPUT XV.

Voces proponuntur illæ, quibus Marcellus planissime abnegavit Dei Filium : affirmans illum esse Verbum nunc immanens, nunc emanans.

At novitius iste scriptor, hæc neque intellexit, neque novit; neque illud novit, quod hæc ignoret : quæ tamen non nescire se gloriatur, qualiter subsistunt. Agedum vero, reassumentes quæ dicta sunt, audiamus ut illum assimilaverit humano verbo, cum quod cogitatione comprehenditur, tum quod profertur. Ita autem ait : « Facile hoc, opinor, in» telligentes, animo comprehensuri sunt, ab humanis, simi» litudine humili quidem illa et contemnenda. Nam neque » possibile est cuiquam, vel potestate et hypostasi separare » verbum quod in hominibus est : idem etenim unumque » cum homine verbum suum existit; neutiquam ab homine » separandum, nisi agendi sola actione. » Utitur hic jam exemplo verbi prolatitii; immanentis autem denuo, ubi ait : « Neque enim apparatura ulla alia, nempe materiæ, vel » hujusmodi indigebat Deus humanæ facultatis ad mundi » conditionem; sed sola illa, quæ intus illi erat, apud ani» mum apparatura. Cum vero non posset fieri ut sine

» verbo, aut Verbo quæ præsto semper fuit sapientia, co» gitaret de cœli apparatu Deus, omnino bene dixit : *Cum* » *cœlum præparares, illi una aderam.* Progressus adhuc, immanens simul esse et illud Verbum docuit, ita inquiens : « Et quis, quæso, sive sanctorum e choro Angelorum, seu » virorum justorum, dignus satis erat supplicium illud a » Deo personaliter illi destinatum avertere, nisi Verbum il» lud quod præsto illi erat, et res confingebat una; cui Pa» ter dixit illud, *Faciamus hominem.* » In sequentibus ista liquido declarat quodnam subintroducebat Verbum, inquiens : « Quod si quis humano illo quidem et exiguo uti » velit exemplo, et tanquam ad imaginem quamdam divi» nam exigere operationem, ita statuet : Quod sicuti statua» rum fictor quispiam excellens, statuam volens confingere, » imprimis illius formas et expressas figuras intus revolvit, » apud animum considerans; tum adaptat ei longitudinem » quanta sufficiet et latitudinem; proportionemque cujus» que partis ad totius mensuram decenter exigit : curat ut » ad manum sit præparata quæ sufficiat æris materia : atque » ita postquam sua cogitatione statuam præfiguraverit illam, » lustrasse eam se reputans intellectu suo, conscius ratio» nem illam per quam ratiocinatur secum una cooperari, » nec se sine ratione quidquam construere (nihil enim plane » quod caret ratione placere potest ut pulchrum); ubi ag» gressus fuerit hoc sensibile suum opus, semetipsum affatur, » veluti alium, adhortando, Age, inquiens, faciamus; age, » fingamus statuam. Ad istum modum universorum Domi» nus Deus, e limo animatam conficturus statuam, non alium » quemvis, sed suum ipsius affatur λόγον, inquiens, *Facia-* » *mus hominem.* » In istis, ita clare affingit Deo, cum verbum immanens, quo cum solet quis colloqui; tum verbum emanans, per quod solet colloqui : imaginatus Verbum Dei divinum ejusmodi quale verbum nostrum est.

25.

CAPUT XVI.

Refutatur perversa hujus hominis opinio.

Non est opus ut ulterius satagamus ostendere quod per ista negatur Dei Filius : tantummodo ad interrogata respondeat. Si unus erat Deus, nec ab eo quidquam; non Pater, non Filius : quorsum ista nomina mentiuntur sacræ Litteræ? quid dissimulat Marcellus, dum qui non est Filius, sed Verbum, appellat tamen Filium? Cumque exemplum adhibeat verbi humani, dicendum est quod non omnis homo, licet ratione præditus et congenitum in se λόγον possidens, Filium habet : ut necessario Filius sit diversum quid a λογῳ. Si ergo dixerit, Deum in se λόγον habuisse, nec præterea quidquam, cum quo colloquebatur, Faciamus hominem, inquiens : quid eum, et frustra quidem, appellat Filium? quid Ecclesiam decipit? quid, cum non credat, fingit tamen se credere in Filium Dei? utpote qui videri vult per Verbum, Filium Dei nominasse; cum ipsius exemplum perspicue doceat, longissime distare insitum animo λόγον ab illo quod de aliquo progeneratur, et per se subsistit et vivit, et operatur, et filius est. Sed fortassis inquiet : Non ego illum appello Verbum, sed divinus Evangelista. Et nos illud ipsum par est confiteri : est plane etiam meo animo.

CAPUT XVII.

Veræ sententiæ de Verbo explicatio.

Sed non aliter omnino vox illa interpretanda est, quam

quomodo nos docuit ipse Evangelista quodnam ipse Verbum intelligat. Id vero insinuat satis clare in iis quæ annectit, *et Deus erat Verbum*, cum proloqui potuisset, Et *ille* Deus, addito articulo, erat Verbum, si unum et eumdem et Patrem et Filium appellasset; si Verbum illud opinaretur esse illum Deum qui est super omnia. Sed non ita prolocutus est. Nam vel dicere debebat, Et Dei erat Verbum; vel, Deus erat ille Verbum: adjecto nempe articulo, si cum Marcelli sententia Scriptura conspirasset. At nunc et ipsum Verbum Deum esse insinuat, similiter illi Deo apud quem erat. Nam cum prius edixerat, *et Verbum erat apud Deum*, subinfert, *et Deus erat Verbum:* planissime nos informans, tantumnon ut primum Deum illum intelligamus esse, qui est super omnia, ipsum nempe Verbi Patrem, apud quem erat Verbum; tum in secundis, ut ne ignari simus quod et Verbum ipsius unigenitus Filius, non erat quidem ille super omnia Deus, sed quod et ipse etiam Deus erat. Conjunctio etenim illa et divinitatem Filii connectit Patri : inde ait, Et Deus erat Verbum; ut Deum illum sciamus esse, qui est super omnia, apud quem et Verbum erat : sed et Verbum quoque Deum audies, veluti qui sit imago Dei, non ut in materia inanimata subsistentem, sed ut in Filio vivo, qui quam exactissime repræsentat archetypon illam Patris divinitatem. Quoniam vero visum Marcello fuit λόγον Dei nostro hominum assimilare, si omnino hanc adhibere volebat similitudinem, quanto rectius is ad hunc modum protulisset, ut diceret nostri λόγου parentem esse mentem, quæ diversum quid a λόγῳ existit. Mentem enim nemo quidem hominum novit quæ sit, qualive prædita sit essentia : sed veluti quidam rex intus et in secretis suis receptaculis residens, de rebus agendis dispicit et determinat; ipsius autem λόγος ex eo procedens tanquam a genitore progenitus, in abditissimis penetralibus, manifeste foris existenti-

bus omnibus declaratur : qui participes quidem fiunt utilitatis de λογῳ resultantis; mentem vero invisibilem inapparentem, λογου illius genitorem, nemo unquam vidit. Ad eumdem modum, imo potius extra omnem similitudinem et exemplum, perfectissimus ille universorum Domini Λόγος, non ad modum prolatitii sermonis humani, qui e syllabis et verbis et nominibus componitur, sed tanquam unigenitus Dei Filius vivus, subsistens, progreditur de Patris sui divinitate et regno : irrigat autem mundum universum largiter de se emanante vita, ratione, sapientia, luce, omni bono, a Patre quidem participato, et procreatis omnibus inde restagnante. Qui Pater cum sit per omnia inapprehensibilis, incomprehensibilis, ad modum illius mentis invisibilis non apparentis (unde et lucem dicitur inhabitare incomprehensibilem et inaccessam) inaccessibilis est, et incomprehensibilis omnibus et singulis omnino est : at ille, Filius nempe, cum sit in propinquo nobis positus per spiritum sui Patris, gubernat omnia : quocirca non dicitur de Patre, sed de Filio, « In mundo erat, et mundus per illum factus est. » Ille autem erat super omnia Pater et universa : lucem habitans inaccessam iste per omnia, et in omnibus gubernatrice sua præsentia permanens, ut ista solummodo ratione imago illa verbi humani in illum congruere videatur. His ita per nos demonstratis, tamen quispiam forte discendi cupidus interrogaret :

CAPUT XVIII.

Cur in principio Evangelii sui Evangelista Filium Verbum nominavit.

Quid causæ fuerit quod exordiens suum librum Evan-

gelista, Verbi nomine Filium unigenitum nominavit? Cui respondemus, hoc fuisse factum propter abstrusa de illo olim vaticinia; cum ubique legitur per Prophetas omnes, *Verbum Domini.* Sic apud Esaiam dicitur in principio : *Verbum Domini ad Esaiam.* Sic ad Oseam, ad Joel : *Et factum est Verbum Domini ad Jonam;* ita ad Michæam, et similiter ad Prophetas alios dicitur *factum Verbum.* Voluit sacra hic Scriptura necessario quidem et exacte significare, quod in nullo Prophetarum *existebat;* quod ad quemlibet eorum *factum est,* ut cujusque ejus capax erat potestas, et cujuslibet animæ suggerebat, de suo spiritu convenienter : ut ita non incongrue hic Evangelista dixerit, ubi Verbi illius œconomiam erat traditurus, non perinde ordinatum illum nunc atque olim apud antiquos illos, sed nostro quodam et diverso modo, nempe carne assumpta, homine facto; deinde quod enuntiaturus erat in sequentibus salutarem ipsius ad homines adventum, ubi ait : « Et » Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. » Ideo non incongrue in principio recurrit ad Verbum, tunc nuper incarnatum, quod et quale fuerat demonstrando : Deo illud ascribit, annuntians simul ejus deitatem et ad homines adventum : tum etiam quod, cum veteres e lectione Scripturarum olim didicerant cuique Prophetæ Verbum superadvenisse, ipse divinius quoddam et excellentius illius principium enarret; quod nullus unquam Prophetarum tam aperte et clare enuntiavit. Quocirca latens illud et occultum de Verbo mysterium cum vellet tradere, ait : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus » erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso » factum est nihil. » Nam si, inquit, ab antiquissimis olim Scripturis instituti, illud aliquando edocti accepistis, quod *Verbum Domini factum* sit ad hunc Prophetam, et ad alium, atque ita deinceps ad alium : at nunc tandem, non

quemadmodum *factum* est Verbum Domini, sed quemadmodum *erat* in principio, necesse est ut evangelizetur ; et quomodo Deus erat ; et qualiter *omnia per illum facta sunt ;* et quod ipse Deus, Verbum illud, per quem omnia facta sunt, e paterna misericordia *caro* facta sit, et in nobis habitavit. Hæc Joannes ille magnus Christi discipulus et Apostolus evangelizavit, omnes quidem homines edocens nova et nupera Servatoris mysteria. Non quod erat Deus ratione præditus ; non quod ipse apud se cogitavit et secum collocutus sit, *Faciamus hominem* inquiens ; nec quod verbis sit usus rerum gerendarum admonitoriis : ista enim quivis qui Dei Filium abnegaret dicere posset, quemadmodum et Marcellus deprehenditur fecisse, qui tanquam ad refugium quoddam se ad veterem Scripturam convertit, quæque infantissimo Judæorum populo tradita quondam fuerant de non adorandis idolis, sed uni Deo cognoscendo serviendoque in unum coëgit : ubi doctrina de Deo solo et uno ei successit abunde, utpote quæ utiliter admodum et opportune idololatris Judæis tradebatur ; quo ille sese conferens, et Judaïca cordis duritia, veluti munito quodam propugnaculo vallatus, ad Filium Dei negandum processit.

CAPUT XIX.

Quod Marcellus, advocatis in testimonium e veteri Testamento Scripturis de Deo uno, non secus quam Judæi solent, abnegaverit Dei Filium.

Audisis autem quibus utitur vocibus, dum ita scribit : « Quemnam vero eum arbitratur Asterius, qui dixit, *Ego » sum qui sum ?* Filium, an Patrem ? duas etenim hyposta» ses Patris et Filii affirmat esse, carnem respiciens huma-

» nam illam quam assumpsit Verbum Dei, et ob illam car-
» nem in hanc descendens opinionem. Atque ita Dei Filium
» separavit a Patre, non aliter quam si quis filium hominis
» a naturali suo patre separaret. » Et tum adjungit : « Si id-
» circo Patrem se a Filio separantem, hæc ad Mosem affir-
» met prolocutum, profecto fatebitur non esse Deum qui
» est Filius. Quomodo enim qui ait, *Ego sum qui sum,* non
» item concessurus est, quod qui est se dixit esse, ad diffe-
» rentiam statuendam inter ipsum et non ens? Qui si dicat
» Filium hypostasi distinctum hoc ita pronuntiasse, *Ego sum*
» *qui sum,* idem de Patre quoque dixisse existimabitur :
» utrumvis autem conjunctum est cum impietate. » Rursus
vero, dum Patrem esse Filium probare vult, hoc modo scri-
bit : « Ipse enim confitebitur inquiens, *In me est Pater, et*
» *ego in Patre.* Eum vero hoc dixisse non sine ratione, aut
» a scopo aberrantem, patet ex Apostoli dicto alibi, nempe
» ubi ait : *Unus enim est Dominus, una fides, unum bap-*
» *tisma, unus Deus et Pater, qui est super omnia, et per*
» *omnia, et in omnibus*[1]. » Vides ut nec hoc in loco a con-
spiratione recedat, sed eodem etiam et hic laboret vitio.
Nam cum dixisset, *Unus est Dominus,* adjecit quoque, et
unus est Deus : ut quoties Domini unius faciat mentionem,
Patrem uno eodemque complexu ambiat; cum vero de Pa-
tre sermonem instituit, simul testetur non excludi Verbum
Dei. Hæc Marcellus cum edisserat, plurima congerit de ve-
teri Testamento testimonia, ut evincat non esse Deo Filium.
Ait enim Deum indivisam extitisse unitatem; eumdem et Pa-
trem esse qui est Filius insinuat. Sic autem scribit : « Quid
» ergo? annon, spiritu obtemperantes, unitatem indivisam
» vel potentia quidem esse arbitramur? Certe non erraveri-
» mus; cum exertim nos Verbum illud docuerit : *Dominum*
» *Deum tuum adorabis, et illi soli servies*[2]. Quod idem per

[1] Ephes. IV, 5. — [2] Matth. XII, 28.

» Marcum evangelistam prædicat : *Accedente autem ad eum*
» *Scriba quodam et interrogante quod esset mandatum*
» *omnium primum, respondet ei : Quia mandatum om-*
» *nium primum est : Audi Israël, Dominus Deus noster*
» *Deus unus est; et diliges Dominum Deum tuum ex toto*
» *corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex*
» *tota virtute tua. Hoc est primum et magnum mandatum.*
» *Secundum autem simile est illi : Diliges proximum tuum*
» *tanquam teipsum. Majus magistrorum aliud mandatum*
» *non est. Et ait illi Scriba : Bene, Magister, in veritate*
» *dixisti, Quia unus est Deus, et non est alius præter eum.*
» Scriba autem iste, e Lege edoctus pietatem et verum Dei
» cultum, videtur collaudasse illud dictum Salvatoris; *Audi*
» *Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est;* et juramento
» interposito bene dictum confirmasse, inquiens : *In veri-*
» *tate bene dixisti, quod unus Deus est; non est alius ab*
» *illo.* At qui se gloriantur novi Testamenti mysteria intelli-
» gere, secundum sibi confingere Deum isti volunt, hypostasi
» quidem illum et potentia a Patre separatum. » Subsequun-
tur quibus constabilire vult unum esse Deum, et quod non
sit Filius; ista nempe : « Jam certe constat et manifeste in
» præcedentibus declaratum est, quod novit sacrosancta
» Scriptura unitatem Deum atque Dominum nominare, ubi
» sic affatur famulum suum Mosem : *Dixit autem Deus ite-*
» *rum ad Mosem, Sic dices filiis Israël : Dominus Deus*
» *patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus*
» *Jacob, misit me ad vos.* Vides uti cum hic unicam per-
» sonam doceat, eamdem et Dominum appellet et Deum.
» Sed et iterum Scriptura ita loquitur : *Et locutus est Do-*
» *minus omnia hæc verba inquiens : Ego Dominus Deus*
» *tuus, qui te eduxi de terra Ægypti, de domo servitutis.*
» *Non erunt tibi dii alii præter me.* Vides ut per prono-
» men hic unum Deum solum indicet. Et post pauca : *Ego*

» *sum Dominus Deus tuus,* inquit : se et Deum esse pro-
» fitetur atque Dominum. Quod et ab alia Scriptura edoce-
» mur, quæ sic loquitur : *Cognosces hodie, neque cogita-*
» *tione perverteris, quod Dominus Deus tuus Deus ille sit*
» *in cœlo et super terram, et non est præter eum.* Iterum
» denuo in Deuteronomio ait : *Audi Israël, Dominus Deus*
» *vester Deus unus est : et diliges Dominum Deum tuum*
» *e toto corde tuo et tota anima tua.* Et in eodem iterum :
» *Videte, videte, quod ego sum, et non est Deus præter*
» *me. Ego occidam et vivere faciam, percutiam et sanabo.*
» Quomodo hoc Asterius ignorabat, qui se videri vult cum
» timore simpliciter scrutatum sacras Litteras, nimirum
» partem Scripturarum illam ubi dicitur : *Dominus Deus*
» *tuus Deus unus est ; in cœlo sursum, et in terra deor-*
» *sum : et non est præter eum :* quod unus sit, et non est
» alius præter illum. » Post alia et hisce annectit, inquiens :
« Quomodo igitur sacer ille Jeremias vates non aperte con-
» vicerit illum docuisse perversa ? Nam de Servatore vati-
» cinatus ille ita inquit : *Iste est Deus; non reputabitur alius*
» *ad eum, qui invenit omnem viam cognitionis, et tradidit*
» *eam Jacob puero suo, et Israël dilecto suo : post hæc su-*
» *per terras visus est, et cum hominibus conversatus.* Ite-
rum infert : « Sed videtur in Verbo Pater esse : utcumque
» hoc Asterio non sic placeat, nec iis qui eadem cum illo
» sentiunt. Sic enim divino illi vati Esaiæ videtur, qui locu-
» tus est per Spiritum sanctum : *Et adorabunt tibi, et in te*
» *orabunt, quod in te sit Deus, et non est alius præter te.*
» *Tu etenim Deus es.* Vides ut evertat radicitus artificio-
» sam pravitatem aliena docentium ? » Et subinfert iterum :
« Quod si lubet et adhuc alias ejusdem audire Prophetias,
» quibus unum nobis confirmat Deum : *Ego,* inquit, *Deus*
» *primus, et in futura ego sum.* Illud, *Ego,* unam nobis
» personam declarat. Duæ etenim dictiones unicam nobis

» designant personam. Nam cum dixerat *Ego,* infert et
» *sum,* ut ita per has duas orationis partes, pronomen at-
» que verbum, unitatem deitatis testatam reddat. Quod si
» alia adhuc velit testimonia ; eumdem Prophetam ipsi idem
» testificantem adhuc exhibebo : *Ego primus et ego dein-*
» *ceps, et præter me non est Deus.* Quod si divisum Dei
» Filium a Patris sui substantia velit Asterius, ut Filius ho-
» minis dividitur a carne quam suscepit propter nos scan-
» dalum hinc passus, ostendere nobis debet quis ille sit
» qui hoc affirmat. Certe dictio illa posita etiam hic unius
» personæ est indicativa. Quis autem est ille, quæso, qui
» loquitur, *Præter me non est Deus?* Audiat alium Prophe-
» tam, qui sic loquitur : *Præter me non est justus et Ser-*
» *vator.* Si duos Deos arbitretur esse, necesse est alter-
» utrum ut agnoscat, neque Deum nec Servatorem. Sin
» neque justus sit neque Servator, quo tandem pacto potest
» esse Deus? Unum etenim vult justum esse et Servatorem.
» Et iterum : *Ante me,* inquit, *non erat alius, et post me*
» *non erit. Ego Deus, et non est ultra me Servator.* Quod si
» alterius Propheticæ dictionis cupidus sit audiendæ, forte
» de se dictum ab Esaia, et sui simillimis, qui paria sentiant
» de deitate audiat : *Resipiscite, qui erratis, convertimini*
» *corde et reminiscemini priora, ab omni sæculo, quod*
» *ego ille Deus, et non est præter me.* Non dixit, Ego Deus,
» sed ut addito articulo *ille* unum Deum manifestaret. Quid
» autem et Osee propheta? nonne et hoc ipsum ille testifi-
» catur? *Ego eduxi te,* dicens, *ex Ægypto, et Deum non*
» *cognosces præter me. Non est qui servet præter me.* Rur-
» sus autem et Malachias ait : *Nonne Deus unus condidit*
» *vos? nonne pater unus erat omnium vestrum?* Sed ait
» quodam in loco Asterius, nihil de hoc prolocutum Davi-
» dem, qui tamen excepto Mose sit antiquissimus Prophe-
» tarum; atque hanc ob causam dubium fuisse utrum duos


» Deos substantia divisos profiteri deberet, an non. Quocirca » ne hoc vere dixisse arbitretur se, consequens est ut ostendam hunc quoque Vatem consimilia cum prædictis sanctissimis viris sensisse. *Audi,* inquit ille, *populc mi, et loquar tibi Israël, testificabor te, si me audias, non erit in te Deus novitius, neque adorabis Deum alienum : ego enim sum Dominus Deus tuus.* Qui dicit Ego sum, idque tam evidenter, an non fatetur ille Deum unum esse solum, hoc est semetipsum? »

CAPUT XX.

Quid causæ fuerit quod Moses et Prophetæ explicitam de Filio theologiam Judæis non tradiderunt.


Hæc omnia Marcellus, et adhuc plura, in abnegationem Filii Dei congessit; propter suam nempe ignorantiam : non enim recordabatur, propter Judæorum cordis duritiem, hanc ipsis doctrinam olim repræsentatam. Non enim poterat Spiritus ille sanctus hominibus adeo imperfectis et mente incapacibus, per Prophetas suos, suis numeris absolutam tradere pietatis in Deum rationem : ideo sacrificia præcepit facere; ideo corporis circumcisionem, et sabbata, et ciborum quorumdam abstinentiam, corporis ablutiones, corporales benedictiones, promissiones insuper non cœlorum regni, sed terræ lactis et mellis abundantissimæ. Dominus autem et Servator, interrogatus quomodo, cum præciperet Moses repudii libellum dare et dimittere uxorem, si cui ita allubescebat, ipse statuerit his contrarium, rationem reddit universalem, inquiens : « Moses propter duritiem cordium vestrorum ita scripsit : sed a principio non fuit ita[1]. »

[1] Matth. XIX, 8.



Quod et ipsum etiam respondisset, si quis interrogasset cur, cum Deum unum colere Moses, et post Mosem Prophetæ præciperent, nihil plane docuerunt nec scientiam illis insinuarunt de Filio. Neque enim illi poterant, tam frequenter abducti ab errore de deorum multitudine, Evangelicam illam gratiam percipere. Quocirca illius populi per id temporis informatores, propter duritiem cordium illorum, unius solius Dei doctrinam iis instillarunt : ut ab opinione abstractos de diis multis, ad unius deducerent cognitionem. Atque ita suo populo doctrinam tradebat Moses imperfectam, propter captum ipsorum et imperfectam intelligendi potestatem. Quocirca nec de conditis Angelis facit mentionem, in illa cosmopœiæ ratione describenda ; cum tamen Prophetæ illo posteriores Angelorum fecerint mentionem divinarumque potestatum et spirituum sanctorum, et Dei ministrorum supercœlestium, de quibus docuit et locutus est Daniel : « Millia millium ministrabant ei, et decies centies centena millia astabant ei[1]. » Quorum tamen mentionem silentio prorsus Moses involvebat, cum tamen ille eos non ignoraret, utpote qui exactam rerum omnium cognitionem ab afflatu divini Spiritus acceperat. Non tamen inter res creatas memorandas eorum meminit a Deo conditorum. Cujus rei causam non aliam reddiderimus, quam Judæorum duritiem cordis, quod et ipse Servator docuit. Sed et alia sexcenta in rerum extare universitate discas per novi Testamenti lectionem, quæ nusquam in historia Mosis comparent. Non meminit Principatuum, non Potestatum, non mundi dominantium, non spirituum iniquitatis, adversus quos lucta nobis intercedit, ut divinus Apostolus loquitur. Quid ergo refert ? si neque apud Mosem nec Prophetas reliquos invenire possemus horum rationes, num fides Apostolo detrahenda ? Aut cum meminerit ille ho-

[1] Dan. VII, 10.



rum ordinum excellenter supremorum, ubi ait Christum a dextris Dei considere super omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem, et omne nomen quod nominatur, sive in hoc sæculo, seu in futuro; et alibi cum nominet idem Thronos, Dominationes, et Principatus, et Potestates, ubi ait : « In ipso non enim condita sunt uni» versa tam quæ in cœlis sunt quam quæ super terram, vi» sibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, seu » Principatus, seu Potestates[1] : » num non par est ut admittamus ista, etiamsi Moses non fecerit nec Prophetarum ullus ullam de istis mentionem? Certe idem hic usurpandum nobis est, quod duri cervice et corde incircumcisi atque auribus neutiquam istis fidem adhibuissent, quibus ideo nihil de superna illa Jerusalem divini Prophetæ revelarunt; cum in Ecclesia Christi manifeste pronuntiat de illa Paulus : « Jerusalem vero quæ sursum est libera est, ma» ter nostra[2]; *et* : Appropinquastis ad Sion montem, et ci» vitatem Dei vivi Jerusalem cœlestem, et multitudinem » Angelorum, et panegyrin et ecclesiam primogenitorum, » qui descripti sunt in cœlis[3]. » Hic vero nobis dicat velim Marcellus, si de vetustis Scripturis proferre nobis possit doctrinam de istis : sin nullam inveniat, rationem tum expromat cur et ista et alia quamplurima his congenita abscondebantur a Prophetis, de quibus nostra vice Deum deprecabatur sanctissimus Apostolus, ut possimus « com» prehendere cum omnibus sanctis quæ esset latitudo, lon» gitudo, profunditas et altitudo, et cognoscere exceden» tem illam dilectionem cognitionis Dei[4]. » Sed et ipsemet Servator noster plura mysteria de regno cœlorum, de consummatione mundi, de promissionibus, nunc per parabolas, nunc latenter et occulte extulit; et discipulis intimavit, inquiens : « Vobis datum est nosse mysteria Dei. »

[1] Coloss. I, 16. — [2] Gal. IV, 2, 6. — [3] Hebr. XII, 22. — [4] Ephes. III, 8.

Quibus supparia non inveniet quis apud Mosem aut reliquos Prophetas. Quid ergo? cum non concessum fuerit Judæorum populo ista percipere, sed in tempus opportunum reservabantur Christi Ecclesiæ patefacienda; ideo nos oportet concessam nobis gratiam negligere? Imo vero majorem in modum gratias illi retribuere qui nobis hanc tantam scientiam impertivit. Ad istum ergo modum, quæ sunt de Dei Filio in novo Testamento prædicata, accipienda sunt, nec ut alienum quid minus acceptare, si quidem illi populo duro corde prædito, homines illi Dei, cognitionem de illo non tradiderunt, reservato in tempus opportunum de illo dispensatorio sermone. Non videbatur tunc temporis æquum esse ut hominibus ad errorem de diis multis facile arrepentibus, mysterium de Patre et Filio revelaretur; cum nihil de subjectis hisce potestatibus patefactum fuerit, nec per hunc prætextum illi ad Paganorum polytheiam dilaberentur, qui Jovem suum patrem hominumque deorumque vocare solent. Quocirca ut errorem hunc eliminaret Verbum illud Dei, *unum Deum* prædicabat : non tamen negavit eumdem esse Patrem; verumvero Deum illum adorare docuit, et præter illum nullum alium arbitrari Deum erudivit : sed minime inficiatur illum esse Patrem, si Dominum et Deum illum, et justum nominavit et Servatorem; non exclusit eum a titulo patris, tamen ut non esset pater unigeniti et dilecti sui Filii : sive ergo Pater seu Filius illud ait : « Ego sum qui sum, » omnino verissimum est quod abs utrovis dicitur. Nam et Pater est *qui sum*, cum sit solus super omnia, per omnia, et in omnibus Deus; quod nos divinus docuit Apostolus. Sed et Filius si dicatur *qui sum*, vere sic dicitur; cum solus sit Filius Dei unigenitus ejus *qui est*, cum sit « imago Dei invisibilis; » et eo ipso sit imago ejus, quod solus ipse sit *qui est;* adeoque vocetur et ille, *qui est*, cum et Deus sit et Dominus, simi-

liter atque Pater est et Dominus ac Deus : quomodo per Scripturas universas annuntiatur.

CAPUT XXI.

Quod Filius is Dei fuerat, qui cum Mose atque Abrahamo loquebatur.

Cognosci potest illud, ex illa cum Mose collocutione. Ait enim Scriptura : « Et locutus est Deus ad Mosem, et » dixit illi : Ego Dominus, et visus sum Abraham, et Isaac, » et Jacob. » Vides ut se affirmat patribus apparuisse. Quando autem apparuerit, Scriptura docet, inquiens : « Ap- » paruit Deus Abrahæ ad quercum Mambre, dum sederet » ad ostium tabernaculi sui. » Qua autem figura, nisi humana, apparuit ? Quis autem ille esset, nisi Filius Dei ? ut in Evangelio ipse docet Judæos alloquens : « Abraham pa- » ter vester exultavit ut videret diem meum : vidit autem, » et gavisus est : » attonitis autem ad sermonem illis adjecit : « Priusquam Abraham esset ego sum. » Ubi suam liquidissimo præexistentiam docet. Quid enim aliud intimavit illa dictio, quam quod ipsemet Filius Dei fuerat, qui cum Mose loquebatur et dicebat : « Ego sum qui sum ? » Nam se quidem Abrahamo visum affirmat. Jam qualiter erat, *Qui est,* ostensum est. Sed et magnus ille Apostolus Paulus agnoscit Filium Dei factum mediatorem Legis per Mosem datæ, in quibus loquitur : « Lex tradita per Angelos » in manu Mediatoris. Jam mediator unius non est. Deus » autem unus est[1]. » Ita mediator erat qui colloquebatur Mosi, etiam ante carnem assumptam mediator humanæ salutis. Hunc fuisse porro Jesum Christum statuit Apostolus,

[1] Galat. III, 19.

inquiens : « Unus Deus, unus mediator Dei atque hominum, » homo Jesus Christus. » Hinc igitur personaliter de se locutus est apud Mosem, *Ego sum*. Sive fuit Pater qui per eum hanc emisit vocem : utrovis modo res est cum veritate conjuncta. Ne hæreat ergo adhuc Marcellus, inextricabili usus, quemadmodum ipse retur, syllogismo, ubi scribit : « Quemnam jam existimat esse eum Asterius, qui dixit, *Ego sum?* » Filiumne? an Patrem? inferens deinde : Si quidem Pater » erat qui sic inquiebat, *Ego sum,* tum non est Filius Deus, » quod ex opposito *non existentis,* de se dixit, *Ego sum.* » Si Filium hypostasi differentem hoc ipsum protulisse di» cat, *Ego sum,* idem rursus de Patre usurpasse existima» bitur : horum utrumlibet dicat, impium est. » Et tamen hæc ita ubi statuerat, alterutrum ipse in absurdum incidit : unum dum statuit esse eum *qui est,* alterum pernegans. Quem vero tandem? forte ipse novit. Si Patrem admittat, cum neget Filium : aut Filio admisso, annihilabit Patrem. Vel potius neque Patrem posuisse neque Filium convincetur, cum unum solum admittat, alterum amoveat. Utcumque Deum audiat dicentem : « Ego Dominus Deus tuus, qui » eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis : non erunt » tibi dii alii coram me[1] : » ne conturbetur, nec mente trepidet, sed attendat quæ sequuntur statim. Cum enim dixerat, « Non erunt tibi dii alii præter me, » subintulit : « Non » facies tibi idolum, neque omnem similitudinem eorum » quæ sunt in cœlo sursum, aut in terra deorsum, aut quæ » sunt in aquis subter terram; non adorabis illa, non inser» vies illis : ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus zelo» tes[2]. » Vides ut præceperit id solum, ne ab errore Gentilitio de deorum multitudine abducerentur, sed solum ipsum Dominum atque Deum agnoscerent. Quis erat iste? nempe Filius, Patris imaginem in se habens : qui pro sua,

[1] Levit. XIX, 36. — [2] Id. XXVI, 1.

quam habuit, auctoritate idololatris ista in mandatis dedit. Nam, ut omnia Pater fecisse dicitur per Servatorem, qui suscepit omnium substantiam quæ generantur; ita et ipse Pater fuit, qui per Filium mediatorem pietatem et sui cognitionem hominibus communicavit. Hoc totidem verbis ad Galatas scribens Apostolus docebat : « Lex ordinata per » Angelos in manu Mediatoris. Mediator autem unius est : » Deus autem unus est[1]. » Et alibi ait : « Videte, quod ego » unus sum, et præter me non est alius Deus. » Pater hic erat, qui per Filium, tanquam imaginem et mediatorem, ista dixit : non enim cum Esaiam audimus prophetam dicentem, « Filios genui et exaltavi ; » et iterum : « Israël autem me » non cognovit, et populus meus non intellexit ; » et rursus : « Omnibus sideribus ego imperavi ; *et :* Manu mea firmavi » cœlum, » et quæ sunt similia : non ab Esaia ista, inquam, prolata dicemus, sed a Deo in ipso loquente. Quocirca eritne incongruum dixisse Patrem, per Filium suum unigenitum, hæc prælocutum affirmare apud eos qui istis indigebant mandatis et admonitionibus? Erant autem, quod testatur Scriptura, hi idololatræ. Dixit enim Dominus : « Ubi sunt » dii illorum, in quibus confidebant ; quorum de sacrificiis » adipem comedistis, et bibistis vinum de epulis eorum : » surgant et adjuvent vos, et fiant obumbracula vobis. » Nunc hisce verbis adunita sunt : « Videte videte, quod ego » sum, et non est alius præter me. »

CAPUT XXII.

Quod etiam in Prophetis Pater per Filium Deus prædicatur.

Licet ergo millies per Prophetam clamet, Præter me non

[1] Galat. III, 19.

est Deus; et, Præter me non est justus et Servator; et, Deum non cognosces præter me; et, Non est; qui servet præter me, et quæ his congemina feruntur in Prophetis cæteris : Deus erat et in Christo mundum sibi reconcilians, et ipse erat Pater ista per Filium unigenitum, veluti per interpretem quemdam, hominibus subinsinuans : sed et Filius quoque in Evangelio, ipse unum solum Deum intimare videtur, inquiens : « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum » solum Deum, et quem misisti Jesum Christum[1]. » Ille erat ergo verus Deus, qui unus solus est, et non est alius præter ipsum : qui non solum per Prophetas, sed et per Filium suum ista, tempori convenientia, idololatrico Judæorum populo præcipiebat. Quocirca Esaias, aut Deus potius per Esaiam ait : « Præter me non est Deus : quis ut ego? *etc.* Vos estis » testes, si quis sit Deus præter me. » Subintulit : « Quod » non erant tunc, qui fingebant et sculpebant, omnes vani » facientes quæ placebant illis. » Ubique autem per illius Prophetiam licet animadvertas inanimatas illas statuas flagellatas, et similiter apud singulos Prophetarum, unum Deum invenies celebratum, ut avertantur homines a deorum multitudine. Ad eumdem modum nos in congressu quocumque cum Paganis solemus doctrinam de Christo in tempus opportunum reponere, et in præsenti erroris idololatrici redargutionem proponere, et Dei unitatem demonstrativis rationibus stabilire : discat ideo Marcellus, si tamen qui obveteraverit cum episcopatu in Ecclesia Christi nondum didicerit, quod mysterii illius absconditi intelligentia vetusto illi populo non communicabatur de Filio Deo, propterea quod ab idololatria impendebat iis periculum; et quod Ecclesiæ tantummodo mysterium illud a sæculo et generationibus absconditum, reservabatur aperiendum ab ipsius gratia. In quo mysterio de sancta Trinitate

[1] Joan. XVII, 3.

ratio, de Patre, Filio et Spiritu sancto nimirum comprehendebatur. Atqui tam multa collegit in unum, quot vel de Judæorum gente circumcisa magister in Judaïca synagoga concionabundus coacervasset; et gloriatur se hæc Christi discipulis exhibere, dum ignorat quod multo adhuc plura Judæus secundum carnem protulisset: horum gratia hic insultat, non verecundatur autem quod theologicam verissimam de Servatore nostro rationem perverit.

CAPUT XXIII.

Quod Ecclesia non prædicat Deos duos.

Imprimis non intelligit dictum divini Apostoli, qui diversimode docet esse illum Dei imaginem, verbis a me propositis: unde par fuit ut intelligeret quod Ecclesia Dei non prædicat duos Deos. Nam nec duos ingenitos credit aut inprincipiatos, ut non semel diximus; sed nec duas substantias ex adverso introductas honore pares asserit; itaque neque duos Deos: sed unicum principium et Deum prædicat esse, Patrem scilicet unigeniti et dilecti Filii; unam quoque imaginem invisibilis Dei, quæ eadem sit cum unigenito et dilecto Filio, etiamsi dicat Apostolus, deificans Patrem: « Qui beatus et solus potens est; » et rursus: « Qui » solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam; » et iterum: « Regi autem sæculorum, incorruptibili, invisi» bili, soli Deo; » et iterum: « Soli sapienti Deo per Je» sum Christum sit gloria in sæcula sæculorum, amen. » Plura adhuc poterant allegari in Patris doxologiam: qui unus est, et super omnia Deus. Quorum omnium mens est ut intelligamus, Filium unigenitum Dei esse imaginem,

non ut in materia inanimi, sed ut in Filio vivo assimilatam; quin et ipse Servator cum Deum unum solum verum esse doceat Patrem, inquiens : « Ut cognoscant te unum solum » verum Deum : » sed non tamen gravemur, et verum Deum confiteri, et Filium veluti in imagine resultantem : ut additio illa *solus* soli Patri adaptetur, utpote qui imaginis sit archetypon. Quocirca clarissime ostendit divinus Paulus, ipsum esse imaginem effluentem, lucem Patris, et in forma Dei extitisse; quod in superioribus positum est a nobis. Veluti igitur cum unus subsistat pater, et unus de patre sit ortus filius, nemo prudens affirmaverit duos patres, aut filios duos; et veluti ubi rex unus est cum imperio, cujus imago ubique terrarum deferatur, nemo prudens duos dixerit esse reges, sed unum qui per et in imagine sua honoratur : eodem modo, ut jam pluries dictum est, Ecclesia Dei, quæ accepit unius Dei cultum, eumdem Deum per Filium, imaginem suam scilicet, adorare perseverat. Quod cum Marcellus ignoraret, imaginem illam Dei invisibilis dixit esse *carnem* Servatoris, quam Apostolus *servi formam* nominavit : minime recogitans quod secundum carnem Servatoris homines singuli imaginem circumgestent ejus. Corpus itaque quod assumpsit Servator, ille esse ingenitæ, ineffabilis, Paternæ deitatis imaginem asseverat : Filium autem unigenitum, per quem omnia subsistunt; « Nam om» nia per illum facta sunt, et sine illo factum est nihil, » negat imaginem esse Dei, totidem verbis scribens : « Quo» circa patet quod ante assumptum corpus nostrum, Ver» bum per se non erat imago Patris. » Videsis quam pervertat interpretando Apostoli mentem, cum Joannes Evangelista mysterium illud, quod Mosi et Prophetis abstrusius erat, cognitum annuntiaret et efferret magna prædicantis voce : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, » et Deus erat Verbum : omnia per ipsum facta sunt, et

» sine ipso factum est nihil[1]; » cumque testetur eum lucem extitisse illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum : « In mundo erat, et mundus per ipsum factus » est, et mundus eum non cognovit. » Quibus vocibus clarissime significat filialitatem, cum de Patre dicat : « Deum » nemo vidit unquam[2]; » de Filio : « Unigenitus filius, qui » erat in sinu Patris, is eum revelavit. »

CAPUT XXIV.

Quod Marcellus unigenitum Filium Verbum, verbis Dei agendorum instructivis assimilet.

Admirandus iste verborum Christi doctor, præcepta Dei et agendorum commonefactoria verba undecumque de Scripturis colligens, ejuscemodi describit : quod « in prin» cipio erat Verbum. » Attende autem quomodo hoc vult probare : scribit autem : Eorum doctores cum tantum non vererentur mentionem Verbi facere; quod ad hunc modum omnes divinæ Scripturæ prædicant. Unus enim dicit : « Verbo Domini firmati sunt cœli[3]. » Et iterum : « Emisit » Verbum suum et sanavit eos. » Et Salomon ait : « Quæ» rent me improbi, et non invenient : oderunt etenim sa» pientiam, et Verbum Domini non curaverunt. » Esaias quoque : « De Sion exibit Lex, et Verbum Domini de Je» rusalem. » Et Jeremias : « Pudefacti sunt sapientes, et » terrefacti sunt, et locuti sunt, quod Verbum Domini re» jecerunt. » Et Oseas : « Oderunt in portis increpantem, » et Verbum sanctum abominati sunt. » Michæas similiter Verbi meminit, ut Esaias : « De Sion, *inquiens*, exibit Lex,

[1] Joan. I, 1. — [2] Ibid. 18. — [3] Psal. XXXII, 7.

» et Verbum Domini de Jerusalem. » Hæc postquam et his similia coacervaverat, confirmatam suam retur ab istis sententiam. Vide autem quod diversa de Scripturis collecta testimonia in unum conjecit, missum Dei Verbum salutiferum illud et curativum confundens cum admonitorio agendorum verbo. Illud etenim : « Oderunt in portis » increpantem, et Verbum sanctum abominati sunt, » quodnam nobis subindicat verbum? prorsus illud quo de justis actionibus et sanctis homines commonefiunt Omnino : quidvis potius quam Filium Dei profiteri vult, tanquam qui mentionem ejus facere metueret. Nos novimus Dei Filium propriissime esse filium, vere unigenitum Dei : Verbum quoque eumdem esse probe novimus, sed non simile humano cuicumque verbo. At quale patet, æquum est extare Verbum Dei vivum, subsistens tanquam qui sit Filius. Is vero verbum indicativum et agendorum commonefactorium introducens, non immerito Filium Dei confiteri gravatur, quem reipsa abnegavit.

CAPUT XXV.

Qualiter sibi ipsi contraria scribat.

Non intelligit porro quod sibi ipsi contradictoria scribit; alicubi siquidem asseveranter statuit, nullum penitus de antiquo illo populo quidquam de Verbo cognovisse : « Nam erat mysterium absconditum, » inquit. Verba ejus sunt. « Quid aliud erat mysterium illud absconditum, quam » illud de Verbo? Nam erat hoc mysterium adeo olim in » Deo absconditum, ut e priori illo populo nullus plane » hoc ipsum intelligeret. Sed nobis jam concessa est frui-

» tio divitiarum gloriæ ipsius, et mysterii illius recondi-» tissimi. » Statim vero subinfert : « Sanctissimus vero Apo-» stolus et Domini discipulus Joannes, exertim et aperte » in exortu Evangelii, veluti qui doceret quod prius ig-» norabatur inter homines, Verbum Omnipotentis eum » nominat, ita inquiens : *In principio erat Verbum*[1]. » Ita contendit is per ista absconditum mysterium fuisse illud, Deum habuisse Verbum : Scripturas vero omnes nuper recitatas, et appositas Prophetarum voces, prædicare vult quæ sunt de Verbo, quas plurimas in hujus rei testimonium coacervavit. Ita non erat populo illi priori ignoratum hoc mysterium : universi enim noverant, et memoria tenebant et ore usurpabant Prophetarum illa oracula. At enim et de Judæis nobis Scribam repræsentat Christianus cum sit; non attendens quod Servator dixit : « Væ vo-» bis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ[2] ! » Illumque suspicit, quod cum jurejurando dixerit : « Quod unus Deus, et præ-» ter eum non est alius. » Quasi nesciret quod et dæmones credant et contremiscant. Nota mihi autem, quemadmodum de Propheticis Scripturis colligit quæ ad verbum illud pertinent quod est agendorum commonefactorium : quod ipsum fatebuntur se agnoscere vel Judæi, veluti qui ante nos hoc jam olim edocebantur. Sed nec ipsemet Sabellius hujuscemodi verbum ignorabat. Quam immerito idcirco flagellat Sabellium et Judæos, in excerptis a me de ipsius libro positis, quod Verbum ignorabant, cum nomen id ab illo scitum sit, quod Deum videre nemo poterat, sed nec ipsius Verbum intelligere, nisi imaginem induerat invisibilis Dei; carnem nempe intendens imaginem illam. Nam per solam imaginem cognosci potuisse Deum et ipsius Dei Verbum contendat, carnem asserens fuisse imaginem illam. Sed meminisse debemus in superioribus positum, quod

[1] Joan. I, 1. — [2] Matth. XXIII, 13.

absque carnali præsentia, Judæi omnes verbum Dei, et verba Dei quæ divinis Prophetarum scripturis insunt, ad sancta opera admonitoria, exactissime callebant, cum a teneris unguiculis hæc studiose recolerent, Deumque confiterentur universorum conditorem creatoremque; veluti manifestum est in illo Scriba, qui hoc ipsum asseverando confirmavit. Atque ista sufficient ut probetur hunc hominem Sabellizare. Reliquum jam illud est, ut percurramus Scripturas quas perversa interpretatione corrupit : ut quibus est in honore hic homo, intelligant omnes quod non tantum a fide recta deflexit, sed quod insuper sanctissimas et divinitus inspiratas Scripturas, nisi perverse non evolvat aut perscrutetur.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Quam perverse Marcellus interpretari ausus est sacras Litteras.

Magnus ideo Evangelista Joannes, Servatoris nostri divinitatem, ut præfertur, non uno modo annuntiavit : quomodo autem illam Marcellus abnegando, ad Judaïcam perfidiam erupit, ibi manifestatur. Quomodo vero perverse interpretatus est apertam et in confesso positam de eodem Servatore Scripturæ doctrinam, cum e multis aliis ipsius interpretationibus liquet, tum præcipue ex illa, de Proverbiis Salomonis, ubi introducitur Sapientia personaliter de seipsa ita prolocuta : « Ego Sapientia habito in consilio, et eruditis » intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum, ar» rogantiam et superbiam, et viam pravam : et os bilingue » detestor. Meum est consilium et æquitas, mea est et pru» dentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, et condi» tores legum justa decernunt. Per me principes imperant, » et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo, » et qui quærunt me invenient gratiam. Mecum sunt divi» tiæ et gloria, opes superbæ et justitia. Melior est fructus » meus auro et lapide pretioso, et genimina mea argento » electo. In viis justitiæ ambulo. In medio semitarum judicii » conversor, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum re» pleam. Si annuntiavero vobis quæ per dies creabantur,

» numeratim recordabor eorum quæ a sæculo. Dominus » possedit me initium viarum suarum ad opera sua; ante » sæcula fundavit me. In principio priusquam terram con- » deret, nondum erant abyssi, et ego jam concepta fui : » necdum fontes aquarum eruperant; necdum montes » gravi mole constiterant. Ante colles omnes ego parturie- » bar. Dominus fecit regiones, et inhabitabiles, et summi- » tates habitatas sub cœlo. Quando præparabat cœlos, ad- » eram ei. Quando separabat sibi thronum super ventos; » quando firmabat nubes supra, et librabat fontes aquarum » subter cœlum; quando appendebat fundamenta terræ, » cum eo eram cuncta componens. Delectabar per singulos » dies, ludens coram eo, ludens in orbe terrarum. Et deli- » ciæ meæ esse cum filiis hominum[1]. »

CAPUT II.

Quomodo illud, Dominus condidit me principium viarum ejus, *et quæ sequuntur, intelligi debeant; et quomodo Marcellus ea transtulit ad carnem Servatoris susceptam.*

Hæc de seipsa in Proverbiis Sapientia. Integrum vero locum necessario descripsi, ut appareat eamdem personam hæc omnia locutam, nec transitio sit intermedia de persona ad personam. Hæc igitur de seipsa docet et ostendit Sapientia. Ubi imprimis notetur, quod se indefinite Sapientiam vocet : « Ego enim, *inquit,* constitui consilium; » non adjicitur, *Sapientia Dei.* Sed prout scribitur ab Evangelista, *In principio erat Verbum,* indefinite; et rursus, *Verbum erat apud Deum :* nec dicitur, *Verbum Dei,* ne quis tanquam quiddam relative dictum autumet, neque

[1] Proverb. VIII, 12, 31.

tanquam accidens quoddam Dei; sed ut vivens et subsistens, unde addit, et *Deus erat*, non Dei erat, *Verbum* : ad eumdem modum de Sapientia loquitur. Unum erat enim atque idem Deus Verbum et Sapientia. Quocirca dicitur indefinite in Proverbiis, non solum in supra memoratis, sed istis insuper : « Beatus vir qui invenit Sapientiam[1]; *et :* » Deus in Sapientia fundavit terram[2]; *et :* Dixi sapientiæ, » soror mihi es; *et :* Tu annuntiato Sapientiam, ut adsit tibi » intelligentia[3]; *et :* Præstantior est Sapientia lapidibus pre- » tiosis[4]; *et :* Sapientia ædificavit sibi domum, et excidit co- » lumnas septem[5]; » et quæ his congemina in eodem libro reperiuntur. Ubique indefinite vocatur *Sapientia*, nusquam vero *Dei sapientia :* ut ne illam accidens quoddam Deo arbitremur, ut scientiam in viro intelligenti; sed subsistentem et vivam Sapientiam, eamdem ipsam cum Filio Dei. Quod si quis existimet hanc Sapientiam habitum esse quemdam in Deo sapientem, secundum quem dicitur Deus sapiens; audiat is Scripturam dicentem, *Dixi Sapientiam sororem tuam*. Quis vero adeo velit insanire, ut Deum existimet qui est super omnia, et suam sapientiam sororem dicat nominatim habitum eorum qui inter homines recta operantur? Quod si de Christo Dei accipiat quis illud dictum; nam Christus Dei potestas est et sapientia : nihil impedit hanc intelligentiam, quandoquidem ob immensum suum in humanum genus amorem non recusavit hanc fraternitatem. Quod si unum erat idemque Deus, et quæ in Proverbiis introducitur Sapientia, quæ sapiens quidam habitus est in illo intellectus, in quantum Deus sapiens; quid prohibet Deum hic pro Sapientia rescribi? ut sic, ubi dictum est, « Sapientia ædificavit sibi domum, et solidavit co- » lumnas septem, » et quæ sequuntur, dictum sit pro, « Deus » ædificavit sibi domum, » etc. et iterum pro eo, « Dixi Sa-

[1] Prov. III, 13. — [2] Ib. 19. — [3] Id. VII, 4. — [4] Id. III, 15. — [5] Id. IX, 1.

» pientiam sororem tuam, » dicatur, « Dixi Deum fratrem » tuum[1]. » Sed ut aures percutiat ista dictio, vides quam incongrua. Quod si de Filio Sapientiam capias, omnia bene fluent : nec occurret tibi quidquam hic impietatis, cum perhibeat tibi testimonium beatus Paulus Apostolus, qui pronuntiat clare Servatorem et Dominum nostrum Jesum Christum Dei Sapientiam nominandum, ubi ait : « Christus Dei » potentia et Sapientia. » His ad hunc modum ita apparatis, ad superius proposita consequens est, hoc, « Dominus con- » didit me principium viarum suarum ad opera ejus[2], » e persona ejus usurpari. Quod si dicat conditum illum fuisse, non ita dixit, quasi vellet intelligi eum de non ente ad esse processisse ; nec quod, ad modum creaturarum reliquarum, de non ente producebatur, quod nonnulli minus recte sunt arbitrati : sed quod subsistens et vivens ; sed quod præexistens et præsubsistens ante omnem mundi conditionem erat ; quodque a Domino suo Patre constitutus est omnium dominator, posito illo, *condidit,* hoc in loco, pro *constituit* vel *ordinavit.* Disertis verbis principes et duces inter homines, creaturam Apostolus nominavit, ubi ait : « Sub- » jecti estote omni humanæ creaturæ propter Dominum : » sive regi, ut excellenti ; sive principibus, ut ab illo mis- » sis[3]. » Et Propheta, qui dixit : « Præparare, ut vocetur su- » per te Deus Israël : propterea ecce firmat tonitru, et con- » dit ventos, et annuntiat inter homines Christum suum[4]. » Et illud : « Scribatur illa in generationem alteram, ut » populus qui conditur laudet Dominum[5]. » Illud, *condidit,* pro eo quod fuit sumptum est, quia jam ante erat. Neque enim tum condidit Deus spiritum, cum Christum suum per illum universis hominibus annuntiaret ; quia nihil novi est sub sole, sed erat et existebat ante : mitteba-

[1] Prov. VII, 9. — [2] Id. VIII, 22. — [3] I Pet. II, 13. — [4] Amos, IV, 13. — [5] Psal. CI, 19.

tur autem eo tempore, cum in unum congregati Apostoli erant; cum ad instar tonitrus factus est sonitus ingens de cœlo, veluti descendente spiritu vehementiore, et repleti sunt Spiritu sancto. Atque ita Christum Domini in mundum universum annuntiarunt, juxta vaticinium quo dictum est : « Ideo ecce confirmans tonitru, et condens spiritum, » et annuntians in hominibus Christum ejus : » ubi illud, *condens,* ponitur pro mittens vel injungens. *Tonitru* autem Evangelii prædicationem designat. Sic qui dixit, « Cor » mundum crea in me, Deus [1], » non dixit tanquam non habens cor; imo orabat ille ut animus ipsi mundaretur. Sic dicitur et illud : « Ut duo creet in unum novum hominem; » hoc est, in unum ducat. Vide autem annon ejus quoque generis sit : « Induamini novum hominem, qui creatus est » secundum Deum [2]; » et illud : « Si quis igitur in Christo, » nova creatura : » et quæcumque hujuscemodi reperiri possunt ab iis qui excutient Scripturas sanctas. Ne mireris igitur, si metaphorice in illo passu, « Dominus condidit me » principium viarum suarum [3], » *condidit* vox posita sit pro constituit vel ordinavit, ad principium dandum vel imperandum. Quandoquidem cum in Evangelio dicatur a Servatore nostro, « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli atque » terræ, quoniam abscondisti ista a sapientibus et pruden» tibus, et revelasti ea parvulis [4] : » non hic peccatorum confessionem vult; quemadmodum alibi, ubi dicitur, « Confite» mini ad invicem peccata vestra [5]; » sed gratiarum actionem, propter parvulos : quasi diceret, « Gratias ago tibi, » Pater, Domine cœli atque terræ. » Ad hunc modum metaphorice usurpata sexcenta alibi Scripturarum inveniet qui per otium eas evolvet, alia etiam multiplicem habentia significationem, alia univoce de diversis rebus prædicata :

[1] Psal. L, 11. — [2] Ephes. IV, 24. — [3] Prov. VIII, 22. — [4] Luc. X, 21. — [5] Jac. V, 16.

de quibus longum esset nec præsentis temporis disserere. Ita et hoc in loco illud, « Dominus condidit me principium » viarum suarum, ad opera sua[1], » dictum est pro, *Dominus constituit me principatum obtinere super opera sua.* Atque ideo non dicitur simpliciter, *condidit me,* sed cum adjectione, *principium viarum suarum ad opera sua* : quod imprimis declarat vox Hebraïca. Si quis igitur genuinum sensum sacratissimæ Scripturæ investigare vellet, inveniet lectionem Hebraïcam non habere, *condidit me,* qua neque reliquorum interpretum aliquis usus est. Aquila legit : « Dominus possedit me, caput viarum suarum ; » Symmachus : « Dominus possedit me initium viarum suarum. » Sic et Theodotio : « Dominus possedit me initium viæ suæ. » Et non abhorret a ratione interpretatio. Erat enim ille, quem genuit Pater unigenitum, caput progeneratorum omnium, visibilium et invisibilium : quod ad exortum attinebat et salutem eorum. Ubi enim eum genuit, ita statuit eum omnium Servatorem, recapitulans in eo et per eum constitutionem universi, ut edocuit divinus Apostolus, inquiens : « Ut recolligeret omnia in Christo, quæ sunt in cœ» lis et quæ sunt super terram. » Adeo ut non modo omnia per ipsum substiterint, a non esse ad esse provenientia, sed insuper in se susciperet administrationem omnium et providentiam ; utpote qui λόγος esset, sapientia, vita, omnis boni atque pulchri plenitudo, quo per eum gubernentur omnia et conserventur. Hoc ipsum in ante positis divinis oraculis indicavit ipse, inquiens : « Per me reges regnant, et poten» tes justitiam determinant : per me magnates magnifican» tur, et principes per me dominantur terræ[2]. » Modo itaque inexplicabili per Sapientiam illam et providentiam universalem Filii Dei, universa administrantur. Hæc nos in prius positis edocuit ; hortaturque ut ab illo dependea-

1 Prov. VIII, 12. — 2 Ibid. 15.

mus : « Ego enim, *inquit,* diligentes me diligo. Qui me » quærunt, invenient[1]. » A contraria rursus via nos avertit, ubi addit : « Ego odio habui vias impiorum perversas. » Hæc et his similia ipse Filius Dei, ipse etenim Sapientia erat, in mandatis dedit. Atque ita in sequentibus mysticam sui cognitionem tradit iis quibus prior profuerat, inquiens : « Si » annuntiavero vobis, quæ de die in diem fiebant, necesse » est ut enumerem quæ a sæculo commemorantur. » Hoc est, Si vos velim docere illa quæ a me quotidie fiunt, necesse est ut vobis replicem opera mea ab initio sæculorum, et in memoriam revocem quod me Pater, qui genuit, constituit Dominum super omnia ; ut ita præsim ego viis ipsius, et imperem operibus ejus per me conditis. Quocirca consequenter intulit : « Dominus creavit me principium via- » rum suarum ad opera sua ; » aut secundum repræsentatam interpretationem, *Dominus possedit me.* Magna siquidem Dei possessio, erat Filius unigenitus ; eo quod ex ipso genitus Filius erat ejus : eo autem quod omnibus proficiens et salutem afferens constituebatur, maxima et erat et nominabatur possessio sui Patris. Neque enim patri magis honorabilis et grata contigerit possessio, quam est filius. Unde et Adam ille protoplastes, cum primum possederat filium, ut homo dixit, *Possedi hominem a Deo :* ubi in Hebræo est pro possedi, *canithi ;* et pro possedit, *cana.* Sic de Abrahamo usurpatur : ager quem possedit Abraham, in Hebræo est *Cana,* quæ est eadem vox usurpata in, « Dominus » possedit me principium viarum suarum ad opera sua. » Unde cum ibidem vox *cana* sit, conspiranter omnes reddidere interpretes, *possedit.* Illud vero, *condidit,* rejicitur ab Hebræis, nec in præsenti Scriptura reperitur. Plurimum vero differt ἔκτισε, *creavit,* et ἐκτήσατο, *possedit :* cum illud significet, communi notione, creaturarum processum de

[1] Prov. VIII, 17.

non esse ad subsistere; hoc vero, rei præexistentis possessionem, et proprietatem peculiarem possidentis. Inquiens ideo Dei Filius, « Dominus condidit me principium viarum sua» rum ad opera sua, » simul et ejus indicat præexistentiam, et peculiarem ad Patrem proprietatem; nec non utilitatem quam paterna ejus opera de illius administratione et providentia perceptura erant : inde et infert : « Ante sæcula fun» davit me. In principio, priusquam terram faceret, ante» quam prodierint fontes aquarum, priusquam montes » stabilirentur, ante omnes colles genuit me[1]. » Quibus singulis declaratur quam fuerit ille utilis et necessarius rerum universitati; doceturque quod et erat, et ante erat, et ante mundum universum subsistebat, et rebus omnibus præsidebat. Cum enim in historia creationis Moses supercœlestium et invisibilium potestatum mentionem non fecisset omnino ullam, propter illorum imperfectionem qui erudiendi erant per illum; at mundi invisibilis productionem obiret et quatuor elementorum, fecisset in principio mentionem cœli, terræ, abyssi et aquæ : istorum duo a Deo creata dixit; nam ait : « In principio creavit Deus cœlum et » terram. » At non ad hunc modum de aqua et abysso locutus est, quasi et illa a Deo producta fuissent; sed simpliciter dixit : « Et tenebræ erant super abyssum, et spiritus » Dei ferebatur super aquas. » Necessario per prædicta docuit, ut et Filius Dei, quod genita erant, et quod ipse ante illa omnia fuit, et per ipsum omnia condita sunt : ideo ait : « Ante sæcula fundavit me, in principio, priusquam ter» ram conderet, et priusquam abyssos faceret, priusquam » scaturirent fontes aquarum. » Istorum trium, terræ, abyssi, aquarum, facta mentione, quartum et præstantius ad postremum locum reservavit, cœlum nempe; unde ait deinceps : « Quando parabat cœlos aderam una cum eo. » Quæ

[1] Prov. VIII, 25.

cum tam evidenter in divinis Scripturis proponantur, et brevi quadam, veluti per epitomen, enarratione sint a nobis exposita; audiamus quomodo Marcellus, dejecta in humum interpretatione sua, hæc omnia et singula de suscepta carne contendit usurpari. Ita enim scribit: « Hoc ad » hunc modum posito consequens est, ut consideremus Pro- » verbiale illud caput, *Dominus condidit me principium* *viarum ejus.* Vere enim condidit, qui quod non erat fecit, » Dominus noster Deus. Carnem enim quam assumpsit Ver- » bum, cum non esset, condidit et subnectit. Igitur in novis- » simo maxime tempore, licet hoc novum mysterium reve- » labatur: ut ob id ipsum non immerito prævisum Propheta » dixerit, *Ante sæcula fundavit me,* carnem nempe intelli- » gens. Et infert iterum: *In principio,* inquit, *priusquam* » *terram conderet.* Terram quamnam? nostram nimirum car- » nem, quæ post transgressionem terra demum facta fuit. » *Nam terra es,* inquit, *et in terram revertere.* » Vides quantum ille aberravit a recta via devius; viam sibi adinveniens asperam, impermeabilem, difficulter transeundam. Vide ergo qualiter ille impudenter omnia et profligato pudore potius eloqui maluit, quam qui Dei Sapientia est ut Filium velit confiteri. Illud ergo, « Dominus creavit me principium viarum » suarum, ad opera sua, » ad personam retulit Servatoris; confessus illud eumdem esse qui in Proverbiis hæc profatur. Ait igitur hisce totidem verbis: « Quocirca cum vetusta » omnia præterfluxerint, futura autem essent omnia nova, » per et propter nobilitatem Servatoris nostri, Dominus nos- » ter Christus per Prophetam proclamat, inquiens: *Domi-* » *nus condidit me, principium viarum suarum.* » Hæc prolocutus, ad carnem Servatoris cogitationem suam dejicit, in sequentibus inquiens: « Vere enim condidit, qui non » ens creavit, Dominus noster Deus. Nam carnem non exis- » tentem suscepit nostram Verbum, et cum susciperet, prin-

» cipium viarum suarum fecit. » Nec intelligit vir optimus quod et unica dictio et persona quoque unica sit qui dixit, « Ego Sapientia consilium constitui; *et :* Dominus condidit » me. » Quorum utrumque vel utrumlibet de carne prædicatur : quod sic plane utrumque et Sapientia erit quæ et hoc dixit atque illud. Quod si ex sententia Marcelli caro dicat, « Dominus creavit me principium viarum suarum, » illa erit Sapientia, atque caro, quæ dicit, « Per me reges regnant, » et per me magnates magni fiunt. » At quomodo dicere poterit caro, « Memorabo eorum quæ sunt a sæculo? » quibus subnectit : « *Dominus condidit me principium viarum* » *ejus*. Quænam vero sint illæ viæ, docet in sequentibus : » ita enim ille nobis, qui secundum rationem justam instituere vitam volumus, pietatis via factus est, principium » viarum omnium posteriorum. Addit autem principium » viarum ob hoc ipsum Dominum esse et Servatorem nos» trum, propterea quod viarum quas ingressi sumus post » primam viam, principium extitit. Innuit autem traditio» nes acceptas a divinis Apostolis, qui secundum Prophe» tias, una cum altissimo illo præconio, novum hoc myste» rium nobis annuntiarunt. » Hactenus Marcellus.

CAPUT III.

Refutatio eorum quæ perverse commentatus est ad loca, et orthodoxa eorum interpretatio.

Si neque Mosis nec Prophetarum post Mosem scripturas admitteret Marcellus, probabilem fortassis rationem haberent quæ ab eo profecta sunt. At cum non sit ex eorum numero qui vetus recusant Testamentum, quorsum et Apo-

stolos et illorum doctrinam *vias* nominavit? Neque animum advertit Dei Prophetis, qui sexcenta quædam de viis Domini scripserunt. Moses autem imprimis ita scripsit : « Via » regia proficiscere[1]; » et : « Ecce posui ante faciem tuam » viam vitæ et viam mortis. » Et David similiter : « Novit Do» minus viam justorum, et via impiorum peribit. » Et Jeremias : « State in viis, et interrogate de semitis Domini æter» nis, et videte quæ sit via bona, et in illa ambulate. » Sed et singulos Prophetas invenies fecisse mentionem *viarum Dei*. Si igitur Servator et Dominus noster Jesus Christus se initium viarum Domini doceat, in quibus ait, « Dominus » condidit me principium viarum suarum, ad opera sua : » omnino ille et Mose antiquior, et Prophetis erit, et iis omnibus qui adhuc ulterius secundum vias Dei vixerunt. Sed nón erat caro quam assumpsit hisce omnibus antiquior : itaque non recte de carne interpretantur oraculum illud. Quocirca non locutus est ista Servator propter carnem, sed quod præexistebat ipse, et viam ducebat viis Domini universis, in quibus qui erant olim « Deo dilecti omnes am» bulaverunt[2]. » Quandoquidem et divinus Apostolus dixit : « O profundum divitiarum, et sapientiæ, et cognitionis Dei ! » quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et impervestiga» biles viæ ejus ! » aliam quamdam viam ille indicavit, universitatis rerum curatricem, per quam ineffabili quodam judicio et rationibus quibusdam non comprehendendis universa gubernat, pro divina sua potestate : consequens certe est ut harum viarum quoque principium statuamus illum qui dixit : « Dominus condidit me principium via» rum suarum, ad opera sua. » Quod Marcellus non intelligens, vias Domini statuit esse carnem Servatoris nostri : interpretatur et illud quoque in hunc sensum : « Condidit » me principium viarum suarum ad opera sua. » Quænam

[1] Num. xxi, 22. — [2] Rom. xi, 33.

autem opera vult? illa nimirum : de quibus Servator ait « Pater meus adhuc operatur, et ego operor; » et rursus : « Opus perfeci illud, quod dedisti mihi. » Subjungit porro, quasi sententiam horum explicans : « Quisnam ante factam » per opera demonstrationem, credidisset quod Verbum Dei » per Virginem generatum, nostram carnem suscepisset; » et tamen universam deitatem in se corporaliter residen- » tem demonstrasset? » Et veluti qui sententiam perfecte explicuerat, addit : « Hoc igitur est : *Dominus condidit* » *principium viarum suarum ad opera sua.* Hæc autem scripsit non valens suæ mentis oculos sursum attollere, nec perinde ac Propheta dicens : « Quando intuebor cœlos » opera digitorum tuorum; lunam et stellas, quas tu fundas- » ti[1]; » nec in memoriam revocans Prophetæ dictum, quo ait : « Opera autem Domini non intuebuntur, et opera manuum » ipsius non intelligent. » Nam si ad ista attendisset animum, illud utique cognoscere potuisset, quod ante cœlum et terram, ante mundum universum; nec ante sola visibilia, sed et invisibilia, et ante opera Dei intellectualia, quæ in potentiis relucent incorporeis et extramundanis, *erat* et præerat is qui ista loquitur. Ille autem transitione facta ad illud, *Ante sæcula fundavit me,* in medium denuo adducit carnem, inquiens : « Ita in carne ejus præordinatam œconomiam vocat *fundamentum,* quemadmodum et Apostolus loquitur : *Fundamentum nemo aliud potest ponere,* » *præter illud quod positum est, qui est Jesus Christus*[2]. » Addit : « Unius autem sæculi isthic meminit, in quo ea quæ » ad Christum spectant fundata esse dicit, cum tamen » plura præteriissent sæcula : quod et David affirmat, in- » quiens, *Qui erat ante sæcula.* » Progressus hinc ad illud, *In principio, priusquam terram conderet,* ibi denuo terram esse carnem asseverat. « Quamnam vero terram? *ita*

[1] Psalm. LXXXIV. — [2] I Cor. III, 11.

» *ait :* certe non aliam quam carnem nostram, quæ post » transgressionem terra demum facta fuit. *Terra es enim,* » inquit, *et in terram reverteris :* illa etenim persananda » fuerat. » Hæc autem ita posuit, non recordatus, pro sua sapientia, quod dicitur, priusquam terra conderetur, creatam dici carnem principium viarum Dei. Quod si vero per terram indicare voluit carnem, quomodo cogitur confiteri non extitisse ante carnem, qui dicit se priusquam terra conderetur extitisse ? Nam « ante sæculum, *inquit,* fundavit me, » in principio, antequam terram faceret. » Atque ita qui ista de se dixit, certe existebat ante carnem. Nec refert, quod non meminerit plurimorum sæculorum, sed unius, cujus et Servator meminit, inquiens : « Filii hujus sæculi » dant et accipiunt in matrimonium [1]. » Atque ita non caro quam suscepit Servator noster ante præsens hoc sæculum existebat, sed ille qui hæc eadem per Salomonem docuit. Vides ille in quas angustias se conjecerit, qui de regia et recta via declinavit. Ad illa autem dicta superius et ista addit : *Priusquam conderet abyssos.* Hic, inquit, abyssos proverbialiter Propheta sanctorum corda appellavit, quæ in sua profunditate Spiritus dona continebant : nec intelligit quod antequam in carne Servator adveniret, sancti Dei Prophetæ ejusdem Spiritus participabant ; Moses nimirum et adhuc illo vetustiores. Itaque necesse est antiquiorem his abyssis (si modo sanctorum corda sint abyssi) extitisse illum qui dixit, *Priusquam abyssi conderentur,* etc. Quomodo igitur ad carnem Servatoris referri poterant ? Certe, si vel tantillam divinarum Scripturarum cognitionem haberet, non ita leviter et facile determinasset sanctorum corda esse istas abyssos ; instanter addit enim Moses, quod tenebræ erant super abyssum. Multiplex sed inextricabilis de istis sermo seritur in divinis Litteris : nam Apostolus

[1] Luc. xx, 34.

autem opera vult? illa nimirum : de quibus Servator ait « Pater meus adhuc operatur, et ego operor; » et rursus : « Opus perfeci illud, quod dedisti mihi. » Subjungit porro, quasi sententiam horum explicans : « Quisnam ante factam » per opera demonstrationem, credidisset quod Verbum Dei » per Virginem generatum, nostram carnem suscepisset; » et tamen universam deitatem in se corporaliter residen- » tem demonstrasset? » Et veluti qui sententiam perfecte explicuerat, addit : « Hoc igitur est : *Dominus condidit* » *principium viarum suarum ad opera sua.* Hæc autem scripsit non valens suæ mentis oculos sursum attollere, nec perinde ac Propheta dicens : « Quando intuebor cœlos » opera digitorum tuorum; lunam et stellas, quas tu fundas- » ti[1]; » nec in memoriam revocans Prophetæ dictum, quo ait : « Opera autem Domini non intuebuntur, et opera manuum » ipsius non intelligent. » Nam si ad ista attendisset animum, illud utique cognoscere potuisset, quod ante cœlum et terram, ante mundum universum; nec ante sola visibilia, sed et invisibilia, et ante opera Dei intellectualia, quæ in potentiis relucent incorporeis et extramundanis, *erat* et præerat is qui ista loquitur. Ille autem transitione facta ad illud, *Ante sæcula fundavit me,* in medium denuo adducit carnem, inquiens : « Ita in carne ejus præordinatam œcono- » miam vocat *fundamentum,* quemadmodum et Aposto- » lus loquitur : *Fundamentum nemo aliud potest ponere,* » *præter illud quod positum est, qui est Jesus Christus*[2]. » Addit : « Unius autem sæculi isthic meminit, in quo ea quæ » ad Christum spectant fundata esse dicit, cum tamen » plura præteriissent sæcula : quod et David affirmat, in- » quiens, *Qui erat ante sæcula.* » Progressus hinc ad illud, *In principio, priusquam terram conderet,* ibi denuo terram esse carnem asseverat. « Quamnam vero terram? *ita*

[1] Psalm. LXXXIV. — [2] I Cor. III, 11.

» *ait :* certe non aliam quam carnem nostram, quæ post » transgressionem terra demum facta fuit. *Terra es enim,* » inquit, *et in terram reverteris :* illa etenim persananda » fuerat. » Hæc autem ita posuit, non recordatus, pro sua sapientia, quod dicitur, priusquam terra conderetur, creatam dici carnem principium viarum Dei. Quod si vero per terram indicare voluit carnem, quomodo cogitur confiteri non extitisse ante carnem, qui dicit se priusquam terra conderetur extitisse ? Nam « ante sæculum, *inquit,* fundavit me, » in principio, antequam terram faceret. » Atque ita qui ista de se dixit, certe existebat ante carnem. Nec refert, quod non meminerit plurimorum sæculorum, sed unius, cujus et Servator meminit, inquiens : « Filii hujus sæculi » dant et accipiunt in matrimonium [1]. » Atque ita non caro quam suscepit Servator noster ante præsens hoc sæculum existebat, sed ille qui hæc eadem per Salomonem docuit. Vides ille in quas angustias se conjecerit, qui de regia et recta via declinavit. Ad illa autem dicta superius et ista addit : *Priusquam conderet abyssos.* Hic, inquit, abyssos proverbialiter Propheta sanctorum corda appellavit, quæ in sua profunditate Spiritus dona continebant : nec intelligit quod antequam in carne Servator adveniret, sancti Dei Prophetæ ejusdem Spiritus participabant ; Moses nimirum et adhuc illo vetustiores. Itaque necesse est antiquiorem his abyssis (si modo sanctorum corda sint abyssi) extitisse illum qui dixit, *Priusquam abyssi conderentur,* etc. Quomodo igitur ad carnem Servatoris referri poterant ? Certe, si vel tantillam divinarum Scripturarum cognitionem haberet, non ita leviter et facile determinasset sanctorum corda esse istas abyssos ; instanter addit enim Moses, quod tenebræ erant super abyssum. Multiplex sed inextricabilis de istis sermo seritur in divinis Litteris : nam Apostolus

[1] Luc. xx, 24.

» nes maris; ambulasti per vestigia abyssi : » cum vero et super cœlos aquarum mentio fiat in Scripturis, utputa ubi legitur, « Laudate Dominum, cœli atque aquæ quæ sunt » super cœlos : » consequens est ut quæ sit illarum aquarum natura dispiciamus, quinam sint illarum fontes; ut et hisce antiquior ille declaretur, qui ait se extitisse cum nondum prodirent fontes illarum aquarum. At vero nulli horum advertens animum Marcellus, nec in iis indagandis collocans operam, in sententia sua persistit. Nam et illa, « Priusquam montes firmarentur; *et,* Ante omnes colles » genuit me, » ad eumdem modum interpretatur, *montes* et *colles* Apostolos esse inquiens, et Apostolorum successores: ut proverbialiter, præter morem apud alios usurpatum, justam reipublicæ administrandæ formam significaret. Quocirca fontes, et montes, et colles idem significabant. Sed veluti secundum naturam non est ut qui oculis cernuntur fontes atque montes, iidem sint (neque idem aquarum fontes habent aliquid commune cum montium cacuminibus); pari modo, et in illis quæ allegorice intelligenda sunt, instituenda est diversitas inter illa quæ per fontes, colles, montes intelliguntur. Ille autem nihil trutinatum intelligens, sed omnia permiscens, quæ est ipsius animi levitas, eosdem utique per omnia designat, *fontes* aquarum, et *montes* atque colles. Hæc insuper omnia Apostolos esse ait, differentiæ nulla habita ratione. Quorsum igitur illos qui per justitiam et pietatis cultum ante Servatorem incarnatum consummabantur, *montes* et *colles* non appellavit? Nimirum quod priorem illis non poterat Servatoris carnem substituere. Est ergo violenta nimis et coacta interpretatio dictionum jam commemoratarum, si referantur ad carnem illam Servatoris. Quomodo autem et illud, *genuit me,* ad carnem queat adaptari? se certe genitum affirmat ante *fontes,* ante *montes,* ante *omnes colles,* ubi ait; « Dominus condidit me prin-

» cipium viarum suarum ad opera sua ; ante sæcula funda-» vit me. » Si caro ista diceret, ut Marcello visum, quomodo caro dixerit : « Ante omnes colles gignit me ? » Esto enim fuerit ante Apostolos caro, at quo pacto seipsum ipsa a Deo factam dixerit ? Visum est Marcello affirmare carnem, cum non extaret prius, conditam fuisse. Ait enim : « Revera » creavit, qui quod non erat fecit, Dominus noster Deus. » Carnem enim Verbum sumpsit quæ non erat, sed con-» didit illam quæ non erat. » Novimus ita illam conditam, at genitam a Deo illam quomodo dicetur, cum affirmet Servator, « Quod de carne gignitur, caro est, » et Apostolus inquiat : « Factus de muliere, factus sub Lege ? » Quomodo igitur caro de Deo universorum dixerit, « Ante omnes colles » genuit me ? » Ita arbitror unicuique jam patescere, quam coactam hæc admittant interpretationem. At sine omni violentia dixerit quispiam, in Filium Dei semota allegorica figura omni ista vere convenire. Nam et ante tellurem subsistebat ; erat, et præerat, priusquam prodirent naturales aquarum scaturigines, ante abyssos commemoratas, priusquam terræ figura esset ordinata per montium et collium surrectiones : « Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine » ipso factum est nihil. » At si quispiam hic interroget cur se non dixerit præextitisse ante cœlos, et ante ea quæ sunt in cœlis ; aut quæ supra sunt, ante divinas et supermundanas potestates et spiritus : dicetur quod eorum non meminit Scriptura, propterea quod per hæc Proverbia pædagogia quædam animo infantibus protendebatur; quod satis patet, cum dicatur interdum : « Attende, fili, ad instructionem pa-» tris tui, et ne rejicias leges matris tuæ ; » aliquando : « Fili, » adverte animum ad leges meas, et aurem accommoda ver-» bis meis ; » et iterum : « Fili, ne contemnas instructionem » Domini, et cum ab illo increperis, ne deficias; *et :* Fili, » si tibi probus fueris, probus itidem eris et vicinis. Quod

» si improbus evadas, tum solus certe exhauries mala. » Innumera his similia de Proverbiorum libro per seipsum quis collegerit negotio nullo, quibus illud liquet Verbum ibi sermones instituere cum animo admodum pueris. Ad istum modum et Moses imperfectorum secundum animos pædagogus cum esset, cœli et terræ et visibilium commeminit conditura : non autem creationis Angelorum, nec divinarum potestatum, nec sanctorum spirituum ; eo quod non possent capere doctrinam istam illi qui in disciplinam ei tradebantur. Ut nec injuria Verbum, dum loquitur hic in Proverbiis, ad istiusmodi auditores doctrinam suam a terrenis montibus deducat, a collibus et aquarum scaturiginibus, utpote a magis cognitis; atque ita exorsus ab inferius positis, informandos quasi manu deducat ad eximiora, et a minutioribus sic ad magis divina transcendere illos faciat. Hæc ita esto, si non ultra voces quis curiosius inquirat. Quod si quis profundiorem harum rerum intelligentiam percipere velit, certe non magis ea ad Apostolos quam quosvis justos et dilectos Deo retulerit; et ita transcenderit inde ad divinas et Angelicas potestates : per montes et colles designari intelligens Angelorum et Archangelorum et divinorum spirituum differentias, Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates. Jam vero quod ista omnia per illum et ad illum creata fuerint, et quod ante ista omnia ipse subsistebat, divinus docet Apostolus, inspiratus, ut par est credere, divinitus, cum in persona Filii Dei hæc usurparet : « Priusquam montes fundarentur; ante » omnes colles genuit me. » Et alia quidem omnia facta dicit, solum vero ipsum genitum ante constitutionem supradictorum. Novit autem idem Apostolus et Jerusalem cœlestem, et montem in quo illa conditur cœlestem, ubi ait : « Accessistis ad montem Sion, et civitatem viventis » Dei, Jerusalem in cœlis, ad multitudinem innumeram

» Angelorum, panegyrin et ecclesiam primogenitorum in » cœlis descriptorum. » Ante ista quidem omnia existens unigenitus Dei Filius, quæ ad ipsius ineffabilem spectabat generationem abscondite in Proverbiis intimavit. Et quod hunc subesse sensum volebat, intelligi patet ex iis quæ statim adjungit : « Cum cœlos appararet, illi præsens affui. » Hic jam egregius Interpres Scripturarum exclusus substitit, nec transire potuit; quod consequentiam reddendæ suppositionis de carne Servatoris complanare nequiret. Mentione enim facta susque deque carnis, et omnia quasi dicta de carne exposita proponens (nam ad usque montes et colles evasit, quos Apostolos arbitratur esse), quæ sequuntur silentio deinceps lubens transmisit, non ausus ulterius in Scripturis progredi. Atque ita fabulam orationi apposuit. Post quamplurima intermedio sermone transacta, ab acceptione illa carnali resilit, fassus Dei Verbum ista prolocutum. Verba ejus sunt : « Priusquam esset mundus, erat » jam Verbum in Patre. Cum vero omnipotens Deus om- » nia ea condere apud se constituerat quæ sunt in cœlis » et super terram, mundi certe productio efficaci opera- » tione indigebat : et cum præter Deum, nihil prorsus esset » (nam ponitur in confesso quod fuerint omnia ab illo » condita), tum procedens Verbum factum est mundi con- » ditor, quod existens prius intus illum ipsum apparabat, » quemadmodum nos propheta docet Salomon : *Cum ap-* » *pararet terram, una præsens aderam*; et : *Cum fontes* » *qui sub cœlo sunt firmos poneret, et solidaret firmamen-* » *ta terræ, eram apud eum adaptans ea. Ego eram, in* » *qua oblectabatur*. Proculdubio siquidem gaudebat Pater, » cum per Verbum suum sapienter et potenter hæc omnia » faceret. » Hæc Marcellus. Qui si vix tandem agnovit hæc in persona Verbi dicta esse, necessario confiteri cogetur universam ibi dictorum compagem de eodem Dei Verbo

usurpatam. Nam qui dixit, « Cum præpararet cœlum, ei » aderam, » idem, Verbum scilicet erat, qui et dixit : « Do» minus condidit me principium viarum suarum ad opera » sua. » Una etenim eademque persona repræsentabatur, in principio hujus passus, quæ et omnia deinceps exequebatur. Ille ergo qui dixit, « Dominus condidit me principium » viarum suarum, » subintulit illud : « Ante sæcula fundavit » me ; *et :* In principio, antequam terram conderet ; *et :* An» tequam montes firmarentur, ante omnes colles genuit me ; » *et :* Cum præpararet cœlos, ei aderam. » Isque idem et sequentia apposuit : « Quod si Verbum erat is qui ista dixit, » quomodo erat intus in Deo, coingenitus Deo, unum exi» stens idemque cum eo ; et tamen se conditum et genitum » profitetur ? Nam unica persona, quod dictum est, demon» stratur universa illa quæ dicta sunt complexa. » Quod si tandem, sero licet, confiteatur hæc in persona Verbi, quod in Deo erat, dicta esse, certe violentum deprehenditur, et coactum, quod ad carnem Servatoris referebatur ; et ea ita omnia cruda, inepta et vana manifestantur. Quod si caro Servatoris locuta est, « Dominus condidit me principium via» rum suarum ad opera sua, » ut ipsi visum est interpretari ; et si caro ante sæcula fundatur : et in principio, priusquam terram conderet. Terram ut vult carnem dixit, eo quod dicebatur, « Terra es, et in terram revertere. » Et si caro erat quæ dixit, « Priusquam faceret abyssos, priusquam scaturi» rent fontes aquarum, priusquam montes firmarentur, ante » omnes colles gignit me ; » quod illa caro nempe progenita fuerat ante electionem Apostolorum, ut placuit huic prudenti viro : sequitur tum certe et in persona ejusdem carnis illud dictum : « Cum pararet cœlos, aderam ei. » At nemo non amens hanc admiserit interpretationem : magna etenim voce reclamabit ipse veritatis sermo, et quis erat qui hæc loquitur edocebit. Quocirca quod diversus erat ille de Deo

genitus Filius, unigenitus, vivens, subsistens, et anteuniversitatis conditionem ens, ipse docet, dum sic ait in sequentibus : « Cum pararet cœlos, ei aderam. » Una cum eo erat, et præsens illi affuit priusquam cœlum et quæ sunt supra cœlos conderentur, et quæ in cœlis. Hoc etenim illa indicant : « Cum pararet cœlos, ei aderam. » Quo pacto paravit cœlum Deus? Certe præscribendo et conformando mundi figuram apud se, priusquam produceretur illa. Pater ergo designabat, et cogitando statuebat, qua figura modoque cœlum illud condere vellet, quod nec a magnitudine destitueretur; et tali figura mensura partium symmetria constaret, quæ et apta esset recipiendis, includendis, et conformis externe advenientibus, et proportionata cursum per cœlum facturis. Ille autem, qui ad Paterna cogitata intuitive respiciebat, qui solus ejus profunda specularetur, ad opus se accinxit, sui Patris nutibus inserviturus. Unde alicubi dictum est : « Laudate Dominum de cœlis : laudate il-» lum in excelsis. Laudate illum omnes Angeli ejus : lau-» date eum omnes virtutes ejus. Laudate eum sol et luna : » laudate eum omnia sidera et lux. Laudate eum cœli cœ-» lorum et aquæ supra cœlos laudent nomen Domini. Quo-» niam ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit et creata » sunt. » Verum enimvero antequam cœlum istud fieret, et quæ sunt supra cœlos, et quæ in cœlo (nam omnia per unum condita esse demonstratur), erat Filius Dei, et suo Patri aderat cum adhuc cogitaret de istorum omnium creatione. Ideo ait : « Cum pararet cœlos, ei aderam. » Tum vero tanquam egregius quidam pictor archetypos, species de mente Paterna desumens, ad operum substantias transferebat : talia et taliusmodi ea effingens et producens, qualiusmodi in mente Patris præexistentia viderat. Horum quidem testis fide dignus sit ipse in Evangelio aiens : « Amen, amen » dico vobis, non potest Filius a seipso acere quidquam,

» nisi quod viderit Patrem facientem. Quæ autem ille facit, » eadem quoque similiter et Filius facit. Pater etenim diligit Filium, et omnia illi ostendit quæ ipse facit[1]. » Hic jure merito quis interrogaverit quomodo ea quæ Pater semel fecit, iterum Filius eadem fecerit? Quæstioni respondet ille ipse inquiens : « Quæ Pater facit, eadem et Filius similiter » facit. « Quocirca quæ facit Filius similitudinem referunt operum archetyporum, quæ jam ante in abscondita Patris mente extabant. Quæ cum in mente paterna indistanter intueatur, ad eorum similitudinem operatur. Quod vero intueatur profunda Patris sui, id amoris paterni opus esse manifeste docet, inquiens in sequentibus : « Nam Pater diligit Filium, et omnia ostendit ei. » Est hoc ergo indicium Patris ostendentis sua opera abscondita : quæ dum abscondita intuetur Filius, opere ipso consummat paterni sui consilii opera. Ad hunc modum cum adesset Patri, et una cum eodem fuisset semper, tum cum cœlum præpararet et quæ insunt cœlis hoc docuit inquiens : « Cum præpararet cœ» lum, illi aderam. » Sed et Pater, priusquam mundum conderet, in eo gaudebat, unigenitum suum Filium intuitus; et tanquam in speculo quodam semetipsum in illo contemplatus lætabatur. Quocirca, inquit Sapientia, ego eram in quo quotidie gaudebat. Sed et Filius ipse lætabundus gaudio replebatur in Patre suo conspiciendo; hoc siquidem ipse edocuit inquiens : « Lætabar autem ego coram illo omni » tempore; » quando lætabatur ob consummatum terrarum orbem. Ubi per terrarum orbem intelligebat universitatis complexionem, quam de non esse ad esse productam per Filium intuitus universorum Deus oblectabatur. Veritatis ratio de sacra Scriptura deducta breviter et per compendium, ista est. Ille autem desursum in carnem Servatoris infime positam mente sua detrusus abiit, pervertens simul

[1] Joan. v, 19.

et interpretatione depravans veram divinitus inspiratæ Scripturæ sententiam. Sed et ad Verbum facta transitione, ait, intus aliud ipsum in Patre, tanquam colloquendo cum eo et cogitando, cœtum præparasse. Loquitur autem disertis verbis. « Priusquam mundus conderetur, erat Verbum in » suo Patre : cum vero Deus omnipotens omnia, quæ in » cœlo et in terris sunt, producere proposuisset, mundi pro» ductio operatrice efficacia indigebat. Quocirca cum nihil » esset aliud præter Deum, (nam in confesso est omnia ab » illo facta fuisse) tum progrediens Verbum factum fuit » mundi conditor : cum jam ante intus intellectualiter il» lum præpararet, quod vates ille Salomon nos edocuit, « Cum cœlum præpararet, illi aderam. » Ubi notandum qualiter sponte sua obsurduit : nec agnovit, quod *una aderam,* vox significet Filii præsentiam apud Patrem. Contra vero Scripturam ipse sciscit, quod priusquam mundus produceretur, nihil erat omnino præter Deum ? Quam vocem emittere non exhorruit, cum tamen illa Filius abnegetur. Nec sacrarum Litterarum verecundia motus est, quæ testantur, quod ante mundi productionem ipse solus adesset Patri. Nam, « cum cœlos, *inquit,* pararet, aderam ei. » Præposito enim cum ad præsentiam annexa unius cum altero una præsentiam significat. Non ait ergo simpliciter se affuisse, sed una cum Patre fuisse. Et Pater non gaudebat solum, sed adlætabatur in præsentia Filii. Ait ergo, « Ego eram, in qua » delectabatur quotidie. » Adlætari vero Verbum in præsentia Patris qui dixerit, si Verbum non extaret in Deo subsistens, et significative operans ? Ita gaudere, et coram illo subsistentiam ipsius docet. His tamen insuper Marcellus habitis, Filium refutat. « Verbum vero, *inquit,* intus apud » Deum interdum prodiisse per facultatem suam operatri» cem : interdum intus conquievisse otiosum. » Nec advertit, quod qui dicat, esse aliquid intra et extra Deum, compo-

situm quid supponit, et corporalem passionem, quod nisi impie de natura incorporea non admittitur. At procedens illud Verbum, quomodo fiebat creator mundi? Num lingua et voce? quasi Deus dialecto uteretur. At cuinam colloqueretur, cum adesset nemo alius? cum quo conversaretur, præsente nullo? Sed eo modo secum colloquebatur, voce et dialecto usus, ut Verbum ex ipso progrederetur. Et qui tandem non hæc pro libito effecisset, per facultatem operatricem, cum intus in ipso esset Verbum : cum vel inter homines artifices plerique silentio perficiant opera sua; imo tum vel efficacissime operantur, cum nemo cum ipsis præsens adsit. Quid impedit, quo minus Deus ad hunc modum produxerit universa : cum in se haberet λόγον. At ille et imaginem proponit statuarii, ita cum suo animo sermones serentis, et seipsum alloquentis : « Age faciamus, age, fingamus statuam. » Nam ad istum modum confingunt universi conditorem Deum apud animum suum dixisse, *Faciamus hominem*, ut sæpius ostensum est in præcedentibus, unde satis opinor palefactum, abnegari ab illo Filium Dei. Sapit enim plane Judaïsmum affirmare, quod Deus, qui habebat intus Verbum suum, semetipsum allocutus sit ad istum modum. Sed dicere, ipsum esse Patrem Verbi ejus, quod in ipso erat : et Filium ejus esse, quod in ipso erat Verbum, planissimum est indicium Sabellianæ pravitatis.

CAPUT IV.

Quomodo Marcellus Scripturas non intelligens, unam eamdemque definiverit esse substantiam Patris, Filii et Spiritus sancti.

Quemadmodum et dicere tria esse, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, Sabellii est : quod Marcellus scriptis suis

censuit. Impossibile siquidem tres, quæ sunt hypostases, unitati aduniri : si non imprimis a monade Trinitas exordiatur. Illa enim sanctus Paulus in monadem recapitulari dixit, quæ neutiquam ad Dei unitatem spectant. Unitatem enim Dei sola, Verbum, et Spiritus spectant. Hæc in sequentibus confirmare nititur, inquiens : « Si idcirco videa» tur Verbum de Patre processisse, et ad nos advenisse; » Spiritus autem sanctus, quod et fassus est Asterius, a » Patre egreditur. » Rursus autem de Spiritu Servator ait : « Quod non loquetur de seipso, sed quæcumque audiet, » loquetur ea, et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille » me glorificabit, quoniam de me sumet, et annuntiabit » vobis[1]. » Non hic certe quidem aperte et perspicue appa» ret monas Verbo ineffabili extensa ad triadem, neutiquam » Verbo divisionis patiens. Si enim de Patre Verbum egredi » in consesso ponatur : tum et Spiritus de eodem Patre egre» diatur. Et si de Spiritu loquatur Servator : « Ille de me » sumet et annuntiabit vobis[2]. » Certe non est in proclivi » ita positum, sed tamen absconditum quoddam mysterium » revelatur. Nam nisi monas indivisibilis cum sit, in triadem » dilataretur, quomodo de Spiritu concedendum est inter» dum Servatorem loqui, quod procedat e Patre? interdum » vero, « Ille de me accipiet, et annuntiabit vobis[3] ? » Atque » iterum in discipulos spirare, et dicere, *Accipite Spiritum* » *sanctum*. Nam si e Patre procedit, quomodo hoc a Filio » ministerium accipere per promissionem poterit? Necesse » est enim, si duæ sint, ut Asterius dicebat, divisæ personæ, » ut vel Spiritus, qui de Patre procedit, non indigeat a Fi» lio functione delegata aliqua (nam quod de Patre proce» dit, omnino necessario perfectum est, nec ullius alterius » indiget auxilio) aut si de Filio procedat, et ab illo sumat, » et gratiam de illius ministerio suppeditet, non jam ut de

[1] Joan. XVI. 14, 15. — [2] Ibid. 14. — [3] Id. XX, 22.

» Patre progrediatur. » Et post alia subinfert. « Si Evangelium » dixit, quod ubi inspiraverat in discipulos, dixit, *Accipite* » *Spiritum sanctum*[1], patet, quod de Verbo progrediatur » Spiritus. Quomodo igitur, si de Verbo procedit, rursus » idem et de Patre progrediatur ? » Adjungit deinceps. « Mi» nus ergo recte, minus convenienter dixit, tres esse hy» postases : nec illud una vice, sed iterum. » Per hæc et his similia vir prudens id agit, ut idem statuat esse Patrem, Filium, et Spiritum sanctum : nempe, ut de una hypostasi tria nomina prædicentur. Nec advertit, quod hic Filius de Patre suo progressus dicitur : et similiter sanctus Spiritus. Nec assequi potuit, quomodo dixit de Spiritu sancto Servator, « De meo assumet, et annuntiabit vobis. » Nec quod in discipulos inspirabat dicens, *Accipite Spiritum sanctum*[2]. Quæ facilem apud pios solutionem invenient : si qui velint reminisci, quod Filius semper cum Patre suo præsens, et una existens intus erat apud illum, veluti in adytis et inaccessis paterni regni receptaculis. Deinde ad salutem humano generi procurandam, emissum se a Patre venisse dicit : quod et alibi in parabola fecit manifestum : « Egressus » est seminator ad seminandum[3] : » unde enim egressus esset, nisi ex intimis regiæ penetralibus paternæ divinitatis ? Ad eumdem modum et Spiritus sanctus semper et continuo adsistit throno Dei : cum « decies centena millia illi as» tent[4], » secundum Danielem. Missus porro est iste : nunc in figura columbæ super Filium hominis : nunc super unumquemque Prophetarum et Apostolorum : unde et ille quoque dicitur de Patre processisse. Quid mireris autem, cum vel de diabolo dicatur : « Et egressus est diabolus a Deo[5]. » Et iterum : « Egressus est diabolus : » sed et scriptum invenies de Achabo dictum, « Et exivit spiritus nequam, et ste-

[1] Joan. xx, 22. — [2] Ibid. — [3] Marc. iv, 9. — [4] Dan. vii, 10. — [5] Luc. iv, 13.

» tit coram Domino, et dixit, ego decipiam illum[1]. » Sed de hisce spiritibus ad oppositum, quomodo dicatur exiisse eos, non in præsenti laboramus. Unigenitus vero Dei Filius, se de Patre exiisse docet : eo quod apud eum erat semper : et sic pariter de sancto Spiritu : qui tamen alius est a Filio. Quod satis clare Servator docet, inquiens, « De meo sumet, » et annuntiabit vobis. » Certe hinc efficitur, non esse unum atque eumdem Filium et sanctum Spiritum. Nam quod a quoquam quidquam percipit, diversum quid intelligitur a largiente esse.

CAPUT V.

Quomodo de sancto Spiritu Servator docuit.

Certe quod diversus sit a Filio et alius Spiritus sanctus, expresse et clarissimis verbis docet Servator et Dominus noster, ubi sic Discipulos affatur : « Si diligitis me, mandata » mea custodietis, et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum » dabit vobis, ut sit vobiscum in sæcula, Spiritum veritatis, » quem mundus non potest capere[2]. » Vides, ut Spiritum vocet, alium Paracletum et diversum a se. Quod si afflavit Discipulos et dixit, « Accipite Spiritum sanctum; » hic nescire nos non oportet, quod afflatus ille mundaturus erat quodammodo animos Apostolorum, ut apti sic et dispositi essent ad Spiritum sanctum recipiendum. Neque enim dicitur in faciem eorum insufflasse; nec quod spiraculum vitæ, ut Adamo quondam Deus inspiraverat eis in faciem, aut quod Spiritum sanctum : sed inspirasse inprimis dicitur; et tum deinceps dixisse, « Accipite Spiritum sanctum. » Dare

[1] 1 Reg. III, 21. — [2] Joan. XIV, 16.

autem Spiritum manifeste docet, diversum esse ipsum a dato. Non erat ergo idem dans et datum. Sed qui largiebatur, Servator erat; datum vero, sanctus Spiritus : accipientes Apostoli afflatus mundificatorium, ut dixi, Apostolorum : aut saltem operativum communicationis Spiritus sancti. Nam utrovis modo possis interpretari. Sed hinc apparet, alium ab illo esse sanctum Spiritum : ubi et in adjectis postea, scribitur : « Si quis me diligit, servabit meos sermo» nes. Et Pater meus diliget eum, et ad illum veniemus, et » mansionem apud illum faciemus[1]. » Quibus ista subnectit : « Locutus sum vobis, apud vos manens, sed Paracletus ille » Spiritus sanctus, quem missurus est Pater in nomine meo, » ille vos docebit omnia, quæ locutus sum vobis[2]. » Audis ut in numero multitudinis loquatur, « veniemus et mansionem » apud eum faciemus, » de se hoc locutus et de Patre. De Spiritu autem sancto, tanquam de alio loquitur, « Ille vos » docebit omnia. » Talius modi et illud erat : « Rogabo Pa» trem, et alium Paracletum dabit vobis, ut is sit vobiscum in æternum, Spiritum veritatis[3]. » Paracletus igitur ab ipso erat alius. Nam de eo loquitur ad hunc dictum modum. Jure optimo igitur addidit, et ista dicens, « Hæc vobis locu» tus sum adhuc manens vobiscum ; Paracletus autem ille, » nempe Spiritus sanctus, quem Pater mittet in nomine » meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, » quæcumque ego locutus sum. Ego, *inquit,* hucusque vo» bis hæc locutus sum : at Spiritus veritatis, quem mittet » Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret » vobis omnia, quæcumque dixi vobis[4]. » Ego enim hactenus ista vobis locutus sum, at Spiritus ille veritatis, quem missurus est Pater, is vos tum docebit illa omnia, quæ nunc non didicistis : propterea quod comprehendere ea non possitis. Ille cum venerit, Paracletus, inquam, adimplebit doc-

[1] Joan. XIV, 23. — [2] Ibid. 25 — [3] Ibid. 16. — [4] Ibid. 26.

trinam, in memoriam vobis una revocans, quæ nunc a me dicuntur. Et ipse, quem ego mittam, ita subinfert, Paracletus a Patre meo, Spiritus nimirum ille veritatis, quem ego mittam vobis a Patre, qui a Patre egreditur, ille perhibebit de me testimonium. In quibus omnibus, id aperte declarat, illum, quem missurus erat, et qui de ipso testimonium perhibiturus erat, alium et distinctum ab ipso esse. Sermonem vero adhuc amplius promovendo peragit, dum subinfert : « Ego veritatem vobis dico ; conducit vobis, ut ego abeam. » Nam si ego non abiero, Paracletus ille non veniet ad vos : » quod si recessero, eum ego ad vos mittam. » Cum se abiturum dixit, Passionem suam hic insinuavit : et post illam reditum suum ad Patrem. Quis jam adeo delirat, ut post tot voces et tantas unum eumdemque putet illum esse, qui ista loquitur, et illum, de quo dicuntur ista, præcipue cum illum ipsum disertis verbis dicentem audiat, se dicere veritatem, et veritatem illam, quæ esset, exponentem : nimirum, quod nisi abiret ipse, Paracletus non veniret. Quod si opponatur dictum esse interdum, Patrem missurum esse sanctum Spiritum : interdum vero ipsummet, non ipse sibi hic contraria docet. Omnia enim, quæ viderit Patrem facientem, eadem similiter et Filius facit : et quemadmodum audit, ita judicat. Quocirca secundum judicium patris, et Pater, quando vult, et tum cum velit Filius Servator noster : mittit ad discipulos suos Spiritum veritatis Paracletum, qui παρακαλῇ, id est consoletur, confortet, et adhortetur eos ad patienter sufferendum in Evangelii annuntiatione, propter quam erant exagitandi. Nec ad illos solummodo consolandos, sed instituendos insuper in omni veritate novi fœderis, quam recipere a doctrina Servatoris non tum poterant, cum inter ipsos versaretur, eo quod Judaïcæ pædagogiæ inservirent. Hac reipsa adimplevit post suam a mortuis Resurrectionem, cum Mariæ diceret, « Noli me tangere ; non-

» dum enim ascendi ad Patrem meum et Patrem vestrum[1]. » Deinceps vero tanquam qui ascenderat ad Patrem, visus est Discipulis suis, in missione Spiritus sancti, et cum iis versabatur, paratumque se exhibuit, qui in Filii functione recenseretur, quando et tangi se ab illis permittebat. Tunc ipsis insufflavit : et tunc Spiritus portionem iis impertivit, cum facultatem tribueret peccata remittendi. Sunt etenim divisiones gratiarum : quarum partem tum iis impertivit, cum cum iis versaretur : post hæc majori multo et perfectiori potestate adimplevit : de qua dicebat iis in Actibus Apostolicis, « Vos recipietis potestatem ex alto, superveniente in vos » Spiritu sancto. » Quando et baptizandos eosdem in Spiritu sancto promittebat. Quod ipsum post Ascensionem suam implebatur, in die Pentecostes, misso super eos, quemadmodum edixerat ipse, Spiritu sancto. Cum vero locus iste majori adhuc et perspicua magis egeat dilucidatione, non est opportunum in præsenti in eam incumbere interpretationem : quippe cum hic mihi minime propositus sit scopus : sed ut edoceam diversum esse Spiritum illum Paracletum a Filio. Quod multipliciter præstitum est e dictis Servatoris, cum aliis tum iis, ubi dixit, « Multa habeo vo» bis dicere, sed non potestis adhuc portare : sed cum ad» venerit Spiritus veritatis, ille vos edocebit omnem veri» tatem. Non enim loquetur a seipso, sed ea, quæ audiverit : » et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me glorificabit : » quoniam de meo accipiet, et annuntiabit vobis[2]. » In quibus denuo pollicetur, fore ut Discipuli ipsius, illa per Spiritus magisterium discerent, quæ ab ipso non didicerant. Ita tanquam de distincto, loquitur illud, « Cum venerit ille : » et illud, « Nam non de seipso loquetur : » et illud, « Ille me » glorificabit. » Et adhuc illud, « De meo sumet. » Maxima enim esset et difficulter admodum sananda fatuitas, imagi-

[1] Joan. xx. 17. — [2] Id. xvi, 10.

nari Servatorem de seipso hæc dixisse. Cum ab istis clarissime manifestatum a Servatore sit, Spiritum sanctum a se distributum et diversum esse (7). Honore certe eum et gloria, et donis excellenter ornatum : sed et majorem transcendentemque docet esse supra omnem intellectualem et rationalem substantiam : unde in unionem sacrosanctæ et beatissimæ Trinitatis assumitur : seipsum vero minime supergressum docet, ubi ait, « Non enim a seipso loquetur, » sed, quæcumque audiverit, loquetur. » At quis ille, a quo hæc audiet? docet, « A me accipiet, *inquiens*, et annuntia- » bit vobis : » a me, nimirum thesauro. « Nam in illo sunt » reconditi omnes thesauri sapientiæ et cognitionis [1]. » Ille ideo veluti Filius unigenitus, a Patre accipiet, a Patre audiet. Spiritus autem sanctus ab illo accepta largitur. Ideo ait, « de meo recipiet, et annuntiabit vobis. » Quocirca et Deus, qui est super omnia, spiritus dicitur : quemadmodum ipse nos docuit Servator, « Deus spiritus est, *inquiens*, et » qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare debent. » Eritque veraciter Sanctus ille sanctorum; et in sanctis acquiescens. Sed et Filius Dei, cum Deus sit, spiritus est : et Spiritus sanctorum sanctus, si modo sit imago invisibilis Dei. Quocirca dictum est de illo : « Dominus Spiritus est, et » Spiritus faciei nostræ Christus Dominus. » Enimvero cum a Patre et Filio sit diversus Spiritus sanctus, idioma ipsius indicat Servator, vocans eum *Paracletum*. Nomen commune proprietati applicans per denominationem Paracleti, cum et Angelicæ etiam potestates Spiritus sint : « Qui facit » Angelos suos [2] : » ita dicitur enim, Spiritus. Sed illorum nullus Spiritui Paracleto adæquandus est : unde ille solus Spiritus sanctissima et beatissima Trinitate comprehenditur. Neque aliter Servator, cum mysterium illud Regenerationis in ipso Apostolis mandaret, iis, qui de gentibus cre-

[1] Coloss. II, 3. — [2] Hebr. I, 7.

derent, annuntiandum tradidit, quam ut baptizarent in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Patre principante a seipso et gratiam largiente. Filio vero eam gratiam administrante : « Gratia enim et veritas per Jesum Christum. » Spiritu autem sancto nimirum illo Paracleto eam exhibente, secundum gratiarum ab ipso divisiones. Uni etenim alicui datur Verbum Sapientiæ : alii Verbum intelligentiæ, secundum eumdem Spiritum : alteri fides in eodem spiritu : et quæ reliqua ad istum modum enumerantur.

CAPUT VI.

Quæ sit Ecclesiæ traditio, de Patre, Filio, et Spiritu sancto.

Sanctus ergo Spiritus, sanctos solos inhabitans, per Filium impertitur iis, quos Pater approbaverit. Opus ejus proprium est sanctificare omnes. Quibus singulis unum aliquod, vel etiam plura interdum sua charismata elargitur. Adeo ut Prophetæ, Apostoli, omnis anima Deo chara : fortassis et divinæ illæ et excellentiores potestates, illius participes fiant per eum sanctificatæ : solus autem Filius paterna deitate honoratus, operatus fuerit et produxerit subsistentia creata omnia, visibilia, invisibilia, atque adeo ipsum quoque Spiritum Paracletum (8) : « Omnia enim, *inquit,* » per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil[1]. » Et, « In ipso condita sunt omnia, quæ sunt in cœlis, et quæ » super terram, sive visibilia, seu invisibilia[2]. » Deus autem ille super omnia, Pater Domini nostri Jesu Christi, cum sit inenarrabile quoddam bonum, omnem exuperans ratiocinationem, cogitationem, vocem omnem, disquisitionemque.

[1] Joan. I, 8. — [2] Coloss. I, 16.

Omnium rerum, quotquot demum illæ, et cujusmodicumque fuerint, ipsius insuper Spiritus sanctus, et Filii ulterius unigeniti, Dux et Princeps est, nec injuria solus; cum super omnia, et per omnia, et in omnibus Deus prædicetur ab Apostolo, ubi ait : « Unus Dominus, una fides; unum bap- » tisma, unus Deus, pater omnium, qui est super omnia, et » per omnia, et in omnibus Deus[1]. » Solus quidem ille Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi dicatur : Filius unigenitus Deus, qui erat in sinu Patris. At spiritus Paracletus, neque Deus, neque Filius. Quoniam non de Patre perinde atque Filius genesin accepit, et unus ex eorum sensu est, qui per Filium condebantur : quandoquidem « omnia per » ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. » Atque ista quidem ad hunc modum sanctæ sunt et Catholicæ Ecclesiæ tradita, voceque divina consignata mysteria. Marcellus vero permiscens omnia, aliquando in profundum se Sabellianismum præcipitat : aliquando Pauli illius a Samosatis hæresin renovare vult, aliquando Judæus tantum non deprehenditur : unam etenim hypostasin tripersonatam, uti et trinominem introducit. Eumdem affirmans esse Deum, et in Deo Verbum, et Spiritum sanctum. Transgressus inde ad Apostoli de Christo Theologiam, diversas hic adhibet interpretationes. Nam cum exertim Apostolus Filium Dei, Deum prædicet, ut ubi ait, « Qui est imago Dei invisibilis, » primogenitus omnis creaturæ, quoniam in illo creata sunt » universa, cum ea, quæ in cœlis sunt, tum quæ super ter- » ram, sive visibilia, seu invisibilia : sive Throni, seu Do- » minationes, sive Principatus, seu Potestates, omnia per » ipsum, et in ipso condita sunt : et ipse est ante omnia, » et omnia in ipso constiterunt[2]. »

[1] Ephes. IV, 5. — [2] Coloss. I, 25.

CAPUT VII.

Quomodo Marcellus carnem asseveret esse imaginem Dei invisibilis.

Vir egregius iste demum ad carnem dejectus, ipsam affirmat imaginem invisibilis esse Dei : cum tamen quod non observat, forma masculina, *qui* et non *quæ* est, imago efferatur. Ille autem articulum, ὅς carni attributum declarare ait, quod ipsa fit illa imago invisibilis Dei : illud quoque, *Ipse est ante omnia,* de carne dictum ait : neque puduit eum dicere, *Ipse,* de carne. Sed et propter carnem universæ creaturæ primogenitum vocatum ait. « Manet autem immu- » tabiliter, *inquit,* de carne, omnia tam in cœlis, quam in » terra, sive visibilia seu invisibilia creata : » nec refugit dicere, Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates per et propter carnem Servatoris creationem suam in Christo consecutos. Cum vero superiore libro, Marcelli verba, de rebus istis posuerim, ne excrescat ultra modum oratio, contentus ero illic ea exhibuisse testimonia. Quam vero sit distorta, et violenter coacta hæc dicti Apostolici interpretatio, non est opinor opus, ut pluribus adhuc persequar, cum quam sit illa impudens interpretatio, cuique satis innotescat.

CAPUT VIII.

Quomodo idem astruat carnem Servatoris prodesse nihil.

Nihilominus qui de carne Servatoris egit tam multis, illam nobis non conservat sartam tectam. Optandum esset,

ut vel hic saltem pie sapere voluisset. At nunc posteaquam omnia de carne deprædicavit, relinquendam illam tandem nudam, vacuam, et Verbo suo destitutam affirmat in fine sæculi. Scribit enim, « Quod si vero scribat, carnem suam » prodesse nihil, qui potest fieri ut scripserit, si illa, quæ » de terra est, et nihil prodest, in futuro sæculo, quasi pro- » futura multum, cum Verbo versari debeat? »

CAPUT IX.

Quod ausus est dicere, carnem Servatoris, Verbo destituendam esse in fine sæculi.

Quod ipsum denuo inculcat, alibi inquiens : « Si igitur in » tempore illo restaurationis omnium, et ipsammet creatu- » ram, de servitute in libertatem transferendam esse docuit » Paulus (ait enim, quod et « ipsa creatura liberabitur a » servitute corruptionis, in libertatem asserta gloriæ fi- » liorum Dei[1] :) » quomodo adhuc ulterius, illa servi forma, » quam assumpsit Verbum, cum sit forma servi, per se ip- » sam, cum Verbo consistere poterit? »

CAPUT X.

Quæ de carne Servatoris Scripturæ doceant : et quod Marcellus contra illas senserit.

Vides, in quas voces irruperit ille contra carnem Servatoris : nescivit autem, quod ante illam in cœlos Assumptio-

[1] Rom. VIII, 21.

nem, et ante Passionem suam, cum adhuc in terra versaretur, illam glorificavit in monte. Ubi solis selectis tribus Discipulis imaginem sui regni repræsentavit : ut resplenderet ejus facies, et lucis fulgore radiaret : « Facta est ejus » facies, » ait sacra Scriptura : « Sicut sol : et vestimenta » ejus alba, sicut nix.[1] » Nec intellexit, qualenam corpus gloriæ Christi dixit Apostolus : aut, quod nostra corpora futura sint conformia ejus corpori, id quod docet idem divinus vir inquiens, « Qui transformabit corpus hoc humilitatis nostræ, » ut conforme fiat corpori gloriæ ipsius[2]. » Nec cognovit, quo tandem pacto ascribendum erit mortale istud ab immortalitate, ut ait idem, « Nolumus illo expoliari, sed supervestiri, ut » absorbeatur hoc mortale a vita[3]. » Hæc ignorans omnia, Verbum quidem mansurum unitum Deo, ait, ut olim erat : carnem vero a Verbo derelictam, nescio quid, aut ubi futuram. Audi vero ut loquatur. « Quod si quispiam de carne hac » interroget, quæ in Verbo est immortalis, quid sentiamus, » dicemus, quod certo statuere intutum arbitramur de re» bus, quas e sacris Litteris non sumus docti. Quomodo » hac via insistent illi, qui aliorum dogmata subvertunt ? » Ad illos vero, qui exactam de rebus istis rationem a no» bis exigunt, inquimus, quod sancto Apostolo obtemperan» dum scimus esse, qui mysteria abscondita, ad illum mo» dum, quem ipse statuit, scrutanda docuit : « Videmus » enim nunc, *inquit,* tanquam per speculum in ænigmate : » tunc vero facie ad faciem[4], » et quæ sequuntur. Ne me » interroges ergo, de rebus, quæ non extant aperte traditæ » in Scripturis sacris : unde certum quid statuere non pos» sum de carne, cujus particeps erat Verbum. Qui autem » fatetur, se non posse de Scripturis respondere, simul con» fitetur, se nihil certi de Scripturis didicisse. » Hujuscemodi ille de hac carne scivit : non accepta de Scripturis,

[1] Matth. xxviii, 3. — [2] Philip. iii, 21. — [3] 2 Cor. v, 4. — [4] 1 Cor. xiii, 12.

non ab aliis occupata, non e traditione Ecclesiæ doctus, sibi vero conficta, et de suo cerebro excogitata : peregrinum, et alienum a veritate genimen : nec erat illi in animo Scriptura inquiens, « Ne adjeceris ad sermones ejus, ne te coar» guat, et in mendacio deprehendaris. Et væ iis, qui de suo » corde prophetant. » Intuere autem, quanta se circumduxit impietate. Qui enim universam illam Theologicam rationem de Filio unigenito præexistente ad carnem dejecit, et tantum non lauream illi victoriæ præmium verbis disertissimis superinduxit. Nam is, qui dixit, Dei Verbum per Resurrectionem procurasse immortalitatem humanæ carni, et tanquam corona redimitum ad Dei dextram ascendendo consedisse : idem ipse ait illam inanem et vacuam futuram in fine mundi : dum Verbum adunit Deo, carnem vero separat ab operibus Verbi : et relinquit nescio ubi destitutam, immortalem certe et incorruptibilem : inanimem vero, et destituta Verbo ab omni opere feriantem. Quæ ipsa de non intellectis Scripturarum lectionibus stabilire voluit. Nam cum Servator ad eos, qui non capiebant sermonem suum, de carne sua et sanguine disserentem diceret, « Hoc» cine vos scandalizat? Si ergo videris Filium hominis as» cendentem, ubi erat prius. Spiritus est, qui vivificat : » caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego locutus sum » vobis, spiritus et vita sunt[1]. »

CAPUT XI.

Quod vocem Evangelicam non intelligens, dixit scandalizare, et nihil prodesse carnem Servatoris.

Sensum verborum non apprehendens, existimavit illum

[1] Joan. VI, 62.

hic rejicere carnem, quam assumpserat de sancta Virgine. Atque exinde conficere vult illud, post mundi consummationem Dei Verbum, plane nudatam omni operatione carnem suam derelicturum. Verba ejus sunt : « De carne, quam » habebat, cum versaretur cum Discipulis suis, ita loquitur : « Hoc vos scandalizat? si ergo videritis Filium hominis as» cendentem, ubi erat prius? Spiritus est, qui vivificat : » caro non prodest quidquam[1]. » Si ergo suam carnem non » prodesse quidquam fateatur, quomodo fieri potest, ut » quæ sumpta sit de terra et nihil prosit; tanquam quæ pro» desse poterat, ac futura Verbo sit in futuro sæculo. » Ecce quam perverse tractet sermonem Evangelicum : eo quod salutarem Verbi vocem non percipiat recte : nec in quem finem, aut ob quam causam usurpetur, intelligat.

CAPUT XII.

Evangelicæ vocis interpretatio.

Tu autem recepto Evangelii testimonio, Servatoris doctrinam recte percipies. Non enim loquebatur de carne ea, quam assumpserat, sed de corpore et sanguine suo mystico. Nam cum de quinque panibus multitudinem illam magnam saturasset, et videntes hoc miraculo reddidisset attonitos; ac plerique Judæi factum illud vilifacerent, dicerentque : « Tu ergo quodnam signum facis, ut videamus et creda» mus[2]. » Manna deinceps allegarent, quod in deserto fuit : « Patres nostri, *dicentes*, Manna in deserto comederunt, » quemadmodum scriptum est : Panem de cœlo dedit iis » comedendum[3]. » Hic respondet Servator. « Amen, amen » dico vobis, non Moses dedit vobis panem de cœlo, sed

[1] Joan. VI, 62. — [2] Ibid. 30. — [3] Exod. XVI, 14.

» Pater meus dedit vobis panem verum de cœlo. » Et addit : « Ego sum panis vitæ; *et :* Ego sum panis, qui de cœlo de- » scendi; *et :* Panis quem ego dabo vobis, corpus meum » est. » Et addit iterum : « Amen, amen dico vobis, nisi co- » mederitis carnem Filii hominis, et sanguinem ejus bibe- » ritis, non habetis vitam in vobismetipsis. Qui edit carnem » meam, et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam, » et ego resuscitabo illum in novissimo die. Caro enim mea » verus est cibus, et sanguis meus verus est potus : qui co- » medit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me » manet, et ego in illo. » Hæc et his similia quædam cum mystice persequeretur, quidam de Discipulis ejus dixerunt : « Durus est hic sermo, quis potest eum audire? » Quibus sic respondit Servator, inquiens : « Hoc vos scandalizat? si » videritis ergo Filium hominis ascendentem ubi prius fuit? » Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. » Verba quæ locutus sum vobis spiritus sunt et vita [1]. » Quibus eos docere voluit, spiritualiter intelligenda esse quæ de carne et sanguine audiverant ! Nolite putare carnem me dicere quam circumfero, quasi illam vos comedere oporteat ; nec existimate me vobis præcipere ut sensibilem et corporalem bibatis sanguinem : verum probe nostis quod verba quæ vobis locutus sum, spiritus sunt et vita. Ita ut verba ipsius et sermones sint caro et sanguis, et si quis ea comedat, tanquam cibo cœlesti pastus, vitam æternam participabit. Ne ergo, inquit, vos hoc offendat quod de comedenda carne et bibendo sanguine dixi ; nec auditione nuda conturbemini, si locutus sum de cibo et potu : hæc enim sensibiliter audita nihil proderunt : Spiritus autem est, qui vivificat spiritualiter audientes. Novus autem Evangelicæ doctrinæ interpres iste, cum nihil horum caperet, audisis quomodo scribat totidem syllabis : « Cum tangeret corpus

[1] Joan. xv, 22.

» suum et præsentibus ostenderet, inquit : *Hoccine vos scan-* » *dalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem,* » *ubi prius fuerat; Spiritus vivificat, caro non prodest* » *quidquam.* Ad quem dicendum est : Et unde tibi o bone, ut adjicias ad Scripturam Evangelicam? Namque, Servatorem corpus humanum tetigisse et præsentibus ostendisse, dixisseque, Hoccine vos scandalizat? non habetur apud Evangelistam : tu a te fingis, et e tuo cerebro hoc additamentum comminisci ausus es. Quod audax facinus a se acceptum transtulit eo, ut diceret carnem Servatoris a Verbo suo olim relinquendam omni operatione nudatam : si fatetur ergo carnem prodesse nihil, quomodo tum fiet ut quæ de terra est et nihil prodest, tanquam profutura in futuro sæculo adsit Verbo? Ad hunc modum inerudite et inscienter prorupit ad divinam Scripturam interpretandam. Sed et Apostolicos ad eumdem modum sermones perverse interpretari aggressus est.

CAPUT XIII.

Quomodo regnum Christi ait, initium ante annos quadringentos accepisse, habiturum autem finem in consummatione sæculi, censuit perversas Scripturarum interpretationes afferendo.

Cum in Apostolorum Actibus dicat Petrus : « Quem » oportet cœlos capere usque ad tempus restaurationis om» nium [1], » sententiam ejus loci non intelligens, hinc profectus, Christi regnum circumscribere conatur, terminum illius aiens, et determinationem significari, eo quod dicitur : « Usque ad tempus restaurationis. » Hoc idem et per Psalmum indicari docet dicentem : « Sede a dextris meis, do-

[1] Act. III, 21.

» nec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum[1]; »
et Paulum apostolum dixisse ob hanc causam : « Oportet;
» eum regnare usquedum posuerit inimicos sub pedibus
» suis[2]. » Illud enim *donec* et *usquedum* definitum tempus significare abitratur : attende ergo quomodo ad Verbum scribat, inquiens : « Hanc ob causam videtur mihi
» Deus omnipotens et Dominus ad illum dixisse : *Sede a
» dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Propter carnem humanam tantum opera-
» tione illum videtur separare, et, ut dictum est, tempore
» illum circumscribere, quamdiu sessurus ei a dextris fue-
» rat : ideo inquit : *Donec ponam inimicos tuos scabel-
» lum pedum tuorum*. Quod Propheticum Davidis testimo-
» nium dilucidius explicavit beatus Apostolus, inquiens :
*Oportet etenim illum imperare, donec posuerit inimicos
» ejus scabellum pedum ipsius*. Ita termino videtur cir-
» cumscribi illius secundum hominem dispensatio atque
» regnum. » Et post alia subnectit, « Et propterea Aposto-
» lorum Actus de homine isto quem assumpsit Dei Ver-
» bum, et assumptum constituit a Dei dextris, ita referunt :
» *Quem oportet cœlum capere usque ad tempus restau-
» rationis*[3] *:* ita tempus velut decircinant ei circumscrip-
» tum. » Quibus post alia annectit. « Quomodo potest fieri
» ut forma servi, quam assumpsit Verbum, forma servi cum
» existat, cum Verbo coüniatur ? Itaque pro brevissimo quo-
» dam tempore præterito nempe illo et futuro, dispensatio
» hæc secundum carnem Verbi manifeste et expresse ad-
» impleta contigit propter nos, quam uti principium habuit
» ita finem habituram, docet divinus Paulus, his totidem
» pene verbis : *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo
» et Patri suo.* »

[1] Psal. cix, 2. — [2] 1 Cor. xv, 25. — [3] Act. iii. 21.

CAPUT XIV.

Expositio sani sensus locorum Scripturæ.

Per hæc omnia tot et talia Marcellus ignoravit *corpus gloriæ Filii*, et indeterminabile ejus regnum pernegat futurum : minime animum advertens, quod secundum propriam quandam Scripturæ consuetudinem, illud *donec* soleat accipi. Ita Servator discipulos alloquitur : « Vobiscum » sum omnes dies, usque ad consummationem sæculi[1] ; » neque tamen negat se iis affuturum post finem mundi : docet autem quod in præsenti sæculo non deseret eos usque ad consummationem, sed quod omnes ipsi in disciplinam traditos, curaturus sit et gubernaturus ; et post consummationem modo quodam excellentiori sit illis affuturus, et participes eos facturus regni sui. Ita et illud capitur : « Sede » a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum » pedum tuorum[2]. » Et illud : « Quem oportet cœlos ca- » pere usque ad restaurationem omnium[3], » quod non dicitur quasi postea non eum caperent. Sed quod in fine de paterno solio erat surrecturus, et secundum de cœlo descensum suum facturus ; de quo inquit Apostolus : « Et » ipse Dominus in Celeusmate, in voce Archangeli, in tuba » Dei descendet de cœlo, et mortui in Christo resurgent » primi : tum nos qui erimus in vivis derelicti, una cum il- » lis rapiemur in nubibus ad obviam eundum Domino in » aëre, et ita omni tempore cum Domino erimus[4]. » Oportet ergo Servatorem in cœlis manere, et considere a dextris Dei Patris usque ad finem : in ipso autem fine omnium

[1] Matth. xxviii, 20. — [2] Psalm. cix, 2. — [3] Act. iii, 21. — [4] 1 Thess. iv, 16.

secundo gloriose adventurus sanctos suos ad se assumet, ut omni tempore sint cum ipso : non ad tempus definitum, sed sæculum indeterminabile; ait enim : « Semper » cum Domino futuri sumus. » Quocirca illi sancti cum ipso futuri, regno ipsius in regno cœlorum perfruentur. At egregius iste vir de Servatore dictum autumat, oportere eum imperare, usque dum posuerit inimicos scabellum pedibus suis : postremus autem inimicus subjiciendus mors est. Et, « Cum vero ipsi subjicientur omnia tum et ipse » subjicietur ei, qui subjecit omnia sub pedibus ejus, ut sit » Deus omnia in omnibus[1] ; » usus sua consuetudine hæc depravat : nescio enim quo pacto, subjicietur Filius Patri, pro, unietur Deo Verbum, accepit. Quasi dari posset tempus, quando illi non aduniretur. Quod si Verbum erat ab æterno in Deo subsistens, quomodo dicit tunc Deo et Patri subjectum futurum eum?

CAPUT XV.

Qualiter dicitur : Omnia Filio subjicientur, et ipse subjicietur Patri.

Advertendum est vero, quomodo dicat Apostolus omnia subjectum iri Filio; et qualiter per eamdem subjectionem subjiciendum Patri Filium dicat : « Postquam vero omnia » subjecta illi fuerint, tum et ipse Filius subjicietur Patri, » qui ipsi subjecit omnia, ut Deus sit omnia in omnibus[2]. » Illud, *omnia in omnibus* non intelligit. Non enim ait Deum in Filio futurum *omnia,* sed *in omnibus ;* quod magis videtur coalitionem quamdam et consummationem omnium significare, si Deus sit futurus omnia in omnibus :

[1] I Cor xv, 28. — [2] Ibid.

subjectionem vero Filii unionem intelligit Verbi, et interpretatur, qui unus et idem cum Patre futurus erat, uti et prius fuerat. Quod si ita velit subjectionem Patri esse cum Patre unionem, necessario et illa omnium subjectio Filio unionem cum Filio similem significabit : ut neque Filius adhuc amplius per se sit; sed nec ipsi subjicienda salvandorum multitudo per se subsistat, aut suam propriam vitam vivat; sed ut fiat confusio et coalitio in se simul omnium : cum Filius et quotquot sunt futuri homines, unum futuri sint atque idem, nec eorum tantummodo in unum, sed et Dei simul futura sit coalitio. Ita enim necesse est, siquidem omnia Filio, Filius autem Patri, in subjiciendo uniantur : hoc enim de positis consequetur. Sed quemadmodum unionem non indicavit Apostolus, inquiens : *Omnia Filio subjicientur.* Sed obedientiam voluit de libera procedentem voluntate et gloriam et honorem, quem referebant ei omnia, utpote Servatori et regi omnium : ad eumdem modum, et illum subjectum iri Patri suo nihil aliud significat, quam gloriam et honorem, et venerationem, et magnificentiam, et voluntariam subjectionem, quam redditurus est ipse Deo et Patri, cum universos effecerit dignos divinitate sua paterna. Usque enim dum hujus non sunt digni, anticipans ipse, veluti communis quidam omnium Servator, regnum administrat, quo imperfecti consummentur et curatione indigentes curentur, subjiciens sub pedibus suis hostes istius regni sui. Quod et Psalmus indicavit, inquiens : « Dixit Do-
» minus Domino meo : Sede a dextris meis, donec posuero
» inimicos tuos scabellum pedum tuorum [1]. » Quando inimicos positurus est sub pedibus suis, suo autem regno dignos, in vita interminabili constiturus : tum et omnium inimicorum mors postremus subjicietur. Cum enim nemo sit deinceps moriturus, sed in vita interminabili omnes victuri,

[1] Psal. CIX, 2.

tum mortem omnino abolendam, indignis illo regno recte dici videtur, cum nemo sit futurus, quem afficiat morte. Quibus ad hunc modum adaptatis, Filio quidem Dei, sancti omnes per salutarem subjectionem subjicientur : quatenus is vita est, vitam in eo victuri immortalem; quatenus sapientia, sapientes futuri : λόγος[3], quatenus, λόγῳ perficiendi, et Christus, quatenus odore ejus bono inungendi. Luminaria designabuntur novi sæculi, quibus lux ab illo suppeditabitur. Filii Dei futuri filiationis spiritu ejus adornati et exculti. Quomodo qui illi sunt subjiciendi omnes, facultatum ejus cæterarum participes fient. Nam et justi futuri sunt de justitia ejus, et de sanctitate illius sancti. Sed neque quandoquidem Deus erat Verbum, et Deitatem suam iis invidebit; ut vere locutus sit Apostolus : « Hæredes Dei, » cohæredes autem Christi[1] » futuros eos. Sed et corpora sua æternitate prædita soli, lunæ et sideribus similia coruscabunt : quo et in ipso ejus gloriæ participabunt. Quod et idem docuit aiens : « Unde et Servatorem expectamus » Jesum Christum, qui transformabit corpus humilitatis » nostræ, ut conforme sit corpori gloriæ ejus, secundum » operationem potentiæ ipsius, qua subjiciet omnia sub pe- » dibus ejus[2]. » Vides ut in eo, quod possit omnia subjicere sibi, et corporis nostri inducat transfigurationem eam, ut corpori ipsius glorioso nostra quoque corpora conformia reddantur. Quod si nostra corpora conformia futura sunt ejus glorioso corpori, quomodo non multo magis corpus ejus gloriosum, regni illius gloriosi reddetur particeps. Et si corpus nostrum a vita absorbendum est, ut Apostolus perhibuit testimonium : « Eo quod nolumus exui, sed super- » indui, ut absorbeatur mortale a vita[3]. » Quomodo non multo magis idem ejus corpus, utpute administraturum Deitati ejus absorbebitur, non a vita solummodo, ut hoc

[1] Rom. VIII, 5. — [2] Phil. III, 21. — [3] 2 Cor. V, 4.

nostrum, sed a Deitate? Ne interroget ergo quispiam, aut hæsitaverit apud animum suum, quid futurum sit deinceps Dominico corpori, cum audire possit Paulum exerte loquentem, absorbendam esse a vita mortalitatem; et corpus nostrum conformandum glorioso Christi corpori, secundum operationem illam, per quam subjicere sibi ipsi potest omnia. Subjecturus est ergo sibi omnia : talem vero subjectionem futuram Servatoris nostri statuere debemus, secundum quam et ipse Filius subjicietur Patri, qui ipsi subjecit omnia : nempe præstiturum cum ineffabilem quamdam, indeterminabilem, et ipsi soli convenientem subjectionem, cum nimirum illos, qui ipsi subsunt, omnes et singulos, ad modum chori coactos Deo et Patri præsentabit : gloriam ipsi et honorem, venerationem, et magnificentiam veluti qui sit omnium bonorum fons et causa adscripturus.

CAPUT XVI.

Quomodo dictum sit ab Apostolo, Ut sit Deus omnia in omnibus.

Quando et conclusio doctrinæ Apostolicæ consequetur finem, quæ ait : « Ut sit Deus omnia in omnibus[1]. » Quod ipsum ex alio vaticinio intelligemus, ubi Deus ipse ita loquitur : « Ut inhabitem inter eos et ambulem inter eos; et ipsi » erunt mihi in populum, et ego ero illis Deus[2]. » Nunc autem secundum præsentem statum, ad paucos admodum pertingit hæc promissio, eosque etiam in parte tantum dignos, secundum illud : « Ex parte cognoscimus, et ex parte » prophetamur, at post sæculi istius consummationem, cum » substiterit sæculum novum : non jam utique in parte, vel » in paucis inhabitabit, sed in omnibus, qui digni sunt regno

[1] 1 Cor. xv, 28. — [2] Ezech. xxxvii, 24.

» cœlorum[1]. » Ad hunc modum erunt, *omnia in omnibus :* nempe illos inhabitans, in illis ambulans, nec dedignatus esse illorum Deus; cum in populum sibi omnes appropriaverit. Non autem erit ad eum modum in ipsis, quemadmodum dicitur in Filio esse, de quo docet : « Pater in me, et » ego in Patre[2]. » Omnia autem tum illis erit, quod se tum omnibus exhibebit, prout uniuscujusque facultas illius Deitatem potest capere : cum spes beatitudinis, et vitæ interminabilis et incorruptibilis in eo sita sit fine : quando Deus futurus est omnia in omnibus, adimplens omnes radiis suæ Deitatis indeficientis. Filius autem tunc exultans gaudio, et veluti victoriosus athleta triumphabundus corona eorum redimietur, quos beatitudine dignos habitos Patre suo spectante, regno indeficienti et non veterascenti remuneraturus est. Impletis de eo tum divinis oraculis, cum aliis tum illo Gabrielis Angeli ad sanctissimam Virginem prolato de Filio ex ea progenerando : « Quod regnaturus sit in æternum, et » regni ejus non erit finis[3]. » Regnans eo tempore Dei Filius, omnes eos, qui sub ipso sunt regnaturi, traditurus est tum suo Patri : non quidem desinens ipse regnare aliquando, nec quovis tempore regno se abdicans : (Nec enim regnare desiturum aliquando eum divinus Apostolus affirmavit. Ita enim Gabrieli contraria protulisset qui Virgini dixit, « regnaturum illum in sæcula, nec futurum aliquando regni illius finem »). Sed dixit traditurum regnum suum Patri, hoc est illos in quos obtinebat regnum. Consummatos enim ab ipso illos, et tanquam suo glorioso facinore illustratos, Patri tradet, tanquam quoddam depositum manifestum; quod et ipse docet inquiens : « Omnia mihi tradita sunt a Patre » meo[4]. » Quocirca veluti probus depositi custos, depositum salvum sartum tectumque exhibebit Deo, ad instar pontificis omnes albis amictos, et corporibus immortalibus, tan-

[1] 1 Cor. xv, 9. — [2] Joan. x, 38. — [3] Luc. I, 33. — [4] Id. x, 20.

quam stolis candidissimis radiantes illi in manus tradens, ut non modo sub illo fruantur regno, sed insuper adimpleri possint ineffabilibus Patris sui bonis : atque ita futurus est secundum Apostoli dictum, « Deus omnia in omnibus[1] : » cum Filius suos subditos repræsentaturus est ipsi, ut ipse Pater per omnia sit in omnibus omnia. Nam ut erat ipse in Filio suo olim juxta illud : « Pater in me, et ego in Patre[2]; » ad eumdem modum erit tum in omnibus per Filium consummatis. Non enim Apostolus dixit, Filium se suo regno abdicaturum et regnaturum Deum, sed Filium Deo et Patri regnum traditurum salvum depositum : et quantum ad cultum et sacerdotium Patris sufficiens illud ipsum manifestabit. Deum vero futurum tum omnia in omnibus : tanquam Deum inhabitantem, et ambulantem inter eos, et omnia ipsis factum. Nonnullorum erit Dominus : aliorum Rex, aliorum aliud quiddam, omnium vero Deus, divina sua virtute et potentia, omnia illis factus. Hunc finem beatissimæ nostræ spei circumscripsit magnus Apostolus, inquiens : « Ut sit Deus omnia in omnibus[3]. » Sed in omnibus tamen erit omnia correspondenter ad facultatem uniuscujusque, distinctas et diversas Divinitatis suæ dimensiones elargiendo singulis : gloriam vero, honorem et regnum excellenter præstans donum, et Patri congruum Filio unigenito impertiendum custodiet, quod nulli præterea communicetur.

[1] I Cor. xv, 28. — [2] Joan. x, 38. — [3] I Cor. xv, 28.

CAPUT XVII.

Quæ sacra Scriptura doceat de regno Servatoris indeterminabili, et quomodo Marcellus aperte ausus est asseverare finem habiturum ejus regnum.

Quod si velimus ista Prophetico quodam sigillo obsignare, ut certius quæ dicta sunt confirmentur; spiritu Prophetico, qui hæc ipsa per Ezechielem hisce verbis docet, utar : « Hæc dicit Dominus : Ecce ego requiram oves meas, » et visitabo eas quemadmodum visitat pastor gregem suum » in die, quando fuerit caligo et nubes in medio ovium sua» rum separatarum. Sic visitabo oves meas[1]. » Et post nonnulla : « Ego salvabo gregem meum, et non erit ultra in ra» pinam, et judicabo inter arietem et arietem, et suscitabo » super eas pastorem, qui pascat eas, servum meum David : » ipse erit iis in pastorem. Et ego Dominus ero iis in Deum, » et servus meus David princeps in medio eorum ? Ego Do» minus locutus sum. Et faciam cum Davide pactum. » In sequentibus paulo post idem vaticinium reduplicat : « Et » salvos eos faciam de universis iniquitatibus eorum, in qui» bus peccaverunt, et mundabo eos. Et erunt mihi in popu» lum, et ego ero iis in Deum, et servus meus David prin» ceps in medio eorum. Et pastor unus erit omnium isto» rum[2]. » Et subjungit iterum? « Et David servus meus prin» ceps eorum erit in perpetuum. » Vide autem ut ubique in istis Deus non pastor, non princeps, sed Deus futurus sit, eorum qui digni habiti sunt, ut beatum finem consequantur. Horum vero princeps atque pastor futurus esse dicitur David : ubi sub involucro Davidis Christus significatur, eo

[1] Ezech. xxxiv, 11. — [2] Id. xxxvii, 24.

quod de semine ipsius fuit. Hoc ita esse patet, quod David ætate longe antecedebat hæc tempora. Clarius hæc ipsa vaticinatur Daniel, ubi Christum appellat *Filium hominis,* quo nomine frequenter in Evangeliis usurpatur. Ait autem: « Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli, » quasi Filius hominis veniebat; et usque ad Antiquum die- » rum pervenit; et in conspectu ejus obtulerunt eum; et » dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes po- » puli, tribus et linguæ ipsi servient. Potestas ejus potestas » æterna, quia non auferetur; et regnum ejus quod non cor- » rumpetur[1]. » Vides ut in istis incorruptibile non senescens, sine fine futurum ejus regnum Propheta declaret: non quidem Verbi Dei illius, quod in Deo inest, sed *Filii hominis.* Quem eumdem hominis Filium alium et diversum esse docet ab Antiquo dierum: qui regnum accipit æternum ab Antiquo dierum, hoc est ab ipsius Patre; sed hosce unum et eumdem esse Marcellus docet, unamque substantiam, duobus nominibus insignitam. Sed et regnum ipsius circumscripsit audax; et quod regni Christi finis sit futurus post judicii tempora, sine omni verecundia, ita scribit: « Maximum nobis mysterium hic revelat Apostolus, cum » quod regnum Christi sit habiturum finem indicet, finem » vero tum, *cum subjecta fuerint omnia sub pedibus ejus.* Quem sermonem ad hunc modum adhuc exaggerat. « Dixi- » mus in præcedentibus, Dominum nostrum Christum regni » sui initium habuisse: usi sumus ad hoc ipsum declarandum » testimoniis Scripturarum. » Addit: « Certe suppetunt innu- » mera nobis, et quidem abundanter, testimonia, quod sor- » titus sit regni sui principium homo per Verbum. Si vero » sumpsit hoc initium ante annos non plures quam CCCC, » quid mirum si Apostolus retulerit, illum, qui ante tempus » non tam diuturnum accepit regnum suum, idem regnum

[1] Dan. VII, 13.

» traditurum Patri suo. » Post pauca sic infert : « Quid ergo » de humana illa carne edocemur, quam pro nobis ante » annos vix CCCC integros assumpsit Verbum ? utrum retenturum sit Verbum eamdem in futuro sæculo : an solummodo ad judicii tempus. » Et hæc quidem ausus est Marcellus effari. At Dei Prophetæ, regnum Christi futurum interminabile definiunt : et a novo principio exordiendum, post diem judicii hoc affirmant. Nota enim mihi, ut Propheta Ezechiel discrimen supponat ovium Dei; et post judicium David iis pastorem præficiat : quem et principem illorum futurum vaticinatur. Daniel autem ubi præmiserat : « Consideravi autem donec throni statuerentur, et Antiquus » dierum sedit : vestimentum ejus candidum, quasi nix, et » capilli capitis ejus, quasi lana munda; thronus ejus flamma » ignis; rotæ ejus ignis accensus. Fluvius ignis rapidusque » egrediebatur a facie ejus; millia millium ministrabant ei, » et decies millies centena millia assistebant ei, judicium » sedit, et libri aperti sunt[1]. » Hæc, inquam, ubi præmiserat, vidit in sequentibus, Filium hominis venientem cum nubibus cœli, et usque ad Antiquum dierum progredientem, et regnum incorruptibile accipientem. Quocirca differenter ille tum, et multo quidem excellentius regnum accepturus est, quam nunc obtinet : nam in illos imperium consequetur, qui felicitate illa honorabuntur. Testimonium hisce perhibet Evangelium, ubi ipsemet Servator, Propheticas has prædictiones consignat, ubi sermonem apud Discipulos habet, de fine sæculorum : « Cum autem venerit » Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo : » tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, » sicut pastor segregat oves ab hædis, et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet

[1] Dan. VII, 9.

» Rex his qui a dextris ejus erunt : Venite benedicti Patris » mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione » mundi[1]. » Nota mihi autem, quam conspirant ista cum dictis per Prophetam, de ovibus et discretione arietum : et qualiter post illam ovium discretionem, Rex hic introducitur Filius hominis : ipsius autem Pater Deus. Hoc docuit ipse : « Tunc dicet Rex his qui a dextris ejus erunt : Ve- » nite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis reg- » num : » analogice ad illud a Propheta dictum, ubi David qui dicitur pastor et princeps futurum ovium, qui sub auspice Deo, pasturus et directurus erat pecora Dei. Atque ad illud quoque animus advertendus, quod dictum est ab Apostolo : « Cum evacuaverit omnem principatum, et omnem » potestatem, et virtutem[2]. » Propheta quoque insinuavit, inquiens : « Et delebo malas bestias omnes de terra[3]. » Quænam fuerint autem illæ bestiæ, quæ olim facessebant molestiam ovibus, quam potestates ad oppositum constitutæ; quæ cum e medio sublatæ fuerint, novum illud atque eximium sæculum, omni iniquitate purgatum, Regem habebit Filium hominis; vel juxta prophetica involucra pastorem suum atque principem David : at Deum non dicitur, vel pastorem, vel principem habiturum. Sed sublimiori quodam et illustriori supra pastorem, principem, et regem sensu, respectu ad Divinam ejus Majestatem habito, non ovibus tantummodo, verum et ovium pastori imperantem : « Erit enim, *inquit,* illis pastor servus meus David, et ego » Dominus ero iis in Deum[4]. » Servum suum David appellat eum, propter servi formam, quam Servator et Dominus noster de Davide sumpsit.

[1] Matth. xxv, 30. — [2] 1 Corinth. xv, 24. — [3] Ezech. xiv, 21 — [4] Idem xxxvii, 24.

CAPUT XVIII.

Quod in regno Filii unum futuri sint omnes qui illa felicitate habebuntur digni.

Hic est ille finis felicissimus, in quo Deus ille, qui est super omnia, et pater Servatoris nostri, promissum cœlorum regnum et confirmatum a Servatore, illis, qui eo digni sunt, elargietur : hoc est sublimissimum bonum subditis sui Filii, cum factus fuerit omnia in omnibus. Hoc significat ipse Dominus et Servator, ubi eximiam orationem illam apud Deum et Patrem suum effundit pro familiaribus suis. Precatur autem : « Ut omnes unum sint, quemadmodum, » tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum » sint : ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego clari- » tatem, quam dedisti mihi, dedi iis, ut sint unum, sicut » et nos unum sumus. Ego in iis, et tu in me ; ut sint con- » summati in unum ; et cognoscat mundus, quia tu me mi- » sisti et dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo ; ut ubi » sum et illi sint mecum ; ut videant claritatem meam, » quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem » mundi[1]. » Hæc est illa magna et excellens Servatoris nostri pro nobis apud Deum intercessio : ut cum ipso simus, ubi ille est futurus ; et ut gloriam ipsius intueamur ; et ut diligat nos, quemadmodum dilexit eum Pater, et quemadmodum dedit illi Pater, ita ille det nobis gloriam eam, faciens nos omnes unum : ut non simus ulterius multi, sed unum omnes ipsius coüniti Deitati et gloriæ regni : non per commixtionem unius substantiæ, sed secundum perfectissimæ virtutis numeros. Nam hoc ita docuit, inquiens : *Ut*

[1] Joan. XVII, 21.

sint consummati. Et certe per eum ad istum modum, sapientia, prudentia, justitia, pietate, virtute demum omni perfecti facti, Paternæ Divinitatis indeficienti lumini coaduniemur, lux et ipsi facti, ob hanc nostram cum illo unionem. Filii Dei facti, per participationem unigeniti ipsius Filii, cujus radii et splendores nobis communicantur.

CAPUT XIX.

Quod quemadmodum Pater et Filius dicuntur unum, ita quoque et omnes sancti futuri sunt.

Atque ita ad istum modum nos omnes erimus cum filio et cum Patre. Nam ut ipse se et Patrem unum esse dixit, « Ego, *inquiens,* et Pater unum sumus ; » ita quoque ad ipsius imitationem, ut nos omnes fiamus participes ejusdem unionis precatus est. Non quod Verbum, ut Marcellus vult, uniatur Deo, et substantialiter conjungatur ei ; ut veritas ipsa Servator testatur, inquiens : « Gloriam quam de- » disti mihi, dedi iis : ut sint unum, sicut et nos unum su- » mus. Ego in iis et tu in me, ut sint consummati in unum[1]. » Atque ita adimplebitur illud Apostoli dictum : « Ut Deus » sit omnia in omnibus. » Cum vero Marcellus, et qui cum ipso eodem modo quo ipse Sabelliani sunt, tribus niti soleant testimoniis, quibus conantur ostendere, Patrem atque Filium esse unum; utputa illud : « Ego et Pater unum su- » mus; » et secundo : « Pater in me et ego in Patre; » et tertio : « Qui me vidit, vidit et Patrem, » quæ illi semper in ore habent; et illud : « Ego et Pater unum sumus, » objicienda sunt e contra quæ jam protulimus : ubi pro Discipulis intercedit, ut omnes ejusdem unitatis participes fiant.

[1] Joan. XVII, 23.

Inquit enim : « Ut sint unum, quemadmodum et nos sumus » unum. Ego in illis, et tu in me, ut sint consummati in » unum. » Ad illud autem, « Pater in me, et ego in Patre, » opponam denuo ipsius vocem, ubi ait, pro iis intercedens : « Ut tu Pater in me, et ego in te; ut et ipsi in nobis unum » sint. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi ipsis. » In quibus perspicue illud indicavit, ad eum modum in ipso esse Patrem, quo et in nobis vult esse : non quod unum ipse et Pater hypostatice fuit; sed quod Pater, cum participem ipsum suæ gloriæ fecerit, et ipse ad imitationem sui Patris familiaribus suis suam communicet gloriam. Ideo ait : « Ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum, » sicut et nos unum sumus. Ego in iis et tu in me, ut et ipsi » sic sint in nobis. » Ita Pater et Filius unum sunt, communione claritatis; quam cum Discipulis suis impertiat, ejusdem eos unionis participes fecit.

CAPUT XX.

Quod ut Pater in Filio, et Filius in Patre ; ita et in suis sanctis omnibus erit.

Rursus ita erat in ipso Pater et ipse in Patre; quemadmodum concludit beatus Apostolus de illis omnibus qui regno cœlorum digni fuerint, ubi ait : « Tunc erit Deus omnia in » omnibus; » ad modum quo dixit : « Habitabo in illis, et » ambulabo inter eos; » sed et quomodo dictum : « Nos in » ipso vivimus, et movemur, et sumus. » Quæ sane omnia de nobis dicuntur, qui tamen in propria hypostasi subsistimus et vivimus; nec quidquam habemus cum paterna divinitate commune. Quocirca non est mirum si de Filio tales voces usurpentur, quæ minime tollant tamen ipsius hypo-

stasim : nedum confirmant ipsum esse et Patrem et Filium : tantummodo repræsentant illam divinam unigeniti Filii communionem, honorem atque gloriam, quam ex illa a Patre suo habet.

CAPUT XXI.

Quomodo intelligi debeat illud; Qui vidit me, vidit et Patrem.

Ita quoque et *qui* illum *vidit vidit et Patrem;* eo quod ipse solus sit, non autem alius quispiam, *Imago Dei invisibilis;* et emanatio claritatis illius; et character expressus hypostaseos ejus, qui, ut loquitur Apostolus, *in forma Dei fuerat.* Nam, ut qui imaginem regis expressam, qua exactiori modo repræsentatur rex, intuetur per formæ ipsius figuras, per picturam insculptas animo, regem imaginatur : ad eumdem modum, aut potius supra omnem modum rationemque, et supra exemplar quodcumque, qui mente illustrata atque oculis animi a Spiritu sancto illuminatis et purificatis intuebitur attentus magnitudinem unigeniti Dei Filii, et Domini gloriæ, et apud animum suum reputaverit qualiter in eo habitet omnis « plenitudo paternæ divinitatis, » *et quod* omnia per ipsum facta sint, *et in eo* condita sint » universa quæ in cœlis et quæ super terram sunt, visibilia » et invisibilia ; » et recordatus fuerit quod illum solum Filium sibi unigenitum genuerit Pater, virtute ipsi per omnia assimilatum : is et ipsum, iisdem mentis oculis puris et defæcatis, Patrem intuebitur in Filio resultantem. Tales sunt de quibus dictum est : « Beati qui mundo sunt corde, quoniam ipsi videbunt Deum [1]. » Atque ista quidem velut per epitomen sint a nobis elaborata; quippe qui brevitatem

[1] Matth. v, 8.

tanquam scopum quemdam nobis proposueramus. Et certe multa illa opera atque sedulitate exascianda fuerant quæ hæc spectant. In quod si quis velit accuratius incumbere, de lectione Evangelicæ et Apostolicæ Scripturæ, diligenter animadversæ, multo quidem plura colligere poterit quæ Marcelli illud opus dissolute compactum refellant. In quo profecto sexcenta istiusmodi reperiuntur quæ contra sensum et sententiam Scripturæ militant : sunt quæ vim Scripturæ inferunt manifestam ; quæ nullam plane observant consequentiam ; quæ apud prudentes manifestam insinuant, sed communem et proclivem refutationem per se aliorum. Sed nos hisce contenti erimus, quæ at disquisitionem vocavimus in præsenti.

EUSEBII PAMPHILI,

CÆSAREÆ EPISCOPI,

OPUSCULA XIV.

DE FIDE, ADVERSUS SABELLIUM.

LIBER PRIMUS.

Sunt tacentium quæ dicuntur, et dicentium quæ tacentur. Charitas enim non dividitur, non spernitur. Siquidem et qui tacet per alium loquitur, et qui loquitur per alium tacet. In uno enim corpore non omnia membra loquuntur; os pro omnibus loquitur. Sive igitur omnes loquamur, sive unus, sive plures, Dominus loquitur, qui dicit, Ego sum, et iterum dicit, Ego sum. Cum ergo ipse dicit, Ego sum, tu consentis quia ipse est, ut et tu fias particeps. Dicit Dominus, Ego sum, et nemo dicat quia non est. Dicit Pater, Hic est, suscipe et venerare, et Filio dicenti, Ego sum, crede. Crede sane et Patre demonstrante quia habet filium. Dicit enim Pater, *Hic est* quis hic? *Filius meus*[1], ait. Non tamen vox mea, aut cogitatus meus, sed Filius meus, inquit, hic est, Filius meus dilectissimus : non qui contrarius est mihi, sed qui me honorat et diligit. Est enim Filius ut Filius, et est Filius Dei ut Filius. Et cum sit Dei Filius, tamen non intermittit unum imperium Patris. Si enim alia placerent Patri, alia faceret Filius, lis et dissensio haberetur, et periclitaretur unitas imperii. Si autem dicit : « Quæ ipsi placent » facio semper[2], » quia ea quæ placent Patri semper facit,

[1] Matth. III, 17. — [2] Joan. VIII, 19.

neque contrarius est, neque dissentit, neque adversatur Patri; sed honorificat et diligit suum Genitorem, eique obedit. Scriptum est, Hic est, Ego sum, et, In principio erat, Si enim Patrem interrogas, dicit. Hic est Filius meus dilectissimus : et non solum dicit, sed et ostendit. Si a Filio requiras, dicit, Ego sum; et hoc frequenter, si Evangelium legis, invenies dicentem, In principio erat, et, Apud Deum erat, et, Deus erat : « In principio, *enim,* erat Verbum, et » Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat » in principio apud Deum [1]. » Et sæpe dicit, Erat; et quidam ne quidem semel contendunt quod est, sed nec semel dixit de Filio, Hic est. Sed cum venit Filius ut impleret omnem justitiam per Joannis baptismum, quia tempus erat ut signa faceret, et demonstraret virtutem quæ erat absconsa : ut ne quis putaret quia ut homo purus indigens baptismo venit ad baptismum : primus Joannes utpote vox non tacet, qui vox quidem dicebatur, homo autem erat. Si igitur Joannes qui vox dictus non interimit hominem, magis Filius Verbum dictus non intercipit Deum. Neque enim Zacharias vocem genuit, neque Elizabeth vocem peperit. Neque Deus Verbum id quod ex voce est genuit, sed Deum Verbum : quia Joannes quidem vox vocabatur, homo autem erat; ita et Dominus Jesus et Verbum dicitur non visibiliter, sed Verbum Deus et apud Deum, non solum Verbum, neque una vox ex multis, sed unigenitus Deus. Quia igitur veniebat ut baptizaretur propter nos, Joannes antequam appropinquaret qui baptizandus erat, quia vox erat, non tacuit, sed clamavit dicens, quid? *Ecce Agnus Dei*[2]. Nonne dictum hoc ostendit eum qui ad baptismum venerat? qui enim videbatur, erat agnus Dei; qui autem occultabatur, sacerdos Dei. Dicit ergo Joannes, Ecce Agnus Dei. Non erat ut diceret Filium, non erat ut diceret regem : sed quia desidera-

[1] Joan. I, 1. — [2] Id. x, 20.

bant justi, et Prophetæ reges, ut viderent Salutem mundi, peccati mortem, corruptelæ necem. Quia enim ista erat expectatio justorum, quando veniret is qui nosset et resolveret ea quæ per Adam mala inducta sunt, ideo venit et apparuit Dominus. Apparuit autem per corpus is qui erat naturæ invisibilis. Congaudens igitur nobis Joannes et sibi; omnes enim indigebant salute quæ a Domino est; evangelizans et semetipsum et nos, gaudio gaudens ob præsentiam Sponsi, Ecce, inquit, quod expectabatur, ecce spes, ecce salus. Spes bona hominibus : assumptum nostrum est corpus, venenum extinctum est diaboli, mortificatus est serpens, fortis enim est qui assumpsit. Ecce quod expectabatur, ecce quod sperabatur, ecce admiratio, solvitur jam peccatum, interficitur mors, pellitur corruptela : « Ecce » Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi[1]. » Quid, inquit, ergo laboro in pœnitentia baptizans? quid insudo? baptismum enim quod per Joannem dabatur non erat idoneum ad purgationem, quia non remissionem peccatorum poterat Joannes dare, sed hortabatur ad pœnitentiam; servus enim erat, et non poterat donare : soli enim Domino licet sua donare. Quid, inquit, baptizo jam ego ad pœnitentiam? Ecce qui tollit, ecce qui exurit, qui eradicat, qui penitus evellit peccatum, non unius, aut quinque, aut sex hominum qui a me baptizantur, sed totius, inquit, mundi. Homo enim non poterat totius mundi peccata tollere, quia omnes homines ex Adam, et non ex Deo. Non quia est aliquis qui non est a Deo creatus per Filium, sed omnis homo, quique progenies Adæ est, et non nativitatis peccatis subjacet. Nos enim in ictu et in exigua hac vita constituti peccamus et lingua et actibus : qui autem peccatum non fecit, neque dolum habuit in ore suo, ut neque opere neque sermone peccaret, ipsa justitia est. Quia ergo justitia propria non

[1] Joan. 10, 20.

habebat peccata, potuit mundi peccata portare: qui enim ægrotat alium sanare non potest; et qui peccatis subjacet, aliena portare delicta non potest. Qui autem non peccavit, neque scit peccatum, iste sua virtute aliorum assumit et tollit peccatum. Dominus enim baptizatur a Joanne, et assumit aliorum delicta; assumens autem aufert ea quæ suscepit. Intueris istum visibilem solem qui per Deum factus est? iste sol visibilis certe unus est ex omnibus quæ per Filium facta sunt. Iste ortus sordes continget, et fœtores et cœnum; et illa quidem quæ habent fœtorem liberat a fœtore: ipse autem se non coinquinat ab his quæ detergit. Si igitur iste sol visibilis qui oritur et occidit, qui non in principio fuit, sed quarto die per Filium factus est; si iste sol non repletur ab his quæ contingit, multo magis Dominus justitiæ qui purgat et emundat, clarificat et illuminat, non contaminabitur ab his quæ contingit: non potest enim ejus natura contaminari. Nihil in eum ingreditur alienum. Quod enim natus est semel, hoc et manet. Nihil defuit ut introduceretur, nihil minus est ut repleatur. Audebo sane dicere vera, quia non solum nihil mali ad additamentum suscipit illa natura, sed nec boni. Si ergo malum non suscepit, quia lumini tenebræ non permiscentur, bonum autem additamento non indiget, quia perfectum genuit perfectus, non est promotio derelicta Filio. Non nunc dico, sed nec antea, perfectus enim est natus, et ideo nihil additamenti accipit, nihil acquirit; perfectus enim est progenies perfecti, omnibus quidem sufficiens donare, ipse autem non indigens, nihil ab his quæ fecit Filius accepit, quia anticipans omnia habet sibi data a Patre. Non cum apparuit tunc et Filius, non cum nobiscum tunc et apud Deum; sed quemadmodum in principio erat Verbum, in principio erat, non tamen in novissimis temporibus; in principio, non tamen post sæcula quæ per ipsum facta sunt. In principio

ante omnes apud Deum, ante cœlos : non enim necessarios habebat cœlos ad habitandum; siquidem nec tunc cum factum est cœlum ad usum factum est Dei, sed ad beneficium ipsius cœli et eorum qui sub cœlo sunt creatum est cœlum. In principio erat, serva quod erat. Si enim et tu non dixeris; Erat, ille quidem manet quod erat, tu autem fraudaveris ut sis. Non enim ex his quæ diximus efficiuntur negotia rerum : sed si confessi fuerimus ut se res habere videntur, salvabimur. Si autem delirantes non ut se habet negotium locuti fuerimus, ipsæ quidem res manent, nos autem judicabimur. Erat, et erat, et erat. « In principio erat Verbum[1], » ecce semel erat : « Et Verbum erat » apud Deum, » et iterum erat : « Et Deus erat Verbum, » ecce tertio erat : « Hic erat in principio apud Deum. » Post quatuor has voces adhuc dubitas quod erat? et iterum : « Vita erat, et vita erat lux hominum. » Si dicit Evangelista, qui ex pectore Domini haurivit, Erat, et hoc frequenter, ex his quæ sæpe dicta sunt ne quidem unum tenes, et quem lædis? ille enim erat, est, et non cessavit ut sit. Tu autem non eris ejus, nisi fueris confessus quia erat, et est, et erit, et nunquam cessavit ut non sit. Principium Evangelii dicit, Erat, et tu statim dubitas; necdum cœpisti legere, et offendisti. Evangelista ab Erat cœpit, et tu Erat interimis? Necdum legisti, et contradicis. Erat in principio ante omnes, bonus enim est Pater, et non est divisus generans Filium; potens est, et non erat ei impossibile impleri suam bonitatem. Tempora enim et sæcula et spatia deorsum sunt. Noli computare unigenitæ illi naturæ aliquid, nihil ex his quæ facta per ipsum sunt; sed confitere Patrem non natum, et alium non natum quærere noli, quia nec invenies. Confitere Filium unigenitum natum a Patre, et alium Filium ne quæras, sed eum qui est unus unigenitus, qui ab uno est

[1] Joan. I, 2.

Patre, a solo solus, ab uno unus. Nihil enim æquale est Unigenito, nihil simile Filio, nihil ei comparatur, nihil æquatur. Omnia eum adorant, ob honorem utpote ejus qui genuit. Non est unus ex his quæ per ipsum sunt, non est ex hoc mundo, sed et mundus per ipsum. Non cœlum cum Filio, sed et cœlum per Filium. Quid opus est partibus exhibere naturæ? « Omnia per ipsum sunt, et nihil sine ipso, » et tertio, quod factum est ipsum. Noli dicere hominem, ne irascatur qui genuit. Joannes Evangelista, si tamen Joannes, et non qui per Joannem, scripsit de Filio, scripsit et de Joanne Baptista. Subinterroga igitur quemadmodum de Deo loquitur Evangelista, et quemadmodum de homine. « In principio, *inquit,* erat Verbum : » hoc de Deo Filio dixit. Dicit et de Joanne : « Factus est homo. » Lege illa, sublege et ista : et invenies quomodo de Deo Filio loquitur; et hominem exponet Joannes. In principio erat Verbum, de Filio dicit. Factus homo, de Joanne ponit. Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, de Filio loquitur; de Joanne autem : « Non erat ille lumen[1]. » Et iterum de Unigenito ait : « Hic erat in principio apud Deum; » de Joanne autem : « Hic venit ad testimonium. » Injuria quippe est, et præponere unigenitum servis suis. Nam et quod dicitur nihil ei comparatur aut æquatur; non est magnum, sed egenis etiam parva sunt magna. Non est enim unus ex Prophetis Filius, sed per quem omnes Prophetæ; non unus ex regibus, sed per quem omnes reges; non unus ex justis, sed ipse justitia; non unus ex servis, sed filius; non unus ex omnibus, sed per quem sunt omnia; non ex his qui assistunt et ministrant, sed qui sedet ad dexteram Patris; non ex his qui judicantur, sed qui suscepit omne judicium judicandi. Non quando apud nos tunc et apud Patrem. Tunc enim hoc dictum intercidatur. Ad nos enim

[1] Joan. I.

dispensans venit : tunc quando ut ovis, quando ut agnus Dei. In principio autem erat Deus apud Deum : nam et cum apud nos, Deus nobiscum Emmanuel. Non alius apud Patrem, alius autem nobiscum, et alius erat manens; siquidem in figura Dei constitutus istam nostram figuram servi accepit : non ab illa recedens istam honoravit; non ab illa exiens; nos salvavit non reliquit pastorem, et accepit ovem. Quemadmodum enim qui non manet quod erat, poterat accipere quod accepit? Non erat possibile salvare homines homines, quia homines subjacemus et propriis peccatis et clade; tenebat sane maledictum mors et corruptela, et ut tyrannus regnabat diabolus, et bacchabantur dæmones. Consuetudo autem magis nostra vincula constringebat : bacchabatur enim in nobis et libido et tenebat concupiscentia, et adorabantur omnia; et quia adorandus ignorabatur, offensiones erant nobis omnia. Nam et sol non illuminabat, sed et ipse nobis erat offensio. Venit autem per quem sunt omnia, non solum nos liberavit, sed et ipsum solem ab ignobili isto honore liberum fecit. Liberavit sane lunam a calumniis, et purgavit stellas ut non adorarentur. Si autem quidam ad hæc usque contendunt, reliquia malorum commemorantium beneficium. Nunc igitur et aurum est mundum. Nunc et argentum ad id quod creatum est utile. Nunc æramentum æramentum est, et ferrum ferrum, et lapis lapis, et signum signum est, et Deus Deus. Nunc dæmonibus increpatur ut decet, et non adorantur ut non decet. Venit enim rex et extinxit tyrannum, et agnovit ovis pastorem, et fugati sunt lupi. Quis sane venit? utique is qui erat in mundo. *In mundo,* inquit, *erat,* siquidem nihil vacuum ab ipso etiam ante adventum ejus erat. Quia enim non cum apparuit tunc et venit, sed erat latens, apparuit qui erat latens. Non sunt ista mea, sed Evangelistæ; ait enim, *In mundo erat.* Sed parum visum est ei qui dixit, In mundo erat, et ideo repetit

sermonem religiose, et dicit, « Et mundus per ipsum factus » est. » Ut autem non esset contemptus, qui ait, In mundo erat, dixit etiam quia ante mundum erat, et ait, Et mundus per ipsum factus est. Hoc significat quod ante mundum erat. In mundo, inquit, erat. Quomodo in mundo erat? « Erat, » *ait,* lumen verum qui illuminat omnem hominem venien» tem in hunc mundum. » Ut autem non diceret, venientem, ita quasi non esset in mundo, et putares quia venit quidem qui non aderat, ideo tutans istam suspicionem addit, In mundo erat. Et ne iterum putares quia cum mundo factus erat, repetit et dicit, Et mundus per ipsum factus est. Si igitur per ipsum factus est mundus, erat utique Filius antequam fieret mundus, quia ab ipso factus est mundus. Denique etiam ab ipso Filio audi, « Da mihi, *inquit,* Pater, glo» riam quam habui apud te antequam mundus fieret[1]. » Quomodo ergo, inquit, erat in mundo? In mundo erat, et ad mundum venit. Quemadmodum autem etiam illud accipis dictum, *Dominus regnavit*[2]? Rex enim est indeficiens, non nunc quidem rex, aliquando autem non, nec postea non. Quemadmodum ergo dictum est, Dominus regnavit, prout diceret, Homines regnati sunt, aut regnaverunt. Non enim ille accepit quod non habebat, sed nos digni iterum judicamur eo a quo excidimus. Nos itaque regnamur, et iste regnat. Non nunc assumens imperium : sed nos liberamur a tyrannide. In mundo, inquit, erat. Si in mundo erat, quomodo venit in mundo? Apparet in mundo. Quid ergo non vadit ex mundo? Dicit enim : « Adhuc modice lumen » vobiscum est. Vado ad eum qui me misit : quæritis me, et » non invenietis[3]. » Nunc vadit, et relinquit mundum. Sed iterum ipse dicit : « Ecce ego vobiscum sum usque ad con» summationem sæculi[4]. » Aderat ergo et antequam adve-

[1] Joan. XVII, 1. — [2] Psal. XCI, XCVI, XCVIII. — [3] Joan. XII, 35. — [4] Matth. XXVIII, 20.

niret, adest etiam postquam perrexit. Intuere ergo quemadmodum in mundo erat invisibiliter. Nam id videntibus Apostolis, et nobiscum est usque ad consummationem sæculi : incorporalis enim natura locis non circumscribitur. Sed posteaquam assumpsit corpus, non ut recluderetur assumpsit, salvare enim venit, et non minus exaltare, et non humiliare; non quia non se humiliavit, humiliari enim dico, decidere eum a sua dignitate, sed potius abscondere suam dignitatem. Si enim ipse decidit ab eo quod erat Deus, nos non utique revocavit ad eam ex qua cecidimus. Salvare igitur venit Dominus, non tamen amittere quod habebat. Fecit bene ipse manens in quo erat, non natura excidens sua; sed misericordia utitur Patris. Quid ergo propositum erat nobis dicere, quod solum ei convenit dici? solum autem convenit dici, quia est Pater vere, est et Filius vere, est et Spiritus sanctus. Non otiosi sermones, non vacua verba, sed natura vera. Pater non natus, et solus non natus; et Filius unigenitus, et solus unigenitus est. Spiritus sanctus, qui a Filio secundum Patris voluntatem mittitur. Vis autem edoceri quia hæc vere dicuntur? Venit Dominus ad baptismum Joannis, et videbis qui est qui dicit : « Hic est Filius meus » dilectissimus, in quo mihi bene complacui[1]. » Quis dicit hæc? utique Pater de Deo, qui videbatur ut homo. Qui dicit ergo, Pater est, de quo testimonium erat Filius est. Spiritus in specie columbæ. Et qui ut homo apparebat, et qui in homine habitabat, et qui in corpore erat, testabatur et dicebat : « Expedit vobis ut ego vadam. Si enim, *inquit,* » ego non iero, Spiritus non veniet; cum ego iero, rogabo » Patrem meum[2]. » Non tamen me et alium advocatum mittet Pater ad vos. Qui vadit, et qui rogatur, et qui mittitur, non Dii dicuntur. Unus enim est Deus a quo sunt omnia, et unus Dominus Jesus, per quem sunt omnia. Sed unus Deus

[1] Matth. III, 17. — [2] Joan. XVI, 7.

non natus, et unus unigenitus Dominus natus a Deo est. Si enim non natum et non natum dicerem, aut unigenitum et unigenitum, tunc asseverarem id quod non dicit Ecclesia. Quid ergo dicit Pater in Joannis baptismum? « Hic est » Filius meus dilectus, in quo bene complacui[1]. » Sufficit a Deo et semel audire, sed non dicit semel. Siquidem et in monte cum fuisset Dominus transfiguratus, præsente Moyse et Elia, eadem repetit et dicit : « Hic est Filius meus dilec- » tissimus in quo bene complacui, ipsum audite[2]. » Nam et Joannes similia fatetur et dicit : « Qui misit me baptizare » in aqua, ipse mihi dixit, In quem videris Spiritum venien- » tem, hic est[3]. » Si igitur Evangelista dicit, Erat, Baptista autem dicit, Hic est, et Spiritus testatur quia ipse est, et Pater demonstrans dicit, Hic est, et filius dicit, Ego sum, et dæmones dicunt, Tu es; quæ procacitas ista est ut non credat? Aut enim Patri crede, aut Filio obedi, aut Spiritui consenti, aut cum Prophetis concorda, aut cum Legislatore confitere, aut certe cum dæmonibus noli negare. Illi enim dicunt : *Scimus te qui sis*[4], et non cessant confitentes. Quotiescumque enim nominaveris dæmonibus Filium Dei affixum cruci, trementes statim voce prima confitentur. Est enim Filius, et manet, et regnum ejus non habet finem. Sed finem habeat os illius qui dixit quia regni ejus est finis. Patrem enim qui genuit non pœnitet de bona progenie, non devorat suum filium. Irridemus fabulas Gentium, et iterum easdem inducimus : non nos, sed qui ausus est Galata. Deus enim non vocem genuit, sed Filium : non sermonem, sed vitam : non dictum, sed Deum. Apud Deum enim, non in ore Dei : ad dexteram Dei, non tamen qui in voce est. Judicem eum qui vivificat, verum lumen, justitiæ solem. Lumen autem non tale quale et apud nos, nihil accipiamus visibile ad exhibitionem invisibilis. Non mihi isthic fontes

[1] Matth. III, 17. — [2] Id. XVII, 5. — [3] Joan. I, 33. — [4] Luc. IV, 34.

adducas in medium, non solem et ejus lumen. Quæ enim per Filium facta sunt, non comparantur Filio. Hoc enim lumen non est solis, sed efficientia solis : hoc lumen non habet vitam, Filius autem vita est ; hoc lumen non aperit oculos cæcorum, sed his qui creati sunt præbet videre. Sed ne quidem hoc a se, sed ab eo qui indulsit. Hoc lumen in tenebris non lucet : tenebræ enim eum non comprehendunt. De illo autem lumine dictum est : « Lumen in tenebris lu» cet, tenebræ eum non comprehenderunt[1]. » Hoc lumen non pascit, non transfert aquam ad vinum ; hoc lumen non suscitat mortuos, sed otiosum est mortuis ; et non quia commune est nomen, putas quia et communis natura est. Hoc lumen aut in primo die, aut cum sole in quarto, quemadmodum quis putaverit die quarto est factum. Filius autem non in primo die, neque in quarto, neque in totum in die, neque in hora, neque in temporibus, neque in sæculis. Hæc enim per Filium, non tamen Filius in his. Non enim a communione hominum confundere debemus differentiam naturæ. Hoc lumen per illum lumen est. Non ergo comparemus insimilia aut similia. Neque fontes et meatus fontium, et rivos et fluvios, quia non defluit Pater, sed manet ut erat. Ipse est enim qui est. Neque passiones oportet adjungi impassibili Patri, quia non dividitur, non scinditur, non separatur, sed manet et generat. Generat autem ut ipsum decet nosse, et nos adorare. Noli dicere quemadmodum, neque quæras generationem illam, quam nullus enarrat, nullus scit, nullus novit. Cede et confitere infirmitatem tuam. Obumbret te Christus. Si enim tu quomodo natus es nescis, quemadmodum qui de te ignoras, de Patre et Filio aut quæris, aut nosse te putas? Quid ergo non debemus confiteri Deum et Filium? Confitere ea quæ de Patre et Filio scripta sunt, et noli curiosus ea quæ non sunt scripta

[1] Joan, I, 5.

requirere. Dicitur, *In principio erat,* et quis audebit reprehendere? Si autem et reprehenderit te, semetipsum lædit: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, » et Deus erat Verbum. Hic erat in principio apud Deum. » Et sæpius ista dicantur, et nihil conquæratur novi. Utinam autem solum legeremus! utinam solis Scripturis contenti essemus, et lis nulla fieret! Si enim quis litigat, vel contradicit, jurgatus fuerit his quæ scripta sunt, non ad hominem litigat, sed ad Deum qui scripsit. Unde autem efficitur lis, cum ea quæ ex corde sunt proferimus? Puto enim quia nullus est ausus jurgari ad Deum. Ea quæ scripta sunt lege, et nullus jurgabitur. Pater statim ut dictus fuit Pater, requirit ista vox Filium. Dicitur Filius, et in eo ipso dum dicitur, Pater confitetur. Non enim vacua vox est Pater, sed exhibens naturam Filii. Non vacua est vox quæ dicit Filium, sed præcedens confitetur Patrem, non temporibus, non spatiis, sed dignitate et honore. Pater diligit Filium, diligit et diligitur. Unde lis ista est non invenio. Illic pax, et isthic jurgia. Illic dilectio, et hic contentio. Si diligimus Patrem, imitemur pacem quæ illic est. Si diligimus Filium, non est dissensionis Deus. Nosti, doce: ignoras, edocere. Lis enim neque docet neque docetur. Quod comprehendis, hoc quære. Invenisti, gratias age. Nosti, trade. Ego autem scio quia nescis. Unde scio quia ego nescio. Unde hoc quia ignoro. Verax enim est qui dixit, *Nemo novit*[1]. Secundum istam igitur vocem, omnis quicumque se dicit scire, mentitur. Sed forte dicis, Dei sumus, et non scimus quantum et pertingimus, hoc solum quia est; non tamen qualis et quantus est. Quia igitur est scimus, non tamen qualis. Non enim nostrum est mensurare immensurabilem, non nostrum comprehendere incomprehensibilem. Cum enim memoria de Deo est, mens religiosa intremescat, intremescat et lingua.

[1] Joan. I, 18.

Non quia durus Deus, sed supereminenti bonitate est timendus. Sol iste obscurat oculos, non quia obscurus, sed quia multum est clarus. Et Deus timendus, quia multum est bonus. Cogita apud te qui sis humilis. Non enim audisti eum dicentem : « Vos ex inferioribus estis, ego autem de » superioribus sum[1]. » Nam quantum cœlum a terra distat, tantum et a nobis Deus. Et certe scriptum est : « Quantum » distat cœlum a terra, tantum viæ meæ a viis vestris[2]. » Ut ad nos vox hæc dicta est bene. Non enim hæc est mensura distantiæ, quia neque comparamur, neque æquamur, neque in quo minus sumus. Non nos solum, sed nec Angeli, aut Archangeli, aut Virtutes, aut Dominationes, neque aliud aliquid, sed omnia relinquuntur ab Unigenito, ipse autem soli uni Nato non cedit. Non sumus Judæi, confitemur enim Filium. Non sumus gentiles, quia non dicimus multos Patres Non sumus hæretici, scimus enim Spiritum. Sed quid sumus? Sponsa viventis sponsi per Christum nos sumus. Si ergo nos qui per Christum sumus, putas quia ipse non est, ea quæ per ipsum sunt manent, et ipse finem habet, ut quidam insaniunt. Non enim acquirit aliud, quod non est, non assumit, sed et quod est abscondit, hoc enim significat : « Da mihi, Pater; » sed non aliquid novum petit, sed « quod habui, *inquit,* apud te da » mihi[3]. » Non enim habes, o Domine, quod habebas? Sed quia, inquit, absconsa est mea species; quia non apparet mea gloria. *Glorifica,* inquit, tuum Filium. Et quid respondit Pater? *Glorificavi*[4]. Si igitur glorificavit, quid quærit glorificari? Sed dicit Pater : « Et iterum glorificabo. » Si jam glorificasti, quomodo iterum glorificas? Num addes quoniam ab initio genuisti? Non addo, sed et per corpus ostendo mei Filii gloriam. Genui, glorificavi, et iterum glorificabo. Palam inquit facio quod erat absconsum. Nam et

[1] Joan. VIII, 23. — [2] Isai. LV, 9. — [3] Joan. XVII, 5. — [4] Id. XII, 28.

Apostolus dicit : « Et superexaltavit eum, et dedit ei nomen » quod est super omne nomen[1]. » Non mercede, utpote obedientiæ. Scriptum enim est quemadmodum obedivit usque ad mortem, mortem autem crucis. Et ideo, inquit, Deus superexaltavit eum. Si quis autem dure legerit sermones, forte putabit istam superexaltationem mercedem esse obedientiæ. Ita putas, sed non te permittat ita sentire qui hæc dixit. Ait enim : « Qui ascendit ipse est et qui descendit[2]. » Ergo exaltavit eum qui descendit. Non tamen a deorsum sursum adduxit. Sed eum qui descendit, iterum sursum assumpsit. Assumi dico, non quia mundus fraudabitur a præsentia Unigeniti. Non potest mundus sine gubernatore salvari. Non potest mundus stare si recesserit Unigenitus. Sed forte dicis : Non sufficit enim Pater ? Non quia non sufficiebat Pater, ideo genuit Filium : sed quia non sufficiebant ea quæ facta sunt sufferre non nati virtutem, ideo per mediatorem loquitur. Quare, qui non poteramus propinquare non noto, per viam igitur hortatur, et per januam vocat, et per lumen adducit. Mediator autem Filius, et ponitur Lex : Mediator Filius, et loquuntur Prophetæ : mediator Filius, et prædicatur Testamentum novum et impletur vetus : mediator Filius, et fiunt Angeli : mediator Filius, et creantur Archangeli : mediator Filius, et creator omnis naturæ, et gubernator, et salvator. Non enim creavit et dimisit : quia non sine providentia sunt quæ sunt. Non est fatigatus faciens. Neque ut volatilia, ut pisces generant quidem, relinquunt autem. Et certe nec ista generant et dimittunt : sed habent diligentiam et pascunt. Si igitur ista ita, multo magis per quem creata sunt omnia, per istum omnia et gubernantur et pascuntur ; non vacante Patre, sed annuente ; annuente autem, non oculis, sed ut decet incorporalem : ita annuit ut ipsi decorum est. Filius autem agnoscit ut Filium decet :

[1] Phil. II, 9. — [2] Ephes. IV, 10.

opera autem fiunt ut Pater vult, et Filius ministrat. Hæc nos oportebat dicere, imo omnes ex Scripturis legere : Quis enim sum ego? quid habeo quod non accepi? Omnia enim ab uno et per unum sunt, et quæ facta sunt, et quæ recte dicuntur. Quanta sane misericordia est Dei ! genuit Filium, quia bonus est : creavit universa per ipsum, quia benefactor est. Erravimus et non despexit, cecidimus et non sprevit; sed misit Filium suum obedientem, ut salvaret hominem inobedientem. Misit sine peccato, ut revocaret eum qui peccaverat. Misit Filium suum facientem placita, ut salvaret servum obedire nolentem. Misit justitiam, ut auferretur peccatum; misit vitam, ut mors moreretur. Misit eum qui a se, ut salvarentur qui erant ex homine. Misit eum qui ex virgine, ut salvarentur ii qui ex muliere fuerant perditi. Misit in figura viri, ut salvaretur qui perierat vir. Cum latronibus figitur cruci, ut paradisus et latronibus aperiretur. Cogita dignitatem, et æstima magnitudinem gratiæ. Me enim ex muliere nasci, aut te, non supra naturam est. Manducare aut bibere, dormire et surgere, et in præsepio poni, nihil novi, si homines ea quæ sunt hominum patiuntur. Quid autem novum, quid admirabile, quid prœcipuum, quid nostrum debitum irrepensabile Deo? Quia misit Deus Filium suum, misit Pater Unigenitum, misit non natus progeniem, misit obedientem bonus, misit justitiam qui genuit. Cur misit? propter peccatores. Cur misit? propter Adam qui mandatum contempsit. Venit ergo qui obedivit ad hæc, et judicatur judex ob condemnatum, crucifigitur vita pro mortuo, coronatur spinis gloriosus, bibit fel fons dulcis. Quid inveniemus ad repræsentandum? quomodo agemus gratias? Non sufficiunt linguæ nostræ, non ora, etiamsi fuerint mille. Non sufficimus nos, adjutóres quæramus. Adjuvent nos Angeli, nobiscum gratiam reddant, et Archangeli, ut et ipsi gaudeant. Si quidem et omnis creatura arata est. Parturit

enim et ingemiscit, et expectat nostram salutem, ut et ipsa liberetur a dolore. Liberatur enim et sol ne ultra adoretur, et luna, ne ipsa calumnietur a deitate : stellæ enim, ut non contaminentur hostiis; ut jam non male confletur argentum; aurum, ut non coïnquinetur; viri, ut sese jam non incidant; mulieres, ut non ad injuriam deludantur; tauri vituli, ut non varie comburantur; vinum, ut non sine causa libetur; terra, mare, ut non immutatis nominibus adorentur : omnis enim natura contaminata est, omnis creatura deificata. Sed non despexit is per quem et facta sunt. Venit enim qui contingeret sua, venit qui malum venenum auferret, venit ipsius vitæ medicamen. Mortuus est ut occideret mortem, condemnatus est ut condemnaret corruptelam; coronatus est spinis, ut nos non haberemus spinas; suscepit maledictum per crucem, ut nos susciperemus benedictionem mundam. Non possum dicere quantum sapio. Non possum sapere quantum possibile est. Si sapuero quantum possibile est, non pervenio ut dicam quantus est. Inenarrabilis enim et incomprehensibilis Pater est. Talis autem et Filius ipsius Patris. Si enim ob sui misericordiam nos assumpsit, interimere eum debemus qui nos salvat, Quid hoc mali est ita homines de Filio sentire? Maneat ut erat, et in corpore et in præsepio, nihil humile de eo sentias qui te exaltavit nihil abjectum aut incongruum. Noli spernere salvatorem tuum. Siquidem etiamsi verbo eum humiliare volueris, natura non transfertur ad tuam linguam; si autem et abnegaverimus eum, ipse fidelis manet et negare se non potest, hoc est a propria natura non excidit. Iste nobis Pater non natus est, unus solus non natus, non ab alio, nec ex alio. Sæpe dico eadem. Siquidem et Joannes, qui de Filio dixit, *In principio erat,* non tacuit, sed frequenter ait, Erat. Quid enim aliud et deberet dici? Domus Dei? quodcumque dixerimus est : quod non de Filio est, alienum a die est. Spiritus in medio nostrum est : si non spiritualia

locuti fuerimus, contristamus spiritum in quo signati sumus. Gloria Dei, veritas Dei, non quærit a te laudes, sed nec ab Angelis. Non dico ut te, sed quærit a te ut agnoscas eum : prodesse enim ei potes, si eum agnoveris? aut lumini prodest, cum vides? ut dicamus quia et Deo prodesse potest. Deus enim vult te agnoscere se. Cognitio enim Dei æterna vita est; non Deo, sed his qui cognoscunt. Ita enim et Dominus pronuntiat : « Hæc est autem vita æterna, ut cognos» cant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Chri» stum[1]. » Verus Deus est Pater in eo quod non natus est. Verus Filius est in eo quod est unigenitus. Non enim mendacium genuit verus. Sed verus Pater Deus non natus, verus Deus Filius unigenitus. Nam et illud quod dictum est, « So» lus habet immortalitatem[2], » verum est : a semetipso enim solus habet. Sed sicut Pater vitam habet in semetipso : ita et Filio dedit vitam habere in semetipso. Unus ergo non natus, et unus Unigenitus, et unus Spiritus sanctus. Hæc dicit una Ecclesia, hoc consignatur in uno baptismo, hæc scripta sunt in sanguine martyrum, et ante martyres in sanguine Christi. Nec spernas ejus sanguinem qui tui causa effusus est : effudit enim suum sanguinem Dominus ut salvareris, et tu audes ea delere quæ per sanguinem sunt scripta? sed quod per sanguinem scriptum est, non deletur. Vide sane ne et tu de libro vitæ delearis. Adora unum non natum, et unum Unigenitum; ne spernas unum Spiritum. Adora Patrem, et salvabit te Filius : adora Filium, et suscipiet te per eum Pater. Confitere Spiritum, et impertiet tibi Filius Spiritum. Hæc dicantur, hæc cogitentur, hæc sentiantur. Ista enim est æterna vita. In his erimus sine lite, sine jurgio, sine contentione. Ad pacem enim nos vocavit Deus. Ipse enim Christus est pax nostra, in ipso vocati sumus. Quid, dimissa pace, lites assumimus? Non audisti eum

[1] Joan. XVII, 3. — [2] I Tim. VI, 16.

dicentem : « Pacem meam do vobis, pacem meam derelinquo vobis[1] ? » Suam pacem dat nobis Dominus, et nos jurgia e contra inducimus. Finis autem sermonis iste sit. Gloria uni non nato Deo per unum unigenitum Deum Filium Dei in uno Spiritu sancto, et nunc et semper et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LIBER SECUNDUS.

Puto adhuc aures obstrepi meas a memoria beati illius viri, qui illa religiosa frequenter usus est voce. Nam et aures vestræ adhuc bonum illius vocis retinent. Puto enim me audire eum dicentem : « Unigenitus Dei Filius [2]. » Ecce enim religiosa vox per os ejus semper promebatur. Memoria enim erat Unigeniti ad gloriam non nati Patris. Audivimus autem Apostolum præcipientem honorari duplici honore debere presbyteros, eos maxime qui laborant in verbo et doctrina[3]. Qui enim pudicitiam colit, bonus est sibi : et qui jejunat, etiamsi bonum faciat opus, tamen sibi : et qui miseretur, et sibi misericordiam parat, et ei cui præbet. Qui autem religionem secundum veritatem docet, et sibi vitam æternam acquirit, et omnibus qui docentur. Non est præceptum Apostolis ut pauperes pascerent, sed ut et ipsi pascerentur. Religionis ergo prædicatio major est a misericordia quæ fit ad homines : oportet enim primum nosse eum propter quem fiunt ea quæ fiunt, et ita facere misericordiam; unusquisque enim qui operatur sibi acquirit opus : prædicatio autem veritatis hæc est, propter quam et Filius venit in corpore. Non dixit Dominus, Beati oculi

[1] Joan. XIV, 27. — [2] Id. I, 18, et III, 18. — [3] I Tim. V, 17.

eorum qui jejunant, sed videntium, inquit, ea quæ videtis. Sed non ego nunc bonos actus accuso : sed sicut stella stellæ præfertur gloria, ita et actus actibus differunt honore [1]. Summum enim et præcipuum et primum fundamentum et radix omnium operum quæ fiunt, fides est vera. Dicit enim Dominus : « Ego propter hoc veni et propter » hoc natus sum, ut tester veritati [2]. » Ipse Dominus reddens causam sui adventus in mundo, dicit, Quia ideo natus sum et ideo veni in mundo ut tester veritati, et tu abnuis ? Nam et Petrus beatus dicitur, non ob jejunium, neque ob aliud aliquod opus, sed quia Pater ei revelavit Filium [3]. Et iterum Pater ubique de Filio testatur [4]. Nam et in baptismo Joannis et in monte nihil aliud proclamavit, nisi, Hic est Filius meus dilectissimus in quo bene complacui [5]. Similiter et Paulus, dum doceret, dicebat : « Fundamentum aliud præter eum » qui est positus nemo potest ponere, præter eum qui est » Christus Jesus [6]. » Si igitur fundamentum fuerit salvum, sperat ædificatio bene proficere se posse : si radix fuerit sana, spes est fructus ex ramis accipere. Si autem infirmum fuerit fundamentum, in periculo sunt ea quæ superponuntur. Aurum enim quod super fundamentum, et argentum, et margaritæ, et lapides pretiosi, et fœnum, et stipulæ, et ligna ponuntur, nihil aliud significat in hoc loco, nisi quidem prædicationem per aurum et argentum et lapides pretiosos. Ea autem quæ præter veritatem sunt, igni utpote digna, fœno et stipulæ et ligno comparavit. Non enim dixit Apostolus, Si quis non dederit pauperi, anathema sit. Non ista denego : sed quæ prima sunt, prima ; et quæ secunda, secunda. Primo condisce propter quem facis, et ita facito. Multi enim hominum pecoribus sunt similes, putant non esse necessaria quærere de his quæ possibilia sunt quæran-

[1] Luc. x, 23. — [2] Joan. xviii, 37. — [3] Matth. xvi, 17. — [4] Idem, iii, 17. — [5] Id. xvii, 5. — [6] I Cor. iii, 11.

tur. Sicut ergo de his quæ possunt quæri inertium est non quærere : ita de his quæ non necesse est quæri, audacia est quærendi. Quæ ergo debent quæri? quæ invenimus in Scripturis posita ; quæ autem in Scripturis non invenimus, non quæramus. Si enim oporteret nobis esse cognita, utique Spiritus sanctus posuisset ea in Scripturis : non sumus enim sapientiores Spiritu sancto. Si dixerit Spiritus sanctus, Generationem ejus quis enarrabit? noli quærere neque ab hominibus, neque ab Angelis. Cur abnegavit Spiritus? dixit enim quia Generationem ejus quis enarrabit? qui autem concedit Spiritus quærere : « Unus Deus ex quo sunt omnia, et » unus Dominus Jesus per quem sunt omnia [1], » quemadmodum autem Filius ex Patre, crede ei qui novit, ei qui noscitur. Sed tu quæris, Et quis est qui promittat se nosse? omnis enim quicumque promittit se nosse, mendax est : pronuntiavit enim Dominus, quod nullus norit nisi solus Pater Filium, et Filius Patrem. Sed dicit quidam; Ignoramus ergo quia est Deus, et quia non natus est, et nescimus quia et filius et unigenitus est Filius? Quomodo autem nescimus quia natus est? quia autem est, omnis clamat Scriptura; quemadmodum autem est, et quantum est, nulla valet natura dicere, neque de Patre, neque de Filio. Qui enim dixit, « Nemo novit Patrem nisi Filius, *ipse dixit quia* et Filium » nemo novit, nisi Pater [2]. » Quemadmodum enim capiunt ea quæ per Filium facta sunt nosse eum per quem et facta sunt? Si igitur imaginem non nati natura non pervenit nosse, quemadmodum ipsum principalem comprehendere quis potest ut norit? Sunt itaque quædam nobis dicenda, sunt et quædam silentio colenda. Sunt quædam in cogitatu movenda, sunt quædam et veneratione non movenda. Sunt de quibus convenit sapi, sunt et de quibus oportet paveri. Sunt quæ possunt lingua interpretari, sunt et quæ possunt

[1] 1 Cor. VIII, 6. — [2] Luc. X, 12.


religiosa taceri. Dicito sane, Unus Deus a quo sunt omnia, et nullus poterit reprehendere. Si autem et reprehenderit quis, non te, sed eum qui scripsit. Si autem et Paulum qui scripsit audet quis reprehendere, non Paulum, sed eum qui semper in eum locutus est Christum reprehendit. Si autem Christi verba reprehendere quis fuerit ausus, ipse dicit Christus : « Quæ ego loquor non sunt mea, sed Pater qui misit me ipse » loquitur per me[1]. » Etenim neque gentiles sumus, neque Judæi, neque hæretici. Gentiles enim non sumus, quia non dicimus deos. Judæi non sumus, quia et Christum Deum confitemur. Hæretici autem ideo non sumus, quia confitemur istum esse qui venit, quem præveniens vetus Testamentum per Prophetas prædicavit venturum. Si quis enim noluerit litem, opus non habet. Est quædam dubitatio inter fratres, primo cum charitate quæratur ut inter fratres. Non enim dissensionis est Deus, aut iræ, sed pacis; quia et nos in pace vocavit, non tamen ad litem : pugna non docet, sed incitat magis : lis non monet, sed flammam accendit. Contentio autem equis convenit, non tamen Ecclesiæ Dei. Qui novit ea quæ possibile est scire, doceat cum modestia eum qui ignorat; non tamen incitamento, incitamentum enim et ad ea quæ aperta sunt contentionem parit. Non ita periclitemur, sed tute loquamur. Si quid scriptum non est, ne quidem dicatur : si quid autem scriptum est, ne deleatur. Non sumus enim auctores, sed discipuli. Non quæ volumus, sed ea quæ legimus, non ea quæ ex corde sunt, sed ea quæ a Spiritu in Scripturis sanctis sunt posita. Quis enim es tu qui dicis aut qui audis? vult aliquis Christum honorare? ut vult ipse Christus, non tamen ut tu vis. Si autem præter id quod vult honoraveris, honor tuus ad contumeliam convertetur. Si interemeris ejus Patrem, non honorasti Progeniem. Si interemeris Filium, non dimisisti Patrem in honorem. Si

[1] Joan. XII, 49.


enim non dixeris Patrem Patrem, et Filium Filium; neque Patrem neque Filium confiteris. Qui enim hæc dicit, sine Deo est. Si enim Pater non est Pater, ipse enim Filius, ut ais; iterum Filius non est Filius, ipse enim et Pater Pater est, ut dicis. Sequitur periculum, ut neque Pater Pater sit, neque Filius Filius: et quid tenebimus? Sed Pater Pater vere est: non vacua vox, sed natura veritatis; non vanus sermo, sed verus Deus; non qui dicitur, sed is qui est; non ex his quæ dicimus fingitur, sed quod est agnoscitur. Pater enim neque ex alio, neque per alium, neque aliud; sed ipse est qui est. Forte enim et ex semetipso et per semetipsum, nobis quodammodo conveniens est sermo ut dicatur. Necdum tamen illa interpretatur natura. Nos enim ut non taceamus ideo dicimus. Quid autem est Deus non interpretamur; quid enim horum interpretatio est Dei, sine initio, non natus, immortalis, incorruptus, immutabilis, immobilis, inaccessibilis, inenarrabilis, incomprehensibilis? Per hæc ergo omnia non est dictum quid est, sed quid non est: velut si quis interpretari non sufficiens quod est lumen, dicat quod non est tenebrosum. Dicere autem quod tenebrosum non est, non solum non exhibuit naturam luminis, sed et magis ipsarum tenebrarum naturam negavit. Immortalis enim dicitur, quia non morietur; et incorruptus, quia non corrumpitur; non natus, qui initium non habet. Hæc omnia non quid est Deus dicit, sed quid non est: ita per ea quæ dicimus sine interpretatione eum confitemur. Si dixerimus eum fontem veritatis, nomen veritatem non exhibet. Sed quia non habemus quod dicamus, ex his quæ habemus dicamus, mutuati alienis nominibus utimur; fons enim agnoscitur unde est, Deus autem non habet unde; et fons meatus supra meatus effundit, Deus autem in eo ipso quod est manet. Neque enim vox conveniens invenitur, neque comparatio perveniens ad illam naturam; sed ut non taceamus

colligentes quæ habemus, cum autem omnia dixerimus, tunc confitemur quia quæ dicimus nihil differunt a taciturnitate. Pater ex eo agnoscitur figura quod est non natus. Unus enim est ipse, qui non est ab alio; unus est qui ex eo quod non natus est agnoscitur. Non frater ei, non pater Patris; sed singularis natura est, et in eo quod non natus est vere solus ostenditur : non natus Pater, ab hoc sane non nato manente quod est indivisus, inscissus, impartitus, impassibilis, unigenitus est Filius natus : neque alius est non natus, neque alius Unigenitus; sed unus non natus Pater, et unus unigenitus Filius. Hæc non nos extollunt, memoria illius beati viri. Utinam autem ita possim dicere ut vobiscum semper ab eodem audiebam! Sed ea quæ nunc dicuntur, illi placita fuisse videntur. Gloria enim est proborum servorum vera de domino dicere, et honor eorum patrum qui bene docuerunt, si repetantur eorum doctrinæ. Unus igitur est non natus Deus : serva non natus cum Patre, et non habebis in anima confusionem; serva unigenitus cum Filio, et non turbaberis : neque jam eris incertus quemadmodum Deus et Deus, et non Dei. Quia enim retines unus Deus non natus, et unus Deus unigenitus, ideo non dii, quia neque non nati, neque unigeniti, serva figuram non nati, et confitere figuram unigeniti, et nulla turbela est in medio, non lis, non contentio, non jurgium. Pater non sibi ascribit Patrem; Filius unus sibi ascribit Patrem : Pater a nullo est; Filius ab uno est Patre. Non suscipiunt hæc litem, aut habent dubitationem : « Ut cognoscant te » solum verum Deum[1]; » non quia non vere est unigenitus Filius Dei, sed quia a semetipso, et ex semetipso, et per semetipsum, si tamen ita dici debet, fons et principium omnium bonorum est Pater, qui genuit talem bonam Progeniem. Bonus enim Filius est, sed cedit bonitatem suo

[1] Joan. XVII, 3.



genitori; non mentiens, sed sciens unde est: sine principio, principium autem dico non temporum, non sæculorum; hæc enim per Filium facta sunt, et non cum Filio nata: non tantum enim non ante Filium; ut si aliter quid introducere cum Filio volueris, non salvabis unigenitum: sed sicut Pater solus non natus est, et si dixeris Filium non natum, periclitaris de eo quod dicis; ita si quid computaveris cum unigenitó, quid loqueris ignoras. Unus enim est non natus, et noli quærere alium non natum; unus unigenitus, et noli quærere alium Filium: ne interrumpas unigenitum, unigenitus enim non est unum ex cunctis, sed per quem sunt cuncta. Non est unum ex omnibus, sed per quem sunt omnia; et per quem sunt omnia, ipse a Patre habet quod est hæres, non est ex hæreditate. Confessor non est ex Angelis qui astant, neque ex Archangelis: judex omnium non est unus ex his qui judicantur. Ne attrahas naturam quæ non accedit, neque pervenit. Quem ex hoc debemus nosse, quia unusquisque ex his quæ dicit aut sibimetipsi prodest, aut lædit. Res enim ex nostris sermonibus non transferetur. Quia igitur Judæi non confitentur Filium, non ideo non est Filius. Judicabit enim eos qui non confitentur eum, quia quidem novum istud sacrilegium introduxerunt dicentes, eumdem ipsum esse Patrem quem et Filium: neque Patrem Patrem dicent, neque Filium Filium, sed secundum ipsorum sacrilegium nihil prorsus. Si enim Pater non est Pater, quia ipse est et Filius, ut ipsi flagitantur; et Filius non Filius, quia ipse est Pater: prope est ut dicant neque Patrem esse neque Filium, ut unum enim faciunt quod non fit. Quis enim poterit audire ipsum se sibi esse Patrem? quis poterit Patrem ipsum se sibi esse Filium? Si enim voluero mutare vocem meam, non mutatur vestrum propositum. Nonne putatis me aliena loqui? Dicam ergo, Pater non Pater, et Filius non Filius. Nam et si dixero, Ipse sibi est



Pater, et ipse sibi est Filius, nonne insaniam statim significant sermones mei? sed me non tantum moveant adversum eos qui dixerunt, quantum movet et adversus eos qui patiuntur; calumniantur enim ab iisdem et Scripturæ. Ego, tene ego, et serva conjunctionem : « Ego et Pater unum su- » mus[1]. » Non tamen non sumus. Contraria enim importunitate plena sunt. Filius dicit, Ego; ille dicit. Non ego; Filius dicit, Et Pater; ille dicit, Non Pater. Unum inquit sumus; et ille, contra, Non sumus. Aut quid scriptum est? aut quid delemus? aut quid legimus? aut quid agnoscimus? Ego in Patre et Pater in me. Non tamen quia neque ego, neque Pater, quemadmodum autem Pater in Filio, et Filius in Patre, maxime quidem cur audes quærere? is enim qui est in eo qui est, non quia non est ἀνυπάρχ ει, an quia non est Pater ut sit in Filio ἀνυπαρχ ει; neque non est Filius qui est in Patre significat. Si quidem et Apostoli duodecim unum sunt, et septuaginta, et quingenti, et tota Ecclesia unum. Et ne putes me ad humana deducere divina, sed utimur comparationibus cum indulgentia apud fratres, et maneat Deus ut est. Tamen si dixerimus quemadmodum omnis Ecclesia quæ ubique est unum corpus est, nullus reprehendat, quia non mentitur Deus qui dixit : « Ego in ip- » sis, et tu in me[2]. » Non quia abnegationem Patris irreligiosi sermones docent, neque quod non sit is qui genuit, neque spretionem ejus qui est genitus. Sed si non est Filius, et quomodo sunt ea quæ per Filium facta sunt? Non est Filius, et quæ est spes? Non est qui judicat, et quemadmodum judicium? Non est qui coronat, et quomodo labores? Est unus quem nullus genuit, et unigenitus quem unus genuit, genuit sane impassibiliter, non ut nos, sed ut ille, non ut plantæ quæ apud nos sunt, non ut fontes, non ut sol, nihil enim horum quæ hic sunt interpretari illam generationem possunt. Omnem enim turbelam humanæ

[1] Joan. x, 30. — [2] Idem, XVII, 23.

comparationes faciunt, cum accipimus non similia ad interpretationem eorum quæ interpretari non possunt. Ideo lites, ideo pugnæ nascuntur. Si autem tacuerimus ea quæ supra vocem sunt, et dixerimus possibilia, cessabit bellum. Quid ergo dicemus? *In principio erat Verbum.* Quis adhuc poterit jurgari? Nam et si jurgatur, non tibi, sed Joanni, et pectori Domini a quo hausit Joannes. Quid relinquis ea quæ sunt sine periculo, et in fluctibus tempestatum periclitaris? Noli dicere tua, et nullus te arguit. Dicito quæ scripta sunt, et nullus te reprehendit; etiamsi reprehenderit, semetipsum potius, et non te. Qui enim divina reprehendit, divina quidem non delebit, semetipsum alienum a divinis constituet. Dicito, In principio erat Verbum, et relinquuntur tempora. Dicito, In principio erat, et deficiunt sæcula. Dicito, In principio erat, et nihil cum ipso erat Verbum. Quia ergo Erat dictum est, ne putes vocem; vox enim Erat non suscipiet, siquidem cum dicitur, tunc efficitur. Neque enim antequam dicatur est, neque postea quam fuerit dicta, erat habet. Quia ergo Erat, non vox est, sed Verbum. Quale Verbum? Si non dixit Joannes, quæramus. Si autem dixit, quid quæremus? *Et Deus,* inquit, *erat Verbum.* Tu dicis vocem, Joannes autem ait, Erat Verbum. Et si ille dixerit, Et Verbum erat apud Deum, tu dicis in Deo et non apud Deum. Ut enim sit, non tamen ut cogitatus sit, neque iterum ut vox, sed Filius : vox enim habet fratres, mei enim qui dicuntur sermones prioribus verbis sunt fratres : Unigenitus autem non suscipit fratres. Nam et si vocat fratres nuncupationem donat. Si autem et cohæredes sumus, non naturæ sed gloriæ accipimus. Ad illam enim naturam neque pervenies tu, neque ullus perveniet. Sicut enim Pater eminet, et supra omnem naturam est quod est non natus : ita et Filius supra omnes habetur in eo quod est progenies vera Deus apud Deum, Deus ad dexteram Dei, Deus fortis, Deus quem unxit Deus. Agnoscitis prophetica

verba. Quid ait propheta David? « Ideo unxit te Deus Deus » tuus[1]. » Nam et Fortis dictus est ab Isaia, et Deus nobiscum, cum ex virgine. Non ergo cum ex virgine tunc Deus, sed nobiscum tunc. Non primum ex virgine, sed primum ex Deo. Ex virgine enim propter dispensationem, ex Deo autem propter naturam. Ex virgine in novissimis temporibus, ex Deo ante sæcula. Ex virgine cum hominibus, ex Deo autem ante omnes. Istic ergo et dispensationem confitere, et naturam delere noli, nec extinguas tibi lumen. Siquidem et qui oculos claudunt suos, non lumen extinguunt, sed ipsi lumine non fruuntur. Nam et si quis lumen verum non fuerit confessus, non illud delet, sed ipse manet in tenebris. Ita enim ipse Filius dicit : « Qui non crediderit in Filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum[2]. » Quæ ira? illa utique quæ ab initio. Qui enim non confitetur eum per quem revocatur sententia, ipse adversum seipsum revocat sententiam. Negotia enim separata habent naturam, nostri autem cogitatus accipiunt fructum, a veritate quidem vitam, a mendacio autem noxam et perditionem. Si quis enim percusserit caput suum ad petram, petra quidem ipsa manet, caput autem ab insipientia accipit plagam, forte autem et periculum. Dicit sane et Apostolus : « Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod est positum Christus Jesus ; » et iterum : « Petra autem erat Christus[3]. » Si ad istam petram caput percusseris tuum, scissum est quod volebas : si autem confessus fueris lumen, habebis quod confiteris. Si enim Apostoli quibusdam quidem odor mortis ad mortem sunt, quibusdam autem odor vitæ ad vitam; si illi qui per Christum sal sunt, et qui per Christum luminaria efficiuntur, ad mortem et ad vitam his qui credunt et qui non credunt habentur, quanto magis is qui donavit hæc hominibus Christus ! « Si quis, *inquit*, vos non susceperit, exeuntes excu-

[1] Psal. XLIV, 8. Isai. IX, 6, et VII, 14. — [2] Joan. IX, 36. — [3] 1 Cor. III, 11.

» tite pulverem de pedibus vestris; tolerabilius enim erit » terræ Sodomorum in die judicii, quam civitati illi quæ vos » non suscipit qui a me missi estis[1]. » Si autem quis ipsum non susceperit Christum, quid si etiam non solum non susceperit, sed interimere voluerit? si ausus quis fuerit dicere, quia sine Filio est Deus, aut quia sine Patre est Filius? Hæc enim nunc quidam calumniantur dicentes, quia ipse sibi est Pater, ipse est et Filius, et non est Filius. Si enim Pater ipse sibi est Pater, non est Pater, quia ipse sibi et Filius est, ut aiunt. Ludimus in divinis, irrationabilia enim ista ne quidem parvi suscipiunt. De his sane sermonibus unum brevissimum infantem interroga, qui prima utpote voce qualitercumque cœperit loqui, et dicito ei : Pater tuus ubi est? aut sicut consueverunt infantes patrem appellare : si semetipsum ostenderit, arguit me infans; si autem parvulus statim ut fuerit interrogatus, intellexerit quid quæris ab eo, eum qui se genuit ostendit, vide quid audis. Cum autem benedictus Filius tenens panem levat manus suas sursum, ut tuam mentem ad eum qui se genuit extollat; nosce Patrem, et cessa negare Filium. Si igitur Unigenitus dicit : « Pater, gratias ago tibi, quia semper me exaudisti; » sed propter circumstantem populum istum dico, ut cre- » dant quia tu me misisti[2]; » ista interpretatione non indigent, et sedemus ut insensati, et ludimus. Num semetipsum genuit Pater? num semetipsum misit? num semetipsum orat? et sibimetipsi gratias agit? et ipse sibi est Filius, ipse sibi est pontifex, ipse sibi est agnus, ipse sibi est via, ipse sibi est janua? Et quis hæc, etiamsi sit insipientissimus, patietur? Num una vox est ut circumveniamus, una est littera ut deleamus? Dicit enim iterum Dominus; ecce ego diligo Patrem meum, ego honoro Patrem meum, opera quæ ego facio, ille facit[3], Pater meus quotidie operatur et ego operor[4]. Si creditis in Deum et in me creditis. Vado ad Patrem

[1] Matth. x, 14. — [2] Joan. xi, 41. — [3] Id. xiv, 31. — [4] Id. viii, 49.

meum[1]. Gratias agit, orat : viam semetipsum vocat, ut agnoscas ad quem vadis : januam semetipsum dicit, ut agnoscas ad quem ingredieris. « Pater, *inquit,* meus agricola est, » et ego vitis[2] : » vitis et agricola unus est? Hanc comparationem Dominus dixit, ut ne quis me reprehendat[3]. Ego autem volo ut me quidem omnes homines reprehendant, ego autem volo, Domini autem custodiant verba. Descendi de cœlo ut faciam voluntatem ejus qui me misit, obedivi autem usque ad mortem. Sed quid nunc opus est Pauli? quanquam et Paulus non testimonio suo dicat : tamen quia ipse Dominus non auditur, utquid de domesticis ejus est sermo? Vis sane honorare Filium, ut vult ille non, non ut tu vis. Num si dixeris Non est, honorasti; si interemeris quem non potuerunt Judæi? Judæi enim fabri Filium eum putaverunt, et ut fabri Filium interfecerunt : tu ut Filium Dei interficis. Sed tu morièris, non ille. Non enim ex his quæ tu dicis ille non est : sed ex his quæ non credis tu non eris. Quæ scripta sunt dicito, et derelinquetur lis. Non meum et tuum, sed quæ communia sunt Ecclesiæ. Quis enim te judicat? quid habes quod non accepisti? Non ista est vox Pauli qui ait : « Ex parte agnoscimus, et ex parte prophetamus[4]. » Hæc dixit Paulus, ne sane solus putaretur ex parte, sed et Apostoli cum ipso qui ait : « Nunc » videmus per speculum[5]. » Sed Paulus per speculum : tu autem et istic jam vis facie ad faciem nosse. Quemadmodum sane eum interimis quem vides. Hæc videbamus semper a beato illo viro. Sæpe enim ita dicebantur ab eo, ut quidam suspicarentur ore quidem meo ista proferre, corde autem aliter habere. Et quidem memor vobis sum audisse me ab eo sancto nobis juramento satisfecisse, quia non aliud in lingua et aliud esset in corde ejus, sed corde qui-

[1] Joan. v, 17-36. — [2] Id. xiv, 1-28. — [3] Id. xv, 1. — [4] 1 Cor. xiii, 5. — [5] Ib. 12.

dem creditur ad justitiam, ore autem confitetur ad salutem : unde igitur omnis beatus audit, inde et nos universi audiemus. A Filio nihil audiat sponsa, quod non est sponsi sui. Si quidem non licet sponsæ alienam suscipere in auribus vocem, etiamsi Paulus dicat. Sed ut non dubitaret sponsa de Paulo, ait ipse : « An experimentum quæritis ejus qui in » me loquitur Christus[1] ? » Desponsavi enim vos, inquit, viro uni, non tamen populo : sed uni unigenito una sponsa. Amicus enim sponsi ille est qui gaudet de sponsa sponsi. Non est vidua sancta Ecclesia. Vivit enim qui pro ipsa est mortuus. Angeli non mortuum adorant, sed vita erat, erat, erat, et est, et non cessat esse. Neque enim cœpit a temporibus, neque cessabit in sæcula. Regnum enim ejus non habet finem : quia non temporale imperium ejus est, sed perpetuum. Tempus enim resurrectionis est, et tempus salutis. Non moriamur ergo, cum debemus vivere. Sed nunc quidem paucis ob memoriam et honorem Patris illius nostri, ita boni, ita laboriosi, et pro Ecclesiis ubique vigilante dicta sint nobis. Neque enim generis ejus memoriam fecimus, neque educationis, aut eruditionis, aut alterius vitæ et propositi. Sufficient enim in Ecclesia Dei de Patre et Filio loqui : loqui quippe dicibilia, tacere autem quæ occulta sunt. Tinguamur, fratres, in his quæ in Scripturis scripta sunt, non ut vacuæ litteræ Prophetarum ut Judæis. Illi enim adversum se legunt, legentes enim litteras et non suscipientes negotium ex his quibus legunt, semetipsos condemnant qui excusant. Videte ne patiamur ea quæ Judæis increpamus. Si enim dicimus Filium, non confitemur autem Filium; et si agnoscimus Patrem, spernamus autem Patrem : illa ipsa quæ legimus, ipsa nobis in die judicii legentur ad condemnationem. Dicit enim Dominus : *Ego non judico*[2]*;* sed sermo quem locutus est ipse eum judicat. Dixit tibi, Quia

[1] 1 Cor. XIII, 3. — [2] Joan. VIII, 14.

vado ad Patrem meum. Dixit tibi, Quia missus a Patre sum, et tu dicis quia non est missus? sed ipse est qui hæc dixit, et tunc judicabit, leget tibi Evangelia, dabis rationem, dicet cur hæc scripta sunt. Hæc autem tunc non dixi per vocem. Et qua facie videbis illud lumen? Contenti simus veritate, excusemus lites. Si quis autem et novit aliquid cum patientia et non ad instigationem quæ lædit, sed cum humilitate quæ prodest : non ut inimici, sed ut Christiani; non ut in Circo, sed ut in Ecclesia. Habes aliquid : trade non cum lite, non quasi auctor, sed admonens ea quæ didicisti a Scripturis. Retinete hæc, et cessabitis a lite : et ab Ecclesia separari nolite. Si ego deliro, quid ad te? si ego aliena loquar, me judica et perdere noli. Occasionem nolite quærere ad schismata. Ovis quæ extra gregem est, pars lupi est. Nam etsi fortior ovis es, expedit tibi infra parietes ovilis esse, quam foras. Fortis es, porta meam infirmitatem : infirmus es, accipe medelam a communi Ecclesia. Gutta una torrentem non facit; si enim et ceciderit, antequam cadat, a terra absorbetur. Gutta autem et gutta et gutta etiam montes evertit. Canna es fragilis, multi autem ferro sunt fortiores. Oculus solus non est oculus, neque caput caput, neque pes pes : compositio enim membrorum totum bonum facit. Nam etsi esses oculus, ablatus, eras cæcus. A corpore enim sublatus oculus, cæcus est oculus, magis autem mortuus. In Ecclesia fratres sub alas matris conveniamus. In Ecclesia in qua ornamenta sponsæ sunt, et membra Christi, non ad schismata, non ad hæreses. Aliquotiens enim dico, offendit mea lingua, potest fieri ut mens mea offendat. Sed tu noli, obliviscere eum qui dixit : « Pretio empti estis[1], » nolite fieri servi hominum. Ista enim domus non mea est aut tua : cur mei causa recedis a Dominica domo? Et primo quidem quid accepimus nobis

[1] 1 Cor. VI, 20.

qua sapientiores omnibus sumus? deinde utquid quod in prece diabolus habet donamus ei? Si ego infirmus sum, tu qui es fortis non recedens confirma Ecclesiam. Si ego aliena loquor, cur tu qui bene loqueris abstrahis te ut videantur mea infirmari? Et ne quis me putet incitatum ad quosdam dicere, sed ab exercitio sum multorum, scio quanta dicta sunt et dicuntur. Unusquisque enim quærens unde pascatur, furatur. Minores, fratres, non faciamus conventicula, non speluncas. Forte enim Apostoli hæc fundarunt. Non lapides dico, sed negotia rerum. Exis ab Ecclesia, et relinquis matrem tuam propter me. Quid sum enim ego? aut Paulus, aut Apollo quis est? De me et te erit sermo. Num ego crucifixus sum? Necdum ne quidem alapam accepi. E contrario autem, et honoratus sum propter Jesum. Et ille quidem multa passus est propter me : ego autem honoratus sum propter ipsum. Et nos quidem feriamur adversus crucem, et adversum eum qui propter nos fel et acetum bibit, et imponimus ei spinas magis quam Judæi, et effodimus manus ejus et pedes, et dinumeramus ejus ossa. « Quæ » enim, *inquit,* fecistis uni ex minimis istis qui credunt in » me, mihi fecistis[1], » aut bonum aut malum. Hæc fratres et in his fratres, non semper nomina sed res. Christianus enim verus, frater sit. Verus Christianus, verus est enim Christus. Fratres, fratres, nolite esse piratæ, nolite bellatores. Nolite quærere cum quo litigetis, sed quem salvetis. Ipse autem Deus pacis, qui non pepercit unigenito suo Filio, et misit eum ad salutem nostram, ipse omnium vestrum animas ad unam consensionem, ad unam concordiam, ad unam pacem et charitatem adunet per unigenitum suum Filium, per quem est non nato Patri gloria, honor, imperium, majestas in Spiritu sancto, et nunc et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. xxv, 40.



EUSEBII PAMPHILI

DE RESURRECTIONE.

LIBER PRIMUS.

Dictum est quidem a nobis et ante de resurrectione, audistis et vos, sed omnia tempora exigunt suum fructum, siquidem et in tempore rosarum rosæ florescunt. Agnoscunt autem et secundum Hieremiam et hirundines tempus, et alii passeres agri [1]; quorum Propheta faciens mentionem, increpabat Israël, qui tempora ignorabat. Et tempus omni rei esse sapientissimus dixit Salomon [2]. Quia igitur tempus exposcit de resurrectione tractari, expetunt autem et quæ lecta sunt; forte etiam sæpe nobis dicentibus, necdum quidam de resurrectione susceperunt sermonem : nihil prohibet repetere nos et denuo, et de his ipsis tractare. Eadem enim scribere nec Paulum piguit [3] : hi enim qui credunt resurrectionis sermones erunt tutiores; forte autem, qui necdum suasi sunt suadebuntur. Nunc enim creditur sermoni qui de resurrectione habetur, et magna est multitudo non credentium : Gentiles enim non credunt; hæretici simili modo iisdem non habent fidem; Judæi autem divisi sunt de resurrectione. Saducæi enim intercipiunt resurrectionem, Pharisæi autem suscepere, nisi magis in injuriis petierunt quam honoraverunt. Forte autem et qui in Ecclesia conveniunt, multi dubitant de resurrectione; quæ enim necdum oculis videntur a plurimis non creduntur.

[1] Jerem. VIII, 8. — [2] Eccl. III, 17. — [3] Philip. III, 1.

Nam et ii qui suscipiunt resurrectionem, constituti utpote in Ecclesia, multa habent dubia in mente de ipsa resurrectione. Aiunt enim, Quomodo resurgemus? in quo habitu? qua conversatione? in quo loco? nudi an vestiti? manducantes, non indigentes esca? in cœlo, in paradiso? omnes simul, an alii alibi? Quæ diversitas? utrum in locis, aut in dignitatibus? Et de his qui puniuntur, utrum et semper, aut tempus aliquod; et utrum semper per ignem, aut aliquando aliter? Et utrum qui plura, et parva, et qui multa peccaverunt, semper habebunt pœnam? Et si videbunt se invicem, aut secundum eminentias alii in alio loco punientur? Et utrum qui puniuntur si semetipsos videbunt; et si justi eos qui in pœnis sunt; et si ii qui pœnis sunt justos conspicient? Et mille sunt quæstiones de proposita resurrectione. Tantis igitur propositis quæstionibus, et tantis non credentibus, et tantis dubitantibus, oratione opus est, ut ipsius resurrectionis Dominus, et impensius quidem tribuat sermonem dicenti, intellectum autem audientibus. Siquidem et iis quæ dicta sunt aliud unum est commune vitium, quod jurgatur adversus resurrectionem. Multi enim sunt qui peccant, pauci autem qui se custodiunt. Illi igitur qui delinquunt, nolunt esse resurrectionem, ut non incurrant in pœnas; sed suam voluntatem decreto resurrectionis opponunt, et resistunt Deo. Quia enim volunt a negotio liberari semel morientes, nolunt in totum esse resurrectionem, ut non habeant causam, neque rationem vitæ præstent post mortem judici Deo. Ergo jurgatur et horum voluntas decreto resurrectionis. Quia igitur tanta et talia sunt quæ quæruntur, oratione opus est, ut victor superet universos. Non ignoramus autem et illud, quia multi putaverunt Deum nihil amplius posse quam nos. Incerti sunt enim et movent, et adducunt in medio istiusmodi quæstionem : Mortuus est, inquit, qui mortuus est, et illam quidem partem ejus aquila

manducavit aut vultur. Forte autem non patiuntur aquilæ istiusmodi humilitatem. Aliam, inquit, accepit canis, et canem utputa sæva bellua manducavit, aut aliud aliquod animal, et istud animal intersectum combustum est, aut certe obputruit, aut ipsum ab alio quodam comestum est; fieri enim hoc potest. Tanta, inquit, successione facta et casu eorum qui mortui sunt, ab alio in alterum, quomodo, inquit, potest Deus invenire initium? tanquam de figulo aliquo, aut de quodam artifice, qui apud nos est, humile loquatur. Et non cogitant quantum interest inter Deum et homines mortuos. Gentilium igitur multi semel providentiam in his omnibus ejicientes, et a Deo vivo semetipsos fraudantes, ausi sunt dicere quod et repetere tutum non est. Illi enim sine Deo agentes spem resurrectionis interimunt. Qui enim eum qui suscitat negant, difficile est ut confiteantur resurrectionem. Sed relinquamus horum importunitatem, ut a pueris convincantur. Nec enim ad omnes certari nos par est, neque ad omnes jurgari, siquidem nec ad insanos consuevimus de cogitationibus sanis loqui : qui autem imprudenter ita jurgantur, non ad nos, sed ad ipsum ordinem officiorum, et ad opificia, quæ jussa sequuntur; ad solis scilicet cursum, ad immutationem lunæ, ad stellarum choros, ad translationem horarum, quæ per annos effici consueverunt; ad officium maris, ad terram, ad aërem, ad pluviam, et ad omnia quæ sequuntur; ad officia ætatum; ad hominum, ad animalium, ad avium diversitates; ad vultuum, ad specierum habitum, ut sit unicuique conveniens esca, membrorum partes, dentium numeri, ungularum mensuræ, capillorum officia, compositio membrorum : hæc omnia silentio clamant opificem et provisorem omnium Deum. Quia igitur ista cæci non viderunt, per ea quæ videntur invisibilem, stultum est de coloribus jurgari ad cæcos : quid enim efficacius est Dei providentia?

quid autem breve quod putatur non in se æqualem a majoribus invenietur habere providentiam? Cur enim formicarum salvatur genus in similitudine? Cur apium et operationes in commune redduntur, et habita minimis in substantia, quæ quidem et in volatu, et processu, et regressu, et in opere consentiunt sibi? Quis fecit mel? utique qui constituit medicinam, quæ eo ad medelam utitur hominum. Quid enim non plenum est Providentia? quid non clamat provisorem Deum? Nonne herbæ, quæ utilitatem præbent medelis? nonne pisces e mari producti, quidam quidem ad escas, quidam autem ad curas? nonne lapides incisi, ut alii quidem utiles sint ad ædificia et tecta et operamenta, alii necessarii ad corporum sanitates, quia et infirmantur? Nonne escæ aliæ aliis succedentes, et aliæ cum aliis insequentes, ostendunt præparatorem Deum? Nonne secundum uniuscujusque habitum animalis mensuræ, magnitudines, compagines, membra sunt data, et unumquodque ad suam necessitatem et virtutem accepit? Equis enim velocitas data est, ut insequantur et fugiant; aliis animalibus fortitudo, ut sensim portarent pondera sibi imposita. Et mensurata est unicuique virtus, potentia, magnitudo, conveniens esca; et ipsis animalibus propria salus, quæ gustare deberent, et a quibus se abstinere : homini autem et ab aliis animalibus irrationabilibus usus est datus, et a plantis, et ab arboribus, a lapidibus, a mari et a terra; undique enim constitutus est veluti in uno corpore mundus conjunctus sibi. Et unumquodque quidem quod factum est propriam habet naturam et salutem; plurima autem quæque in se necessaria continet. Denique sol positus quidem est in suo loco, habet autem propriam magnitudinem, et possidet acceptum suum fulgorem, et illuminat ea quæ in terra habentur, fovet et calefacit. Et nunc quidem longius abcedens, cedit confectioni hiemis ut statutum est : nunc autem iterum re-

vocatus, et ad mensuras accedens, non subito nocet; exussisset enim omnia, si subito ad ea spatia quæ dimiserat recurrisset; neque iterum non illuminans intermisit, ut fructus non coquerentur; neque advenire ad impetum subito currit : at mensuræ et recedenti et recurrenti sunt datæ. Non conjunguntur dies noctibus habentes solem; si enim hæc ita essent, arsissent omnia. Sed sol quidem per diem fovet, ros autem nocturnum consolatur ardorem. Et mensura a terra sol distat, ut neque propinquans noceret, neque longius distans frigori cederet. Mensuræ igitur his quæ in cœlo sunt ad ea quæ in terra habentur; necnon et quæ in mari ad terram, et diei ad noctem, et hiemi ad æstatem. Et non tanta eloqui possunt, quanta universa natura proclamat. « Cœli enarrant gloriam Dei, opera autem manuum ejus annuntiat firmamentum[1], » dicit Propheta. In alio autem psalmo a sursum usque deorsum omnis creatura dinumeratur[2]. Et certe et ipse qui dicit, Cœli enarrant gloriam Dei, non loquentiam audivit. Ait enim, « Non esse loquelas, neque sermones; » tacentium autem eorum in omnem mundum exiisse sonum eorum ait. Quia igitur per tanta, quæ nos diximus et tacuimus, ipsa rerum negotia clamant, et providentiam prædicant Dei; rationis non est ad eos qui præscribere naturam volunt, et visibilia non videre, nosmetipsos protendere. Sed ab illorum quidem irreligiositate transire, jam tempus nos admonet, properare autem ad aliam, ne videamur et contaminari inspicientes eos qui non vident. Tantum autem addi oportet, quia confessa Providentia consequens est adesse resurrectionem, quemadmodum consequens et necessaria est resurrectio. Sine causa justitiam colit justus; sine causa pudicitiam amat pudicus. Et qui providet his quæ sine anima sunt, arboribus et plantis Deus, invenitur rationabiles animas ne-

[1] Psal. XVIII, 2. — [2] Psal. CXLVIII.

gligens? Et qui providentiam suam formicis impertit, et ostendit eas, quæ non habent rationabilem sensum, sibimet consentire, et imitationem concordiæ habere? Si tamen et oporteat dici consentire sibi ea quæ non habent sensum, quia igitur et formicis providet Deus, et dedit eis receptacula terræ, et concordiam omnium licet sint natura infirmiores, tamen eis, quæ videmus, donavit. De bobus autem secundum Apostolum pertinet ad Deum, et de nobis ei non pertinet[1]? quemadmodum autem et pertinet, si similiter moritur justus et impius? Is enim qui aliena rapit, fruitus est quæ diripuit; qui autem sua amisit, abiit gemens non habens spem. Sed non est iniquitas apud Deum. Si enim non est spes resurrectionis, et solatium illis qui istic nocentur, et merces his qui sua istic spargunt : magna iniquitas est apud justum. Si enim æqua redduntur omnibus, jejunanti et ebrioso, libidinoso et pudico, rapienti et donanti, occidenti et ei qui occiditur, et ei qui martyrium tollit : ubi virtus est Providentiæ? In præcipuis enim si defuerit, non est utilis neque in minimis. Sed non sit sacrilegium istud admittere quemquam : sive enim Gentiles sunt qui adversus resurrectionem augent nobis rationem, qui volunt ratione se agere cuncta, qui sunt irrationabiles, quemadmodum Deo justitia salvabitur? Istic enim videmus nonnunquam perverse negotia geri, ut illos quidem qui cantant putemus bene habere in mundo ; alios autem, qui diripiunt et ditantur, lætari et sanos esse corpore forte magis iniquos quam justos, et nonnunquam melius corpus habere, et filios quamplures, et hos incolumes, et mulieres cum viris lætam degere vitam, et servorum multitudinem eis esse, et opum et possessionum, et condita multa substantia larga, quam et transmittunt ad filios; justi autem gemunt, et cum mœrore degunt in mundo. Et ubi est justitia quæ a Deo

[1] 1 Cor. IX, 9.

est? Et si quidem ad Judæos sit sermo, quid profuit Abrahæ ut promissionem quidem acciperet, ad promissiones autem non perveniret; quique patrem quidem amantissimum, matrem quidem dilectam, patriam in qua est educatus reliquit propter præceptum? Scitis autem vos quanta pernicies sit consuetudinis sustinere recessum. Adveniens autem ad terram repromissionis, circumibat ut peregrinus et advena, desiderans satiari aqua, cujus ipse fons, puteus erat adinventor, qui ei fructus ex promissione provenit? Tormentum enim ei erat ipsius promissionis adventus; videre enim promissionem, non permitti autem eadem frui, magis ad blasphemiam adducebat, sed non Abraham. Abraham enim addens et non perfruens ut mensa apposita, et prohibitus degustare etiam his quæ exuperaverant, ita demissus gratias agebat. Quid ergo profuit illi? Sed quia filium habuit, post quanta tormenta, post quantas orationes? Servi Abraham habebant, et Abraham desiderans non habebat; sed conjugem habebat, et istam honestam, quæ que ab eo ablata est, et valde amare non interficiens, et mutans locum et locum, perseveravit. Dicant ergo Judæi quæ provenerint Abrahæ ex promissione in præsenti hac vita, ut abscidamus eorum spem resurrectionis. Sed habuit filium: quando? circa centesimum annum datus est filius, tormentorum potius ejus et precum. Quia enim habuit et bonum filium, et lætatus in dono est, putas accipiens filium sine tentatione de cætero mansit? Et non ipsa pulchritudo filii, ipsa sapientia, ipse intellectus et ea quæ in eo erant bona, et quæcumque habebat ut donum Dei amariora tormenta operata sunt patri? quid enim dicit ei Deus? qui dixit donavit ei filium: « Abraham, Abraham, accipe filium tuum » Isaac quem diligis unigenitum, et offeres eum mihi in uno » montium, quem tibi dixero[1]. » Si interceperimus resurrec-

[1] Genes. XXII, 1.

tionis spem, statim habet dolorem, statim habet mœrorem Abraham. Noli enim quærere si non est occisus Isaac; sed ex quo proposuit pater, mortuus est patri Isaac. Putas quia et tanta erat crudelitas apud Deum, ut in tantum torqueret Abraham? ipse enim testatur et dicit : « Scio quia ipse et filius ejus mandabit custodire legem et mandata Domini[1]; » ut ex hoc testimonio Abraham non solum per semetipsum religiosus extiterit, sed et ex mandato et filio, qui et post mortem colit et veneratur Deum per ea quæ mandavit Deus. Quemadmodum iste vivens non pœnas sustinuit? dedit ei filium Deus, dedit et tentationem : si esset alius, dixisset utique, Utinam non accepissem. Abraham autem et accipiens gratias egit, et reddens gratias egit, lucrum utpote ducens non frui filio, sed offerre, sicut et factum est : sed quemque respiciens habuit. Quando autem præcipitur filius offerri? non statim ut natus est, quæ enim nuper nata sunt necdum tantum habent affectum. Et antequam enim loquantur infantes perdicis aut columbæ locum ad genitores habent, visum enim tantum delectant, et incomposite loquentes; cum autem promoverit ætas, et effulserit sensus, et cœperit sensus per linguam promi, floruerint autem ætatis pulchritudines et firmata fuerint membra, istic et initium ipsius corporis ut rosa, aut lilium vel aliquis flos maturus, aut fructus jam paratus, ita et pulchritudo quæ videbatur, et maxime intellectus flectet genitores, et totum se in genitoris evacuat amorem. Movent autem et filii moribus suis parentes et sermonibus, et loquelis. Et quemadmodum extendit manum filius, quemadmodum patrem hortatus est aut per verbum, aut per linguam, aut per eam quam sumit escam. Loquuntur autem et patres ad filios, et dulcior filii est vox omni alio quod videtur. Nam et frontes filiorum injiciunt aspectum parentum, et millia alia et alia movent.

[1] Genes. XVIII, 19.

Et omnia quæcumque locutus fuerit filius, si per noctem amplexus est, si per diem blanditus est. Cum igitur hæc omnia concurrerunt, et cum maturum factum est donum Dei, cum domestici in spe fuere, cum amicis allatum est nuntium, cum reddidit Deus Abrahæ promissiones suas, et jam haberet filium. Videbatur enim et ipsi Abrahæ solatium promissionis jam factum, cum jam Sarra habuerit consolationem, et jam non ab ancilla exprobrationes audiret, cum cognatio audiens esset in lætitia, cum pueri et servi, cum domus majores, et horum filii, et illi homines quibus peregrinus cohabitabat Abraham; cum undique excelsum factum esset donum Dei, tunc dicit Deus tanquam ad quemdam adamantinum : Abraham, accipe filium tuum unigenitum Isaac, quem dilexisti. Intueris Deum per adhortationem dehortantem, solito enim usus est Abraham sermone, siquidem et tunc cum præciperet ei exire e patria sua, tali ad eum usus est sermone, quæ alium utique prohibuisset exire. Dicit enim ei : « Abraham, Abraham, exi e patria tua, et ex » cognatione tua, et ex domo Patris tui [1] : » hæc alius si audiisset, magis fuisset detentus quam obaudisset. Sed sicut athletis fortioribus jubentes duriora præcipiunt, Oportet te, inquit, portare, etiamsi fueris calce percussus; Oportet te esse patientem, etiamsi adversum oculum tuum, manum adversarius protenderit suam; et quæcumque illi mandare consuerunt, et athletarum fortissimi sustinere : ita et istic Deus suum athletam adhortans, per duros eum hortatur actus, Exi e patria tua, et cognatione tua, et ex domo patris tui, et veni ad terram, ad quam paratum negat, et promittit aliam, et ipsam promissionem in incerto ponit. Non enim dixit illam terram, sed « in terram, *inquit,* quam tibi » ostendero. » Sicut enim ejiciens e patria, per ea quæ prohiberent ejicit; ita et præcipiens filium eum sibi offerre,

[1] Genes. XII, 1.

per istiusmodi verba jubet, per quæ si esset alius, non obediret. Abraham, inquit, Abraham, accipe tu : nec per alium præcipit, sed, Accipe, inquit, tu filium tuum, et hunc unigenitum, ait, porrectio tentationis, quem dilexisti, inquit, additamentum doloris aliis. Et post hæc consignat majorem plagam, dixit enim et nomen filii. Nam et si hæc omnia essent dulcia et idonea, moveret viscera paterna, ut diceret filium tuum unigenitum, quem dilexisti. Sed nihil tale, quantum et nuncupationem ejus annuntiaret, et diceret, Isaac accipe, et offeres eum mihi in uno montium. Neque istic designat locum, sed sicut ejiciens eum de patria, ait, Veni ad terram quam tibi ostendero ; ita et istic dicit, in uno montium. Et certe multum commodius si in ipso fervore negotii liberatus fuisset sollicitudine Abraham, et non audiret itineris laborem, nocturnos amplexus unigeniti, confabulationes, per dies visum, motum, sermones, ipsum Isaac dilectum. Et quid opus est plura nos dicere? Abraham enim, qui sententiam adversus filium susceperat, descripserat sibi et abibat habens filium, vivum quidem quantum ad sensum filii, jam autem holocaustum quantum ad inscientiam patris. Et certe tantam passionem habet quod dicitur, et nos qui audimus, et dicimus de his quæ ille in unigenitum filium suum ausit commoveri, et conlacrymari, et conturbari videamur. Si igitur nobis dicere tantum et audire non est ferendum sine lacrymis, qualis, putas, invenietur mensura illius conscientiæ? quis sufficiet sermo illius exhibere dilectionem ad Deum? Iter simul faciebat pater cum filio, et inter hæc multa quidem dicebantur, plura autem audiebantur, et infinita agebantur. Erant autem omnia bona. Dei enim donum erat Isaac, et portabat; qui portabat? forte autem non debet dici quia portabat, sed gaudebat. Et dies una transierat, et necdum locus ostendebatur. Et nox ad diem, et necdum ad locum pervenit.

Et secundus dies, et post diem nox, et alia nox, et nondum finis, sed protensio erat tentationis dilatio. Et quando perveniret, et quando ostenderetur locús cum jam deberet, quia ergo omnia quæ sunt et in vetere Testamento formæ erant novi, tertio die, et tertia nocte sacramentum unigeniti Filii Dei præcurrebat per unigenitum Abrahæ; quia autem completum sacramentum est trium dierum, et trium noctium, offensus est locus, advenit et tempus, forte autem putatis jam liberum esse a certamine tentationum Abraham. Et certe quantum propinquat tempus, tantum tentatio protenditur ejus. Et Abraham dicit ad pueros : « Manete hic ; ego autem et filius ascendemus in montem, » adorantes remeabimus. » Timuit enim, ne pueri ad dominum affectum habentes, et maxime ad unigenitum, prohiberent. Certe quia nunquam Dominus sacrificium hominis petit. Audierant autem quia et secundum promissionem Deus donaverat Isaac Abrahæ; intuentes vero et ætatem Abrahæ in alio jam tempore constitutam, quia igitur non consentiebant negotio his quæ faciebat Abraham, possint enim dicere, Quid offers Deo filium non petenti? quis enim et ante ipsum justorum hoc aut ausus est, aut tentare ausus est? Ob quam enim causam petat Deus eum quem donavit? Cur autem et transferat Deus promissiones suas? utquid autem et dedit, ut et accipiat quem indulsit? Hos rationabiles cogitatus timens Abraham, præcepit pueris expectare, et secum non ascendere, ne quis ob amorem Isaac mitteret manum, et contaminaret immolationem. Quid autem quia et ipsam Sarram, quam puto nihil latuisse unquam quæ Abraham cogitabat? hæc enim conscientia ipsa æstimare nos facit quæ in illo erat conjugio. Illa quam nihil latuit unquam quæ Abraham facere aut movere voluisset, vel cogitare; illa ignoravit quia unigenitus ejus, ille sterilis fructus, ille ex insperato filius, ille qui extra ætatem pro-

creatus est; illa ignoravit quia Deo offerretur, qui donaverat : ut non sicut aliquando risit importune in promissione ejus, et nunc plorans importune impediret immolationem. Sed tacita res est et ad Sarram. Ita enim sciebat et Abraham, et ante mulierem, et Sarram præhonorare Dei præceptum, sciebat autem et ante unigenitum suum eum qui donaverat honorare. Sed neque ii qui iter cum eo fecerant sciebant mysterium, sed « sacramentum meum, *inquit,* » mihi. » Tamen cupiens Abraham suadere pueris ut remanerent, locutus est id ad eos, quod nec ipse speravit, nec sensit, dicit enim ad eos : « Manete hic, ego autem et puer » ascendentes adorabimus in monte, et regrediemur ; » hoc quidem non speravit, hoc autem impetravit, et usus est Deus ejus lingua ad prophetiam. Cum ergo dicitur Abraham propheta, et quæritur a multis ubi prophetaverit Abraham, scire oportet quia maxime quidem cui revelavit Deus semetipsum, quantum et possibile fuit Abrahæ ut revelaretur ei ; iste ipse vocabatur propheta. Alia autem invenimus eum istic prophetantem, unam quidem prophetiam, quam diximus ; secundam autem, eam quæ insequitur. Sed sequentem forte dicere perniciosum est, et audire perniciosius. Quemadmodum, putas, sustinuit ea quæ passus est ? quemadmodum charitas omnia sustinet. Et pueri quidem remanserunt, præcepit enim Dominus ; Abraham autem accipiens ignem et ligna, et gladium, ascendit cum filio, ipse filio suo imponens ligna. Et certe scimus Abraham per semetipsum vitulum portantem ad susceptionem eorum qui advenerant. Quid autem nunc nec partitus cum filio pondus est, sed omnia ligna imposuit filio, volens jam acceptum habere donum : significabat autem, quia incipiet immolari, quemadmodum portare crucem per semetipsum. Cum autem promoveret iter et agnosceretur montis cacumen, et ignis in medio, et ligna in collo Isaac haberentur, et gladius

appareret, Isaac undique prudens, quod alii pueri non dixere, iste requirit a patre. Tentationem utpote quam habebat pater, eloquitur dulcissima, aut potius dura voce. Magis autem non tantum grave, quantum dulce : *Pater ;* enim, inquit sufficit hoc ad flectendum patrem, quique et conjungit alia et dicit : » Ecce ignis, ecce ligna, ubi est ovis in sacrificium ? » Quis alius portasset istam vocem ? Ex aliis quidem hominibus nullus. Juste ergo Deus Abraham dilexit. Adamantinus autem ille, unigeniti sui sagittam accipiens, non tacuit ferens, sed potuit loqui, potuit respondere, et neque linguam offendi dentibus : potuere autem et dentes aperiri, et dare spatium linguæ. Sed nec forte ista dicere de illo licitum est : Non enim ex his quæ nos patimur illius virtutem accusemus. Sed et lætus et exultans, erat enim Abraham, respondit ad filium non crudeliter neque inhumane, sed religiose et pie; dicit enim ad filium : « Dominus providebit ovem » sacrificio suo, fili. » Ecce alia prophetia, quæ ab eo qui locutus est ignorabatur; propositum autem erat hoc quod ait : Dominus providebit ovem sacrificio suo, fili. Sicut enim ille incipiens sermonem ait, *Pater ;* ita iste consignans verbum, dicit, *Fili.* Audivit ovem, et accepit ut a patre, certus quia quod inventum interim non erat, inveniretur. Cum autem pervenissent ad locum, ædificabat Abraham festinans altare ; et cum construxisset, mentitur ad filium promissione quæ per linguam fuerat facta, non tamen eam quæ in corde erat absconsa. Et accedit pater Abraham, et accedit ad Isaac, et ligat. Filium Abraham ligavit, ut nec palpitans nec se movens turbaret immolationem : quo, putas, vultu respiciebat filium Abraham ? quis ei erat color ? quemadmodum sine tremore manus operabantur ? quis, putas, tunc erat Isaac in his constitutus tacens aut loquens ? Scriptura enim hoc tacuit. Putas quia justis in his sermonibus usus est ? Noli enim attendere si

puer, sed quia Isaac erat filius Abrahæ. Putas non dixit ad patrem: Quando Deus sacrificium hominum deposcit? quid facis? donum sum Dei, sine pœnitentia sunt quæ a Deo sunt dona: quid spernis gratiam? quid contra voluntatem donantis interficis donum? Erant multa quæ dicerentur. Cur autem et mater non agnovit? si enim rationabile est quod fit, cur et a servis abscondisti? Si autem et hoc fieri deberet, cur mihi ipsi hoc ipsum, non palam facere voluisti? promissionem quam dixisti exigens; dixisti enim, quia Deus ovem providebit sacrificio suo: fidelis es, redde fructum fidei, utpote, quæ dixisti. Erant multa quæ dicerentur. Et non utique ea quæ nos dicimus ipsa, etiamsi non sint scripta, jam nos adducunt ad rem. Movetur enim sensus consequenter ut sese negotium habet, et advenientes sensus in illo tunc tempore in quo hæc agebantur cogitemus. Si tacuit Isaac, grandis admiratio est: si dicebat iterum aliquid, alia admiratio. Quemadmodum potuit sustinere pater? quomodo currebant manus ejus? sed istæ admirationes in aliis hominibus habentur, in Abraham autem contraria erat admiratio, finis autem sermonis. Forte urgentur uniuscujusque viscera, et quod est mirandum, quia certi ex Scripturis quæ sint acta, et quis fuerit exitus negotiorum, tanquam periclitantes sermone, ne quid aliud proveniret quod est scriptum, ita solliciti sumus. Completa fuerunt Abrahæ omnia quæ ad alacritatem tendebant. Ligatus ab eo fuerat filius, et exaltatus in altare, et positus supra ligna, et filius desuper alligatus, et pater velox manu gladium apprehendit. Quo accepto properabat occidere, non differens quippe alacritatem ac donum. Erat autem et manu et alacritate patris Abrahæ, Dei velocior vox. Abraham quia alacritate præcesserat, præcepto præventus est Dei. *Abraham, Abraham,* bis utitur voce, quia et ab initio præcepti: quia enim forte et dubitare, sed prævenit qui

præcepit, eadem utitur voce. Sicut enim dixit antea, Abraham, Abraham, accipe filium tuum unigenitum Isaac quem dilexisti : ita et istic, Abraham, Abraham. Ipse enim qui illa præcepit, et nunc loquitur, et dicit : « Noli contingere filium tuum : » habeo donum, habe et tu filium. Secundo tibi et hoc munus dono. Effulsit tua charitas, agnita est fides tua. Erunt ista quæ a te acta sunt adhortatio eorum qui post te futuri sunt. Decantabitur id quod fecisti in progenies futuras. Habes fructum fidei, habes et fructum ventris, habes et sterilis filium, habes et ex altari immolationem. Accepit Abraham secundum filium, putas tristatus, quia non perfecit promptum animum suum ? sed Abraham est, nescit tristari. Ignorat perscribere id quod gaudens accepit ? non quia non obtulit, Deus præcepit, gaudens obtulit ; sed quia in nullo inobediens fuit. Ubi ergo est prophetia quam ait Abraham : « Deus providebit sacrificio suo » ovem ? » Num otiosum erit altare ? num vacuum totum quod factum est ? Quid autem opus erat videri ludere Deum ? si enim iste quidem non offerebatur, Deus autem præcepit eum offerri, oblatus autem non est oblatus ; quid necessarium erat in re, quid necessarium erat ? Oportebat præformari novum Testamentum a veteri ? et apud Judæos quidem aut parva inveniuntur ista aut otiosa. Si autem novum additum fuerit Testamentum, et lumen effulserit verum, utilissima et non otiosa, et necessaria et non superflua apparebunt. Si enim interrogaverimus Judæos utquid offerebatur Isaac qui non est oblatus, incerti sunt et imprudentes. Si autem Ecclesia dixerit quæ vera sunt, quia oblatus est non ut offerretur, sed ut appareret quia ovis ligno pendebat pro homine, ut liberaretur homo a morte ; non concedunt nobis Judæi magnificare vetus per agnitionem novi : interrogavimus enim eos quam ob causam hæc omnia fiebant, oblatus non offertur. Sed dicent, ut agnosceretur Abraham a

Deo; latebat enim eum et ante tentationem? sed ut ab hominibus. Erant ejus et aliæ tentationes plurimæ, putas, quia ut sciretur nihil fit amplius? ut lucraremur qui post hæc lucrati sumus? Quid opus erat ove? puta quia et ove, cur non taurus apparuit? cur non capra aut vitulus? cur non alia magna immolatio, sed ovis? puta quia ovis. Cur non in terra visa est ovis? cur non extra altare, aut in cominus apparuit altari? Siquidem hominum esset adinventio aut compositio de ove, oportebat alibi inveniri. Si autem Deus pro homine ovem præbebat, subito in ipso loco debuit ubi erat Isaac, in ipso altare, aut in terra, aut juxta altare, aut ligatum ad radicem arboris. Nunc autem apparet ovis suspensa, et a cornibus, et suspensa in arbore. Natura autem interpretabatur quod erat occultum. Si quis enim suspenderit ovem a cornibus in arbore, id quod sequitur, videbit quod erat futurum. Necesse enim est istam quæ ita pendet in arbore ovem, separatos expandere pedes priores; hoc enim expedit ovi quæ ita supenditur : necesse est enim et separari ejus qui deorsum sunt pedes. Cum igitur ovis suspensæ in ligno, et in arbore expansæ fuerint manus et pedes, neque interpretatione indigent hi qui habent oculos mentis. Sed quis est qui periclitabatur occidi? homo. Quid est quod pro homine immolabatur? ovis suspensa in ligno. Tanquam si diceret Deus ad Abraham : Non tuus unigenitus necessarius. Sed currat quidem forma per tuum, servetur autem meo Unigenito quod fit. Ita ovis apparuit pro homine, et hoc in ligno, et hoc suspensa, et hoc cujus hæserunt manus et pedes tanquam in cruce; et prophetia Abrahæ efficitur duplex. Quod enim ait : « Deus providebit ovem sacrificio, fili. » Et tunc quidem completum est in comparatione, servabatur autem in mysterio veritati. Quid igitur sibi vult iste sermo incurrens ostendere, quia Abraham totam suam vitam transegit in angustiis, in tentationibus, in

doloribus? Si enim in ista vita spem haberet, fraudatus esset a spe. Cum igitur gloriati fuerint Judæi in Abraham, necessitatem habebunt et resurrectionem confiteri. Hoc ad illam Saducæorum partem qui negant prorsus resurrectionem futuram, recte diceretur. Quia autem alia pars, hoc est Pharisæorum, resurrectionem quidem confitetur, resurrectionem autem talem dicit futuram ut iterum manducetur et bibatur, et conjugiis utatur : ut ne quidem resurgentes cessent manducantes et bibentes, et conjugiis se conjungentes ; venter enim magis sunt quam homines. Et sicut quidam morientium, qui ante fuere in deliciis viventium, putant esse fraudare ista vita in morte, in monumentis et circa januas sepulcrorum semetipsos depingunt, et vel in imaginibus et post mortem manducant. Ita et Judæorum Pharisæi volunt et post resurrectionem tanquam depicti iterum manducare et bibere, et nubi et nubere. Recumbunt enim et picturis apud istiusmodi, et meliores suæ. Nos autem præsiliamus ad id quod verum est. Si enim talis esset resurrectio, excusaremus utique resurgere. Iterum enim exurgere, et arare, et metere, iterum manducare et bibere, iterum spoliari et vestiri, iterum dormire et vigilare. Sed advertamus quid dicat Apostolus : « Si in ista vita » spem haberemus in Christo, miserabiliores omnibus ho- » minibus essemus[1]. » Si enim ita statuit Deus ut in ipsis iterum simus, utquid nos et quiescere facit? Hoc enim ludentis est potius, concedere mori, et iterum ad ipsam resurgere vitam. Si enim ita resurgeremus, oportebat Abraham, ut non amitteret quæ hic sunt, jam perfrui ea quæ esset in resurrectione accepturus. Si enim cum voluptate bibere et epulari vita est, in quacumque hora non cum voluptate bibimus, fraudaremur a vita. Sed vere Judæorum « venter » est Deus[2], » sicut dicit Paulus, qui est ex Judæis, qui Ju-

[1] I Cor. xv, 19. — [2] Phil. III, 19.

dæos quidem passus non est, veritati enim credidit in Christo. Quid autem dicent nobis et de Isaac, qui jam habebat dolorem immolationis? Habuit autem et post hæc easdem ipsas tribulationes, quas et pater : conjugis, inquam, suæ, quæ parere non poterat, nuptiarum mœrorem, commanentium deceptiones, fraudes laborum. Hæc donat Deus suis, dolores, tribulationes, angustias. Si Deus hæc promisit. Jacob autem electus ille et qui ante Esaü factus est, viginti et unum annos servit, tunc maxime cum adolescentia ei dabat epulari, et in paternis dum ageret, suspectus erat ne occideretur a fratre, et in soceri domo servus : in itinere autem lapidem ponit sub capite suo, et cum virga sola ambulat. Hæc nuditatem quidem significant ipsius hominis; sacramenta autem quæ per Jacob fiebant, petram supportantem caput ejus, qui persecutionem patiebatur, et virga in manu ostendens viam fugienti. Ego sane audivi Jacob dicentem, quia « per diem comedit eum ardor solis, et frigus semper per noctem sensit[1]. » Si ista beatitudo est, valde odibat Deus Jacob, Esaü erat autem in deliciis. Audio sane Deum dicentem : « Jacob dilexi, Esaü autem odivi[2]. » Dicant igitur nobis Judæi, si iste est fructus promissionis, si ista est spes, num odit Deus Jacob de quo dicit quia dilexi? Sed tunc cum liberatus a servitute esset, non refugit ut salvaretur? Fugiens autem non est comprehensus, et in timore stetit. Sed fugiens insequentem se socerum nonne occurrit fratri suo? nonne timor timori successit? Sed quia liberatus et ab isto est, nonne habuit in senectute sine consolatione dolorem? Habuit enim Jacob et alium Isaac; habuit, inquam, Joseph, illum bonum et dilectum sibi, bonam progeniem suam, amarum autem de eo dolorem. Et habuit quando et sterilis erat et istius mater, et Jacob non cessabat orando : jam autem et in opprobrium

[1] Genes. XXXI, 40. — [2] Mal. I, 2. Rom. IX, 13.

erat; deflebat enim sterilis, et dicebat ad virum : « Da mihi » filium aut moriar[1]. » Soror exaggerat. Ancillæ habebant, et libera non habebat. Dolor, gemitus et tristitia erat iisdem. Sed misertus est eis aliquando Deus, et natus est Joseph ille bonus undique corpore in tantum, quantum testatur quæ victa est : mentem autem quantum testatur pater, qui prærogavit his qui antea fuerant nati; testatur autem et apud Ægyptum dispensatio quæ toto facta est mundo; testatur et scientia linguæ quam ignorabat : et mirabilia intellectibus pueri erant, sed pulchritudines hæ salvatæ lætificant, bonorum autem casus sine solatio dolorem parabant. Erat igitur in timore patris Joseph; et cum adesset cum eo, ne forte talis non permaneret salvator, ita mordebat et timorem ingerebat patri per ea quæ loquebatur, per ea quæ aiebat, per ea quæ tacebat. Quid ergo quia Joseph erat talis et secundus solus matris suæ et dilectus patri, et fratres quidem ejus mittebantur ut pascerent gregem. Joseph autem ad charitatem patris non est missus cum fratribus, quia habebat tunicam singularem ad agnitionem præcipuæ charitatis. Non suffecerat Jacob fratris livor, fratris invidia, servitus in peregrinatione, fuga a fratre, comprehensio insequentis, obvius a timore frater, ut vix acciperet Jacob a sterili ipsius matris mors, desupra hæc omnia decem et septem dum ageret annos in ætate Joseph, tunc cum augentur bona excidere bonis quantus est dolor? Et mittit pater dilectum suum filium, quem in multis fratribus habebat unigenitum; mittit pater filium ut visitaret eos qui erant in solitudine fratres. Puto quia et dum legitur vetus Testamentum, magis novum est quam vetus. Mittit pater filium suum quem habebat in locum unigeniti, nam et singulari veste separaverat eum a fratribus; mittit filium de quo prædictiones erant, prædictiones autem quas ipse qui-

[1] Gen. xxx, 1.

dem viderat Joseph, non absconderat autem a fratribus suis, erat enim frater. Dicebat enim ad eos : «Metebamus, *inquit,* » et meum manipulum erectum est, vestri autem undecim » circuitu adorabant[1]. » Bene jam occasio esse cœpit ut adorarent fratres. Audierunt fratres, et efficax somnium statim intellexerunt, et aiunt ad eum : « Num adoraverimus » te nos? regnabis enim aut tenebis nos? » Forte autem irascebatur primogenitus et primogeniti, quia junior volebat omnibus prærogari. Voluit enim somnium videre ut hoc velit; num increpatur aliquis cur somnium viderit? Tamen objurgatum Joseph est, et hoc secundo videt, et ne quidem secundo abscondit ab his qui irati fuerant de priori. Ita erat frater ad fratres. Illi autem ex secunda visione firmantes priorem, duplicem habebant invidiam, et indignationem, et iram adversus Joseph. Narravit et patri somnium, quia sol et luna et undecim stellæ se adorabant[2]. Solem quidem in loco patris intellige, lunam autem in loco matris, et cætera. Videtur reprehensibile esse, quia mater ejus non vidit eum in gloria; quemadmodum ergo adoravit? aut nunc quæritur locus matris quem implevit conjux patris? Simul autem magis stellæ undecim, hoc est undecim fratres. Forte autem ideo ex sideribus quæ in cœlo sunt apparuit somnium, ut pretiosa ostenderetur prosapies generis ejus. Præfectæ sunt itaque prædicationes, prædicta enim sunt quæ sunt prædicta. Et tunc mittitur a patre, de quo et prædictiones. Prædixerunt enim Prophetæ, et tunc missus est Filius a Patre Christus. Joseph autem filius veniebat a longe ad fratres frater; magis autem ad non fratres frater. Illi autem videntes eum a longe venientem, dicunt ea quæ et in Evangelio scripta sunt : « Iste est hæres, venite occidamus » eum, et nostra erit hæreditas[3]. Ecce, *ille inquit,* somnia» tor venit, venite occidamus eum, et mittamus in unum e

[1] Gen. XXXVII, 7. — [2] Ibid. 9. — [3] Matth. XXI, 38.

» lacis[1]; » annuntiantes quia non solum interficietur, sed inferiorem locum habebit. Et Joseph quidem appropinquavit, appropinquavit ad judicium fratrum, ad visitationem malorum : illi autem benefactorem accipientes occidunt, quantum ad propositum ; et occidissent utique, nisi qui prohibuit Isaac ne occideretur. Ut vero servaretur passio, permisit et istic firmam esse formam. Quemadmodum ergo forma occiditur, et non occiditur, proposuerunt occidere Joseph. Jam ad propositum interficientium mortuus est Joseph : quia et proposito Abrahæ oblatus Isaac est, et immolatus. Illi autem non solum non sunt contenti proposito suo, sed accipientes eum facto impetu voluerunt quidem occidere. Detenti autem ab uno sunt, qui prophetaverat fratri, et mittunt eum viventem in lacum ; annuntiantes quia vivus descendit in lacum pro mortuis Christus. Hædum autem occidentes, tunicam Joseph tingunt in sanguine hædi, ut esset suspicio per sanguinem, ut inter mortuos liber vivens. In lacu itaque interfectus est Joseph, coïnquinata enim erat ejus tunica a sanguine. Erat autem vivens in lacu post interfectionem quæ in tunica fuerat facta. Transeunt quidam e gentibus, quibus servabatur bonum quod erat in lacu, et movet spiritu unum e fratribus consolare suum errorem et dicere : *Non occidamus fratrem.* Amatores autem pecuniarum fuere et Judæorum patres, et Judas consiliator eorum, et dixere : *Non occidamus*, inquit, *eum*, quia non sumus ejus digni : non sit nobiscum qui beneficium nobis impertit. Distrahitur itaque Joseph, et tantum a comparatoribus accipiunt pretium, quantum dederunt et proditori Judæ ut et pretium consentiret sacramento. Judæ autem erat consilium et tunc ut tantum distraheretur Joseph. Judas autem est qui et in Evangelio distrahit Domino. Ascendit e lacu qui jam fuerat interfectus per tunicam, et

[1] Gen. XXXVII, 20.

in lacu putatus mortuus ingreditur Ægyptum. Et iterum istic per insomnia et visionem adunat fructus alimonias mundo, et quem interfecerunt Judæi et distraxerunt, istum adorant gentes dum pascuntur. Non enim Ægyptios solos pavit Joseph; sed ex omni mundo confluebant omnes gentes et populi, ad formam utpote Domini Jesu. Joseph autem jam pascebat fratres ipsos, scilicet qui se distraxerant et pretium acceperunt suum. Gratis accipiens gratis dabat. Et illi quidem ejus acceperunt pretium, ipse autem tritici pretium non accepit. Ubi ergo eos qui affixerunt cruci et distraxerunt pascit Dominus Jesus? Ex ipsis Petrus est, ex ipsis et Paulus, et cæteri Apostoli. Et fratres et Apostoli ad Paulum dicunt: « Intueris, *inquit,* quanta millia sunt in » Judæa qui crediderunt[1]? » quid autem si non crediderunt quidam? numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuavit? Absit autem. Et contumaces volumus pasci per Jesum. Prohibuit eos idolis servire. Sed sermo ad proposita festinat, ut ostendat et dolorem Jacob, et quia non ista vita spes est religiosis. Putas potest sustinere sine lacrymis audire, cum tunica illa sanguine tincta in manu Jacob est posita cum voce illa conficta : *Istam,* inquit, *invenimus,* istam sanguine pollutam agnosce cujus est tunica, agnosce tuum dolorem? Dolor quidem erat patris de mortuo Joseph. Erat non ferendus dolor, quia nec ante oculos suos decesserat filius; videtur enim istud solatium esse, quia affuit, quia novissimam ejus vocem suscepit, quia et dimisit ei ad consolationem verbum, quia reliquias ejus commendavit terræ. Cum autem mortuus fuerit Joseph, quantum ad nuntium expectat, quantum ad distinctionem et incertum sit homicidium aut mors, incisa autem sunt patris viscera. Omnia suspicatur, omnia sibi describit, et multas mortes pro una imitatur. Si quis sustinet vel auditum non solum qui ge-

[1] Act. XXI, 22.

nuit, vel qui audivit, tunica composita et scissa, ita ut et paterent morsus feræ impressi per tunicam. Utinam dixissent, quia et in lacum cecidit ambulans! et videbatur figmentum proximum veritati haberi. Sed suspecti sunt ne arguerentur; requirebat enim ab eis reliquias pater. Suspectus itaque Jacob est, quia mortuus est Joseph, et esca factus est feris; nuntiaverunt enim fratres, testabatur et tunica. Quis portaret, quis sustineret memor illius Joseph; cum esset cum patre antequam distraheretur? decem et septem annis erat ei mortuus, et tunica immortalem suggerebat mortem. Sicut enim misericordes sunt patres, nonnunquam ut retineant figuras filiorum per colores depingunt, easdemque recondunt in domibus, ut putant quidam ad consolationem, effigiantur ad admonitionem dolorum : ita et tunica illa recondita domi, et habens sanguinem inveterescentem non hædi putatum sed Joseph, et morsus compositi et impositi ferarum et hoc sylvestrium, semper faciebant dolorem Jacob : videns, condiscens, tangens semper filium per illam tunicam, tangens eam et oculis videns. Et ne quis reprehendat sermonem quia dolentem introduco justum, sunt enim et misericordes religiosi : nam et audivimus eum dicentem : « Cum omnes, *inquit,* filii et filiæ » accessissent ut consolarentur eum, non suscepit eorum » consolationem[1]; » non sinebat enim tunica sanguine tincta. Dixit enim : « Descendam ad infernum cum dolore ad » filium. » Tantus erat dolor! Ubi ergo promissio est? cujus promissionem impletam patri deflenti aut filio morienti? Nam etsi non est mortuus, tamen timorem expertus est mortis. Puta quia non est mortuus, non est distractus, non serviit? Ille qui in sinu lusus patris agens non mittebatur foras, nunc servit. Servit autem, et servitutem Ægyptiorum. Sed non permisit eum Deus, habuit solatium. Di-

[1] Genes. XXXVII, 35.

lexit enim eum qui emerat, quem oderant fratres. Quid igitur? istic putas obdormivit invidia? putas despexit diabolus consolationem Joseph. Habebat conjugem Ægyptius[1] : per mulierem igitur diabolus machinatur. Diligitur, inquit, bonus non bene. Et vere nunc incurrit in feram Joseph, et figmentum fratrum transivit ad actum. Mulier insistens, mulier semetipsam decorans, ad laqueum verbis illiciens, lapidibus suadens, odoribus capiens, et varias vestes ut retia expandens. Et intuere mihi peregrinum et adolescentem ; intuere eum qui non habebat patrem, non matrem præsentem ; intuere distractum a fratribus, et contra dignitatem servientem ingenuum ; et memor esto verborum quæ a muliere promebantur, et illa ficta mulieris blandimenta. Intuere et divitias Ægyptii ostensas a conjuge, promissiones mulieris, tristitiam pueri, pueri angustiam, mulieris abundantiam ; potestatem enim habebat domus additamenta tentationis. Dicebat enim mulier multa, non audiebat autem pudicus. Depingebat sibi oculos illa, Joseph autem suos claudebat. Illa se lapidibus coronabat, et ille se a lapidibus ne offenderet custodiebat. Illa contorquebat capillos suos, et ille vitabat ut vincula. Illa variis vestimentis utebatur, et ille intuebatur opificiorum varietatem. Illa movebat thymiamata ad odorem, ille autem odorem pudicitiæ odorans, domabat suam adolescentiam junior quantum ad ætatem, senior autem sapientia. Cum autem non valuisset mulieris blandimentum, transtulit blandimentum ad vim. Nova quippe tragœdia in primo fiebat Joseph, forte et solo ; siquidem a viris vim pati mulieres natura ipsa mulierum suadet : Joseph autem solus a muliere vim periclitabatur sustinere. Accessit enim mulier ad adolescentem, sola ad solum, hominum videbat nullus. Ille autem qui ab hominibus non videbatur, Deum invisibilem

[1] Genes. XXXIX.

intuebatur. Immittebat fera ungulas suas ad tunicam Joseph. Ille autem qui consueverat tunica salvari, et qui tunicam fratribus dedit, et a deceptione fratrum est liberatus, reliquit et nunc tunicam in manu mulieris, ut non dimitteret suam animam in manibus impudicitiæ; et exivit nudus a tunica, pudicitia autem amictus sua, illo sancto et pudico vestimento indutus. Mulier autem videns pueri constantiam et pudicitiæ imperium, detinens tunicam ejus sicut canes irascuntur ad lapides qui ad eos fuerint missi, et sicut frequenter quidam effugientes bestias, partem vestimenti jactantes faciunt eas iram in partem vestimenti deponere suam : ita illa leæna, aut alia quædam bestia dira, tunicam pudici accipiens et manibus et ungulis comprehendens et tenens, et scindens undique componebat, falsam adinventionem suam pudico adscribens, et honestiam ad se transferens. Impudenti enim clamat voce, et convocat adversus conjunctionem et dicit : « Venite, *inquit,* et videte; en » introduxit puerum Hebræum : » dicitur ingenuitas ut illudat nos, subingressus est mihi volens vim facere. Putas non offendit lingua impudentis ! Miramur si non est mutatus ejus color? Conscientia enim, etiamsi occultet factum, tamen per vultus sua producit vestigia. Conferebat autem ad figmentum color imitatus. Videbatur enim ad vim esse durata, quam ipsa quidem fecerat; passam autem se confingebat. Subingressus est mihi, inquit impudens. Subingressus est mihi, dicit quæ subingressa est, et clamavi, ait. Et certe non clamasti, nisi posteaquam egressus est adolescens. Et reliquit, ait, suam tunicam, et fugit. Et certe non est vim facientis ut relinquat suam tunicam. Ad convictionem supervenit et dominus domus, qui omnem domum crediderat Joseph. Accedit ænea fronte mulier, et iterum repetit figmentum quod fuerat meditata, lacrymansque et deflens, aut quia non potuit obtinere, aut quia contempta

est, aut quia non manibus eum jam præfocavit. Desiderium enim contemptum ad iram convertitur. Quid igitur in his agitur? Pudicus accusatur ab impudica. Non miraris quia non statim aggressus est vir, et hoc Ægyptius callidæ naturæ homo et loci laniavit adolescentem; si quidem ætas habet suspicionem, et quæ vocabat et accusabat, et qui ad vocem ejus cucurrerant, et tunica quæ retinebatur, movebat dominum ad indignationem, et honor qui erat datus ei qui fuerat distractus. Movebat autem et suspicionem pulchritudo; et tanta quidem erant quæ ad fidem provocabant. Sufficiebat autem ad operis dubitationem pueri sapientia et pulchritudo. Cur enim eum non statim disparavit? quia sciebat pueri mores : medius autem factus fidei et incredulitati dilaniavit, sed dubitans non disparavit. Et quidem ipsum quia non credidit, ad carcerem misit, qui et susceptus est. Quæ igitur dinumerabimus Joseph? bonam ejus interfectionem dicemus, aut bonam jactationem in lacu, sed distractionem, sed servitutem, post hæc sed exurrectionem mulieris impudicæ, sed factam calumniam et accusationem falsam in adamantinum adolescentem. Non est locutus Joseph, non fecit satis qui calumniabatur : non est confusus pro impudenti, maluit mori calumniatus, quam uti veritate ad salutem. Putas et istic imitator est et forma ejus qui non aperuit os suum cum calumniaretur. Sed Joseph iterum ad carcerem. Et ubi est Judæorum spes? Sed de resurrectione proponentes dicere, incurrimus in necessarios sermones qui non alieni sunt a resurrectione; et videmur quidem protrahere tractatum diu hoc exposcente et maturam refectionem tenere. Sed forte nec immorari est ad otium, oportet enim constantes fieri ad mortem, et ita refici escis. Efficiamur igitur et nos medii, et neque extra mensuram protendamus sermonem, non sinit enim tempus, neque iterum valde colligamus, ut fruamur et festivi-

tate. Et quia nos ex anima et corpore sumus compositi, pascamus animam mensuris propriis, ut et ipsa reficiat corpora a constantia. Sed quid vultis? dimittemus Joseph in carcerem, et quem Deus non reliquit in carcere, nos sermone pingentes relinquemus ligatum? Et quis adhortabitur pudicitiam studere? quis autem amabit continentiam, videns in carcere derelictum Joseph? Et certe si relinquatur Joseph in carcere, et mortuus fuerit cum pudicitia, spes resurrectionis non circumscribit spem. Sed quia non dimisit eum Deus in carcere, simus patientes, et audiamus ejus egressum : et cum ille fuerit emissus, tunc et nos dimittamur cum eo. Joseph igitur erat in carcere habens delicias ex uberibus pudicitiæ, honestate indutus, diligens magis carcerem quam amorem illius bestiæ, amatorem fœtore frui, istum enim præhonorabat unguentis : ast pudicus amplectens vincula magis quam ornatum Ægyptiæ, amans oculorum tenebras propter lumen animæ, libenter audiens gemitus carceris, quam videns lapides in luxuriosa fronte et immunda. Ubi ergo sunt prædictiones? Noli properare, et audies. Irascitur Pharao[1] duobus pueris suis summis e ministerio : iratus est Pharao, quia propitius erat Joseph Deus. Mittuntur ad carcerem, et simul cum Joseph recluduntur. Joseph autem et in carcere et istic fidelis. Sicut enim creditam accepit domum Ægyptii, custodivit fidem etiam cum calumniaretur. Non enim detulit damnum, sed passus est ipse potius injuriam pati quam facere et differre domum ejus qui sibi crediderat. Creduntur, et religat in carcere eum qui erat in carcere. Flos enim pudicitiæ annuntiabat per frontem puerum. Et in tanta abundantia habebat solatium, ut ipse esset qui consolaretur tristantes. Habebat enim frontem pudicitia germinantem. Suscepit et pueros Pharaonis, eosque statim consolatur, quia erat sus-

[1] Genes. XL.

ceptor et nepos Abrahæ, et sapiens valde. Ingressus igitur in uno dierum ad pueros Pharaonis, vidit vultus eorum immutatos, et intellexit quia mens eorum erat turbata, et interrogat causam quæ ista esset in eis immutatio. Illi autem promunt insomnia, et hæc duplicia : sicut enim et in paterna vidit domo, et procuravit Deus, licet et contraria sibi essent somnia. Primus exponit somnium qui viderat bonum, ut adhortatio fieret secundo ne taceret. Si enim fuissent utrique somnia bona, forte suspicio fuisset quia utraque donans bene interpretatus est Joseph, ut eos consolaretur potius quam veram interpretationem somniorum diceret, et fortuitum putaretur negotium, et iterum qui perniciosum viderat somnium secundus non diceret, et non fieret duplex testimonium. Nunc autem exponit primus, qui bonum habebat somnium. Erat enim supra vineam regis, et dicit : « Vitem videbam, et in vite tres fundos, et ipsa » germinans attulerat maturos botriones uvæ, et calix Pha- » rao in manu mea, et sumpsi uvam et expressi eam in ca- » licem in manibus Pharao [1]. » Prudens et sapientissimus Joseph, qui a Deo edocebatur, statim ad interpretationem currit, et dicit : « Tres fundi tres dies sunt adhuc. Triduum » et in monte habebit Pharao initium tui, et restituet te » super vineam in officio tuo, et dabis calicem in manus » Pharao. » Lætatus est audiens, et statim mutavit colorem. Hortatus autem et alius est semetipsum, habebat et ipse similem visionem. « Et ego, *inquit,* vidi somnium. Putabam » me tria canistra helice tollere super caput meum [2]. » Sicut illic tria, et istic tria. « Et in canistro superiori ex om- » nibus generibus ex quibus Pharao rex manducabat, opus » pistorum : » erat enim supra pistores; « et volatilia cœli co- » medebant ea de canistro quod erat supra caput meum. » « Etiam, *inquit,* et tria tua tres dies significant : » sed

[1] Genes. XL, 9. — [2] Ibid. 16.

quia non ministrasti in manu regis, volatilia autem comedebant ea, manifestum est quia inciso capite tuo, et affixa carne cruci, volatilia manducabunt carnes tuas : hoc enim annuntiat somnium tibi. Et cum tertius advenisset dies, et regis haberetur natalis, memor fuit summorum illorum ministrorum. Et illi quidem qui supra vineam erat concedit, vocatus enim est, et stetit ante conspectum regis, et dedit calicem in manum ejus secundum interpretationem Joseph. Præpositi autem pistoris admonitio magis fervere fecit indignationem regis, et incidebatur capite, et volatilia perficiebant visionem. Quid hæc ad Joseph? maxime quidem quia intellectus erat in eo et revelatio, et quia et eorum qui in carcere erant consolatio habebatur, quia et illic creditum est ei. Dixerat autem vini præposito : « Memento » mei per temetipsum cum cœperit tibi esse bene, et facies » in me miserationem, et memorabis de me Pharaoni, et » educes me de isto carcere : quoniam furto sublatus sum » de terra Hebræorum, et hic nihil mali feci, sed miserunt » me in domum loci hujus. » Quia enim hoc ipsum credidit in homine, additum est ei biennium. Emendatus autem est ob istum sermonem biennium Joseph ut esset in carcere. Non enim intermittit Deus sanctorum errores diligens eos. Si qui erraverunt, statim corrigit, ut non maneat eis in judicio. Dixit enim homini : « Memor esto mei, et educito » me de carcere isto[1], » obliviscetur te homo, et protendetur tibi biennium tempus. Sed non est oblitus Deus, sed assistit Joseph Pharaoni primo et secundo. Erat enim visio Pharaonis omnis de frugibus et cultura. Illic enim boves fœminæ erant, septem bonæ aspectu et electæ carnibus, et culmi septem spicarum; oportet enim conjungi insomnia spicas septem plenas, et septem tenues. Quia enim cultus terræ per boves efficitur, per culmos autem spicæ. De pro-

[1] Gen. XLI.

ventu autem et fame erant insomnia regis, per domesticas visiones dantur et provisiones. Septem erant spicæ plenæ, et septem vaccæ pingues : succedebant autem vaccis quidem pinguibus vaccæ macræ, spicis autem bonis et plenis spicæ tenues. Pro septem spicis plenis septem spicæ tenues. Comestæ sunt pingues vaccæ a macilentis vaccis, et spicæ a spicis, et in fame habebatur Ægyptus, et in turbela Pharao: et vini præpositus admonitus est dicens, Dicam an taceam? tacui tanto tempore! Sed si non dixero, perient Ægyptii. Meum, inquit, errorem, meum peccatum admoneam. Putas cum repeteret et diceret, Cum iratus esses nobis, admonitio sui peccati, erat autem taciturnitatis. Fieri enim potest quia utraque admonitus est, et utraque dixit. Quid ait ad regem? « Peccati, *inquit,* memor fui hodie : Pharao indignatus est pueris suis et misit nos in carcerem, in domum præpositi coquorum, me et qui supra pistores erat. Et vidimus somnium uterque una nocte, ego itidem ille, unusquisque somnium vidimus. Erat autem ibi nobiscum adolescens puer Hebræus præpositi coquorum, et enarravimus illi, et interpretavit nobis. Et factum est, sicut interpretatus fuerat nobis, sic evenit : me restituisti in officio, illum autem suspendisti. Et misit Pharao vocari Joseph[1]. » Convicta enim jam fuerat sapientiorum sapientia, quæ somnium regis interpretari non potuit. Et eduxerunt eum de carcere, et totonderunt eum, et mutaverunt vestimentum ejus. Iterum e lacu Joseph; iterum e carcere exiit, et venit ad Pharao. Dixit autem Pharao ad Joseph : « Somnium vidi, et qui interpretetur illum non est. » Convicta enim jam fuerat Ægyptus, convicta et sapientia quæ pollicebatur multa. Ego autem audivi de te dicentes audire te somnia et interpretari ea. Confirma ergo nobis famam tuam. Religiosus autem Joseph respondit ad

[1] Gen. XL, 14.

regem, et dixit : Sine Deo non respondebitur salutare Pharao. « Dei enim est, *inquit*, interpretatio. » Ego nihil possum ut possim. Exponit autem duplex somnium Pharao, quod erat in una virtute. Cur autem secundum somnium videt, ut discas quia urget Deus ut parcat hominibus. Putabam, inquit[1], me stare juxta oram fluminis, et quasi de flumine ascendebant septem vaccæ electæ carnibus, bonæ aspectu, et pascebantur ad ripam. Et ecce aliæ septem vaccæ ascendebant post illas de flumine pessimæ et turpes aspectu, et macræ carnibus, tales quales nunquam vidi in tota Ægypto turpiores. Et devoraverunt illæ septem vaccæ macræ et turpes septem vaccas bonas et electas, et intraverunt in ventres earum, et non paruerunt quod introïssent in ventres earum, turpes sicut erant ab initio. Surgens autem rursus dormivi, et vidi iterum in somniis : et quasi septem spicæ ascendebant in fundo uno plenæ et bonæ; aliæ autem septem spicæ tenues et a vento corruptæ crescebant juxta eas : et glutierunt septem spicæ tenues, et a vento corruptæ, septem spicas plenas et bonas. Dixi ergo interpretatoribus, et non fuit qui dissereret mihi. Et dixit Joseph ad Pharao : Somnium Pharao unum est. Quæcumque Deus faciet ostendit Pharao. Septem vaccæ bonæ septem anni sunt. Somnium Pharao unum est : et septem vaccæ macræ quæ ascendebant post eas, septem anni sunt; et septem spicæ tenues et a vento corruptæ, septem anni sunt. Et erit septem annis fames. Verum autem quod dixit Pharao; quæcumque Deus facit ostendit Pharaoni. Ecce septem anni veniunt ubertatis magnæ in omni terra Ægypti; post autem venient septem anni famis : postea obliviscentur ubertatem in universa Ægypto, et consumet fames omnem terram. Neque agnoscetur ubertas super terram præ fame quæ futura est post hæc; vehemens enim erit valde. Quod autem

[1] Gen. XLI, 17.

iteravit somnium Pharao bis : quia verum erit verbum quod est a Deo, et properat Deus ut faciat hoc. Nunc ergo provide hominem sensatum, et præpone eum super Ægyptum : et faciat Pharao; et præponat locorum principes super terram, qui quintas exigant omnis fructus terræ Ægypti septem annorum ubertatis, et colligant omnes fructus septem annorum venientium horum bonorum : et colligatur frumentum sub manu Pharao, et escæ in civitatibus custodiantur; et sint escæ quæ custoditæ fuerint terræ, in septem annos famis quæ erit in terra Ægypti, et non exterminabitur terra a fame. Et placuerunt hæc verba ante Pharao, et omnibus pueris suis : Numquid inveniemus hominem talem qui habet spiritum Dei in se? Et dixit Pharao ad Joseph : Quoniam ostendit tibi Deus omnia hæc, non est tibi homo prudentior, nec sensatior te; tu eris super domum meam, et ori tuo obediet populus omnis præter thronum, ego te præero. Dixit Pharao ad Joseph : Ecce constituo te hodie super omnem terram Ægypti; facito, inquit, tuum consilium. Quis te sapientior? quis te sensatior et fidelior? Te enim volebat Deus ut supra domum esses meam, super omnem scilicet Ægyptum. Perficito tuum consilium, conregna mihi : tibi enim dans Ægyptum in potestate, habebo te mecum in regem. Jam consolatio, jam fructus pudicitiæ erant Joseph. Sed nec in his factus arguit mulierem impudentem. Non reddit vicem, tamen fuit in tribulatione et in tali angustia tanta Joseph. Jacob autem in tribulatione erat, et jam cum remissus fuisset Joseph a carcere. Quid ergo? dicent Judæi, ubi est fructus promissionis? Si enim ista est vita, quid hoc ad Jacob, qui decem et septem annis luxit Joseph? aut ad ipsum Joseph, qui vix liberatus est? Sed sermo quidem impletur : negotium autem servetur, licitum enim est nobis et sequenti perfrui die. Mensuremus autem tempus. Decet enim gratis dona Dei, ut jejunent in tem-

pore, et epulentur in tempore. Tantum estote memores ubi finimus sermonem : ut sicut hi qui alacriter manducant, et ob quamdam occasionem exurgentes a mensa nitant sibi apposita, ita et vos reliquias alio a nobis exposcite die, ne quid et intermisimus ; non enim decet nos venientes ad consolationem mortis, relinquere Jacob in luctu de fama mortis filii. Sed rationis est et sequenti nos jungere, et miscere in alacritatem lugentium jam esse consolationem. Non fuissem vos passus ita dimittere, adhuc sollicitus propter Jacob lugentem. Quia igitur incipimus permittente Deo et probationes de resurrectione conjungere, jam fidem præcedentis sermonis confidentes epulemur, non cum mortuis, omnes enim vivunt. Non enim venimus ad monumenta, sed ad locum commendationis ; non venimus ad mortuos, sed ad viventes, commonentes nosmetipsos per ea quæ facimus spem ipsius resurrectionis. Læti convenimus, majus gaudentes recedimus. Ita enim confidimus quia resurgemus, quia et ista credentes lætabimur. Habemus autem reconditum sermonem nobis ostendentem spes quia est religiosis. Et jam quidem ostensum est a justo Deo ; tamen quia vocat tempus nos refici debere, gratiarum actiones consignantes verbo gloriam referamus viventi et bono, et vero, et vivificanti Jesu Christo, per quem est Deo Patri cum Spiritu sancto gloria et honor, imperium, majestas, et nunc et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.



EUSEBII PAMPHILI

DE RESURRECTIONE

ET ASCENSIONE.

LIBER SECUNDUS.

Lætantur quidem cœli de festivitate præsenti, in qua Dominum suscepere victorem; lætatur et exercitus Angelorum suscipiens cum victoria Regem; lætatur et qui genuit et misit Pater, a dextris suis habens charissimum Filium, per quem mortua quidem mors est, corrupta autem est corruptela, et destructa est diaboli tyrannis, et salvati sunt homines, et gaudium acceperunt Angeli. Non est passus autem Spiritus sanctus, sed per omnium hominum linguas victori obtulit laudes. Quia enim omnium linguarum erat salus, ideo omni lingua per ora Apostolorum locutus est Spiritus. Et exinde jam vocabat gentes per initiamenta : implebatur autem et præcedentis festivitatis lætitia. Pascha enim festivitatis mortis sacramentum in se continens, tunc recipiebat fructum, cum fiebat recursio Domini ad cœlos. Non enim venit ut moriens moreretur, sed ut eos qui mortui fuerant vivificaret. Lætantur igitur omnia, forte autem et creatura : clarior enim et sol est, secundum præsens hoc tempus; prolixior enim et lumen habetur, et omnium completus est fructus, et consentiunt officia dispensationi. Soluta autem nobis est et sententia : revocata est nostra restitutio; obedientia enim veniens, prævaricationis pœnas

ejecit. Justitia subintroducta iniquitatem repulit, veniens vita mortem mortificavit, Deus descendens hominem perduxit ad cœlos : undique igitur fulgores festivitatis lucescant; sursum chori, in terra lætitiæ. Tristant bona malum, luget semetipsum diabolus, decet enim eum luctus suus; lugent adhuc usque dæmones, et semetipsos deplorant. Tantum enim ut nominata fuerit Crux, agnoscunt plagam, et non sufferunt nomen. Et ne quis putet oblitum me fuisse hesternæ promissionis meæ, promiseramus enim de resurrectione dicere heri, exposcebat enim tempus. Sicut enim heri de resurrectione motus est sermo : ita quia festivitas regressum Domini requirit ad Patrem. Firmatur autem hominum resurrectio, cum apparuerit Filius reversus ad Patrem. Et majus ostenditur quod propositum est, cum apparuerit resurrectio ejus qui suscitavit. Siquidem et Apostolus volens ostendere quia resurgunt homines, ad resurrectionem Domini transmisit suum sermonem, et dixit : « Si compatimur, ut et simul glorificemur[1]; Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit[2] : » ut ex hoc manifestum sit, hominum resurrectionem sequi Domini resurrectionem. Et mirabilia quidem quæ ante crucem facta sunt, qui fuit ostendit : post mortem autem mirabilia quæ per Apostolos facta sunt, confirmant quia qui mortuus est resurrexit et vivit. Unde et majora servata sunt mirabilia post mortem, quam ea quæ ante mortem sunt facta. Quia enim incredibilior resurrectio Domini magis quam adventus ejus; in mundo majora servata sunt testibus resurrectionis mirabilia, ut agnosceretur quia mortuus quidem est, sed resurrexit ob dispensationem, vivit autem propter virtutem. Quis enim ausus est dicere, quia non resurrexit Christus, aut confossiles inimici, aut ficti amici? Putas Gentiles audebunt dicere quia mortuus est et non resurrexit? Non quæro quid

[1] Rom. VIII, 17. — [2] I Cor. XV, 16.

dicant, sed quid patiantur. Si enim stant eorum templa, non resurrexit. Si non destruxit, si non conflata sunt eorum simulacra post crucem, non resurrexit, qui arguit ea quæ non vivunt; si non increpantur nomine crucis eorum dii et dæmones, non resurrexit? qui his qui non sunt terribilis habetur? confitentur enim et dæmones resurrectionem Christi. Qui enim exorcizant, crucem Domini nominant, et resurrectionem; et nomine ejus qui mortuus est et resurrexit increpantes, non ut inobedientes aut contradicentes habent dæmones, sed obaudientes et consentientes resurrectionem. Sed Judæi dubitant de resurrectione Christi. Utinam non dubitarent, ut et ipsi resurgerent a peccatis suis, in quibus mortui et vere sunt mortui! Si autem dubitant, ostendant civitatem suam post ea quæ ausi sunt stantem. Et vere qui mortuus est, mortuus est, quia stant qui affixerunt cruci. Si autem deserta est civitas ob audaciam incolarum, qui post mortem cruciat eos quia sunt, utique vivens id gerit. Si non servit eorum gens, si non excusaverunt suum regem, si est cum ipsis propheta, non est factus exitus prædicationis Prophetarum. Si autem civitas eorum deserta est, si altare jam non est eis, non sacerdos, non rex, non propheta, non Spiritus per quem ista. Si autem et dicatur ab eis impudenter, quia civitatem eorum destruxerunt homines, utrum concedente Deo et ita permittente, magis autem indignante, dicant causam peccati. Putas propter idololatriam? et certe nunc idola non colunt. Sed quia Prophetas occiderunt aliquando, et certe cum eos interficerent habitabant civitatem suam. Sed quia templum contaminarunt aliquando, et certe contaminantes habebant. Quæ ergo causa est ut ira adversus eos sit Dei nunc? Et certe secundum ipsorum sermonem, ut aiunt, utinam videantur religiositatem fecisse! Si enim solventem Legem et de Lege contra facientem invenerunt Dominum Jesum, et

non invidia sed zelo pro Lege affixerunt cruci, oportebat Deum et alia eis peccata dimittere magis propter istam justitiam, quam nunc eos ita punire. Et licet ipsi essent peccatores, et alia haberent peccata, tamen Dominus Jesus, quem ipsi Legi contraria facientem dixere, cum apud eos esset, prædicebat quia destrueretur eorum templum, et deprædabitur eorum civitas, propter id quod adversus audebant. Et si ipsi alia habebant peccata, Deus autem non videretur mendax, ut ipsi blasphemant, inveniretur autem verax : passus utique fuisset alia eorum peccata, ut confirmaretur docenti prædicatio illa, quæ et cæcis extitit manifesta, et videntibus completa. Apostolus enim Paulus ad Galatas scribens ait : « Quia ante oculos eorum descriptus est » Jesus Christus crucifixus[1]. » Ego autem et audebo et adversus vos dicere, quia sermo ante oculos vestros describit Jesum Christum resurrexisse a mortuis. Quid enim quæris? non invenies solem clariorem, ad satisfactionem resurrectionis Domini, gentilium quotidie deficientem culturam. Protenduntur autem Ecclesiæ bona et quotidie crescunt. Inimicus ergo, ut ipsi putant, Legis, qui vindicat in adversos et domesticos suos, exaltatur, vivit. Putas aut non vivens, hæc quæ non viventes possunt, ipse operatur? occasio Judæis nulla relicta est. Cum enim dicunt, Quia alia peccata habuimus, et ideo ejecti sumus nunc. Primum est enim, quando non peccavit Israël? quando non eos est passus Deus nisi nunc solum? Nonne in Ægypto idola colebant? Putas ergo quia colebant idola primam istam religiositatem admittentes, ideo non sunt ejecti de Ægypto? Et certe cum multis signis et prodigiis et mirabilibus, cum percuterentur Ægyptii decem plagis, liber autem esset Israël a decem plagis cohabitans iisdem. Et operibus quidem erat Ægypti, Dei autem misericordia a plagis Ægyptiorum ha-

[1] Galat. III, 1.

bebantur immunes. Si igitur propter istiusmodi peccata plagæ sunt, debuerant in Ægypto cum adducebantur plagæ adversus Ægyptios, dari et Judæis, qui cum cohabitantibus idola adorabant, qui et cohabitantes simul cum iisdem peccabant. Si autem idola quidem colebat in Ægypto Israël, et non solum non accipiebat plagas, etiam irreligiosa gerens, sed alii pro eis quamdiu et exirent isti, nunc sine causa causantur. Quod autem idola colebat in Ægypto Israël, testatur quidem et Ezechiel propheta comparans duas eorum metropoles, Hierusalem dico et Samariam, duabus consororibus, et dicit : « Duæ erant consorores, et ipsæ for» nicatæ sunt in Ægypto in adolescentia sua [1]. » Fornicatio autem in Scriptura ita ponitur, quia secundum misericordiam dignabatur Deus tanquam conjungens sibi tunc quidem Synagogam, nunc autem Ecclesiam. Ab eo ergo qui secundum misericordiam conjungebat recessio, et dæmonibus conjunctio, et idololatria, fornicatio secundum Scripturam rectissime nominatur. Quia ergo idola colebant in Ægypto, ideo per Prophetam ait : Duæ erant sorores, et ipsæ fornicatæ sunt in adolescentia sua in Ægypto. Denique et Moysi successor Jesus Nave, mandans populo de suo exitu, dicit : « Quibus vultis servire diis? Num his quos coluerunt pa» tres vestri in Ægypto [2] ? » Quid autem opus est Prophetas vocare? ipsum Israël testem adversum se et ipsorum vocem produco, ut ostendam quia idola colebant in Ægypto. Quia enim exeuntes de Ægypto erant in deserto, et Moyses ascenderet apportare sacrilegis legem; quadraginta autem dies protenderat in monte Moyses, caput vituli sibi conflantes, clamabat suis linguis adversum se : « Isti dii tui, Is» raël, qui eduxerunt te de terra Ægypti [3]. » Hoc autem commendat, quia qui et in deserto coluerunt idola facientes sibi vituli caput, et apud Ægyptum. Dixere enim : Isti dii

[1] Ezech. XXIII, 3. — [2] Jos XXIV. — [3] Exod. XXXII, 4.

tui, Israël, qui eduxerunt te de terra Ægypti. Accusantium vox est quia istiusmodi venerabantur idola, et hos colebant et in Ægypto, quibus et reddebant gratiam egressionis suæ. Si autem dixerint, Quia alia peccata habuimus, ob quæ et ad desertum perducta est eorum civitas et servit gens, et neque propheta cum ipsis est, neque altare, nec rex, nec sacerdos : quod peccatum majus est irreligiositate? Si autem colentes idola in Ægypto exierunt ex Ægypto, non erat facilius irreligiose eos agentes apud Judæam, reverti in Judæam? Sed ausi sunt dicere, Quia ideo nunc non habemus prophetas, quia inter gentes sparsi videmur. Ubi ergo venit Moyses? nonne in Ægypto? Ubi Maria soror Moysi? nonne in Ægypto? Ubi septuaginta duo? nonne in deserto gentium? Post hæc autem ubi Daniel? nonne in Babylonia? Ubi tres ejus fratres? nonne in Babylonia apud gentes? Ubi qui degunt jejunant? nonne in gentibus? Ubi flamma ignoravit suam naturam? ubi Zacharias propheta? ubi Angelus? Si autem prima et media in gentibus, cum ipsis erant prophetæ. Et certe apud Babyloniam extra hos qui prædicti sunt, omnes Judæi adoraverunt imaginem regis, et non ideo fraudati sunt a prophetis. Quia autem adoraverunt imaginem, comminatio Nabuchodonosor tunc facta annuntiat. Dicit enim : « Omnis qui non cadens adoraverit imaginem, statim mittetur in fornacem ignis ardentis[1]. » Et aderat quidem illi omnis Israël. Tres autem soli inventi sunt qui non adoraverant, in fornacem missi sunt, et ab igne salvati sunt. Daniel autem regalia sibi commissa non aderat præsens : si enim affuisset, nunquam a quadriga bonus remansisset equus. Ita autem nec derelictus est Daniel ob comminationem ignis a fratribus suis, et illorum martyrio. Quia fratres quidem ejus in medium producti, in aperto martyrium posuerunt, et passi sunt et liberati.

[1] Dan. III, 6.

Daniel autem post hæc præcepto existente regis nullum debere neque alium adorare deum neque regem, nisi solum regem, et quem putas? Persarum : ipse autem ingrediens domum suam, et cum posset latere et occulte adorare Deum, palam adorans, non negavit religionem, sed maluit magis esca dari leonibus, quam fraudari se ab adoratione viventis Dei. Noli enim quærere si Daniel non est a leonibus comestus; sed quia proposuit se comedi, hoc adverte : nec quia non consumpsit flamma tres illos pueros missos in fornacem ignis ardentis, sed quia ipsi holocausta facti sunt, quantum ad alacritatem suam. Non enim ab exitu judicium est, sed ab alacritate coronæ. Ego autem dico, quia ideo salvati sunt tunc, et Daniel a leonibus, et tres pueri a flamma ignis ardentis; non propter alacritatem eorum qui salvati sunt, sed propter infirmitatem illorum qui adoraverunt imaginem. Ut enim non dicerent qui adoraverunt, quid profuit eis qui non adoraverant; ne ab exitu incendii eorum qui non adoraverunt satisfactionem sibi conquirerent irreligiosa agentes : ideo salvati sunt qui non adoraverunt, ut non permanerent mortui qui adoraverunt. Ipse enim Deus est Daniel, et horum qui in martyriis consumuntur a feris. Sed non ipse populus : ab incredibili enim populo salvabantur qui fidem confitebantur, ut non incredulitas populi augeretur; a fideli autem plebe, ut crescat fides in sanguine sanctorum, veritas firmetur Evangelii. Habemus autem et nos, quia et mirabilia facta sunt in languentibus locis. Quidam enim a feris salvati sunt, quia languebant loca, in quibus et passio martyrum agitabatur. Alii ab igne liberati sunt. Si quis autem non credit, et rationem exposcit, nihil prohibet religiosi unius memoriam nos repetere, et proferre in medium. In Antiochenorum illa urbe Romanus quidam extitit martyr. Iste peregrinus advenerat illo. Cum autem jactari à tempestatibus illam tunc videret civitatem, inve-

nerat enim jam multos milites cecidisse Ecclesiæ, non est passus dare diabolo ut exultaret, sed exultantem judicem de his qui fuerant superati aggreditur vim faciens, regno vero rapto, et dicit : Non recedes lætus; habet enim Deus milites qui superari non possunt. Judex autem ebrius in victoria eorum qui fuerant superati, ex illorum imbecillitate æstimans sancti constantiam, præcipit eum induci. Non oportebat enim Dominum Jesum sine victore recedere. Introducens autem eum, omnia tormenta movebat, et tanta uni vincenti quanta omnibus his qui fuerant superati. Contendens enim ne solveretur victoria sua per unius istius victoriam, et reputans apud se quia et in stadiis finis currentium quæritur, et quia si iste vicerit nec ut victi erunt qui fuerant superati, universa ei admoveri tormenta jubet. Volens enim flectere juvenem, et oculis torquebat, et dentibus minabatur, et manibus torquentium suas protendebat manus, et ab ipsa ira etiam de sede movebatur sua. Cum autem fatigarentur torquentes, et non cederet qui torquebatur, atque obtusum et deflexum fuisset ferrum, non est flexus qui radebatur. Cum jam nulla adinventio tormentorum fuisset derelicta, cupiens constantiam suam ostendere Domini miles, emittit vocem dicens : Cur jam, tyranne, non cessas? confessus sum per os verum esse regem Christum. Judex autem injuriam in tyrannidem dictam non sufferens, convicit quidem se, et commendavit martyrem Christi, Quia ideo hæc pro vero rege patitur, qui ita de mortali ausus est loqui. Propterea jubet eum igni tradi, coronam coronis conjungens. Et ideo cito efficiebatur præceptum. Ejiciebatur enim Romanus lætus, et coronatus sanguine, insignia in lateribus habens quæ pro veritate fuerat passus, portans quippe et in humeris crucem, et in fronte signum regale. Cum autem adunarentur sarmenta et cannæ, ad velocitatem utpote flammæ, vel quod igni apta videntur ad

incensionem, imponebatur autem vivens immolatio in igne; hæc cum ita agerentur, non longe autem abesset civitas, ut testaretur veritati; et forte quia quidam de Judæis aut alii homines dicebant, Ubi est horum Deus? forte proferentium Judæorum tres pueros, et dicentium, Quia sub nos salvabantur a flamma fornacis ardentis, isti autem ardent: atqui cœli jubet Dominus nubibus coronari cœlum, adimplens autem sinus nubium grandine et imbre admodum vehementi, et addens ventos ad velocem emissionem eorum, neque accendi flammam permittit, vehementiorem ostendens hanc virtutem quam apud Babyloniam. Illic enim e flamma tres pueros liberavit: istic autem ne quidem accendi flammæ concessum est. Fit turbela non levis, nuntiantur tyranno quia martyre tradito igni cœlum indignatum est, et quia cœlestis Rex suos qui in terra habentur defendit. Hæc cum audisset tyrannus, et cum valde injuriam defenderet suam factam per linguam, jubet judici jam non debere jurgari eum ad Deum, sed istum quem liberavit Deus dimitti debere. Et noster igitur Ananias velut ex igne dimittitur. Judex autem blandiens tyranno, iniquus voluntate et proposito, sine Deo degens, cupiens nihil deesse blandimentis suis, invenit nescio quid novum adversus sanctum, addens admirationem admirationibus. Quid enim facit? præcipit linguam qua fuerat locutus in hominem, eo quod non negaverat Deum, incidi. Et quidam medicus qui jam fuerat, non proposito sed carnis infirmitate, quia enim ipse fuerat superatus, exivit. Exultari libet de victoria superantis. Provenit autem istum portare medicinalia operamenta. Et exivit ut consolaretur suam ruinam. Inventus est in aliam tentationem incurrere. Præcepto enim judicis insistente ut lingua incideretur sancti, et quia inventus est ille parata habens ad istam necessitatem ferramenta, urgebatur incidere quam nolebat linguam. Et incidit quidem;

cum autem incidisset, ipsa lingua usus est ad tutelam sui : non enim projecit quam incidit, sed accipiens eam ut medicamen ad sanitatem illius delicti quod admiserat abnegando, accipiens domi recondit, ut consuerunt infirmiores, fideles tamen, honorare, si quid a martyribus sumpserint. Dicit autem medicorum doctrina, contestatur etiam et natura, quia linguæ incisio interfectio est ejus a quo inciditur, oportebat autem et secundo a morte liberari martyrem Christi. Ergo cum producunt nobis Judæi tres pueros, in uno tria proferimus. Et jam quidem habemus duo mirabilia : flammam ne quidem concessam fieri; post incisionem linguæ, vitam, quam natura quidem non confitetur, gratia autem addidit. Ubi ergo tertia admiratio est de eodem martyre Christi? Adducebatur Romanus ad carcerem, addebat autem et hoc blandus ad tyrannum judex, qui istam corporalem linguam non habebat. Lectum est autem nobis, quia in Apostolos Spiritus linguas ut ignem divisit et donavit. Sed illum non vidimus, sed audivimus et credimus. Quod autem dicturus sum, multi vultus sunt testes. Dicitur quia beatus iste Romanus, dum adhuc carneam habebat linguam, similia Mosi loquebatur, hoc est balbutiens et non composite loquens. Dum adhuc haberet totam linguam, et non posset composite loqui, erat balbus. Qui autem carcerem ingrediebatur, custos carceris interrogavit eum quod ei esset nomen : et certe littera jam his qui valde compositi recte loquuntur, impedit ad loquendum. Nunc autem Romanus et incisa lingua, quam cum haberet et recte loqui non poterat, spiritus linguæ loquitur, et valde rectissime, et dicit : Romanus dicet. Iterum nuntiatur hoc judici, et tyranno præsenti. Iterum qui inciderat medicus, constituitur in timore. Etiam, inquit, iste adhuc Christianus est, ut fratri parcens contempsit præceptum. Forte autem ille cupiens post in-

cisionem linguæ non superesse martyrem, et majori mensura incidit ad interfectionem potius quam ad præcisionem. Tamen comprehensus medicus ducebatur ad judicem, et negotium habebat cur loqueretur is cui incisa fuerat lingua : non enim semel locutus tacuit, sed conferebat cum aliis de cruce et victoria Christi; et hoc multis mensibus in carcere constitutus. Habemus ergo et tertiam admirationem, et unus Ecclesiæ martyr jam æquatur tribus ex Synagoga. Cum autem negotium pateretur medicus, ut condiscatis quantum boni sit, et brevis quidam ictus religiositatis; quia enim tutelæ causa acceperat linguam, quia in ratione salutis thesaurum recondiderat sibi : exhinc jam accepit fructum fidei. Judici enim indignanti et comminanti, et jam eum interficere volenti, respondit medicus : Habeo linguam quam incidi. Producatur alius, cui non assistit Deus, et secundum mensuram incisæ linguæ incidatur lingua, et si vixerit, meum commentum est, et non Dei defensio. Producitur quidam damnatorum, et diligentissime mensura accepta, incisa etiam lingua est quæ habebat incidi. Tantum ut impleta incisio est, et finis ejus completus est vitæ : et ille quidem est mortuus. Dei autem ex comparatione tenebrarum apparebat clarissimum lumen. Si quis autem infirmus et incredulus est, signa autem infidelibus, ut dicit Scriptura [1], habemus hæc proferre quæ audivimus. Et certe non tantum egena est Ecclesia. Sed et de alio audivi ego, quia vir quidam ad bestias missus est, a bestiis autem non consumptus, ut Daniel, Ecclesiæ referebat mirabilia Dei. Sed non sit mihi colligere talia : ista enim supportatoria infirmantium habentur, istæ satisfactiones sunt non credentium. Sed neque ista sperno, nec abnuo. Glorificetur autem et in istis mirificator Deus. Diligo autem cum video incidi capita martyrum, et totum corpus ardere, et virgines

[1] 1 Cor. XIV, 22.

nudas non in religiosis oculis; amicis autem et fraternis. Nihil enim horum terribile vident fratres, quia nec patiuntur. Istæ sunt gloriæ, istæ nostræ dilectiones. Et quidem qui inciditur capite, habebit caput in judicio, quia qui ardet totus holocaustum Deo viventi offertur. Et virgo nudata non nuda, habet enim indumentum incorruptelæ suæ. Nemo dicat martyribus, Misericordia a vobis ab his, fratres; ne forte imitatores Christi vocem etiam ejus mittentes respondeant dicentibus : « Vade retro me, Satana[1]. » Incendantur et ardeant ut nudentur virgines in passione, et vincat per omnia Christus. Quid enim et promunt Judæi ut gloriam aut accusationem ? Si enim nos fratrum nostrorum interficientium usi sumus prædicta gloria, interfectis prioribus non cessamus interfici, nunc adoremus idola quæ excusamus. Israël autem et dum interficeretur ne adoraret, non cessavit adorando. Et ausi sunt loqui ad crucem. Cum enim vituli caput sibi ut adorarent fecerunt, Moyses interfecit plurimos, ne cæteri facerent talia, et qui derelicti sunt adorarent. Unde ergo simile erit Judæis et ut dum interficiuntur, alii non adorent simulacra, et Ecclesia quæ interficitur ut adoret, et non adorat ? Sed quæ communio est lumini ad tenebras ? « Quæ enim debui facere vineæ meæ, et non feci[2] ? » dicit Deus. Donare debuit et blandiri, et beneficia tribuere; fecit omnia. Donavit enim manna. Israël autem modo manducans vitulum, qui nec herbam manducabat, nec vitam habebat, adorabant. E petra bibebant aquam, et ex petra faciebant idola sibi. Per lignum figurati amara aqua translata ad dulcedinem est, illi autem e ligno exculpentes sibi simulacra adversum eum qui fecerat dulce adorabant. Veterascentes autem concrescebant eis tunicæ, illi autem accipientes quæ donabat Deus consecrabant idolis. Tantum enim erant ad beneficia contumaces, ideoque adduxit adversum eos pla-

[1] Marc. I, 33. — [2] Isai. V, 4.

gas, quia dum daret beneficia, eos suadere non potuit; voluit ergo eos puniens perurgere. Quam enim plagam eis non misit? Quid enim ait ipse ad eos? « Sine causa percussi filios vestros, disciplinam non accepistis. » Cum enim beneficia sua eis exprobraret, dicebat : Quid adhuc debui facere vineæ meæ, et non feci? Cum autem incredulitatem ad plagas addebat : Sine causa percussi filios vestros, disciplinam non accepistis. Et iterum : « Quid adhuc percutiamini » addentes peccata? » Hoc est, Ego evacuavi plagas, vos autem non cessastis peccantes. Sed forte simplices plagas putatis, et gladio interfecti sunt qui caput sibi vituli fecerunt ut adorarent : et nihilominus indisciplinatus mansit Israël, et terra mirifice ostendat aperiens os suum, vivos quosdam absorbuit; et qui relicti sunt adorabant non viventes. Flamma eos consumpsit ne adorarent idola, et comedit multos; et qui relicti sunt adorarunt simulacra dæmoniorum. Et illi quidem consumabantur ut non adorarent, at nihilominus adorabant. Nos autem consumimur ut adoremus, et non adoramus. Non quippe nostra virtute, sed crucis potentia. Serpentes eos mordebant, et immisso veneno occidebant, et per omnes plagas, per terram, per ignem, per gladium, per serpentes, per feras, per inimicos, per legem puniti, interfecti, concisi, consumpti sunt, et manu sacerdotum occisi; et non recesserunt ab idolis. Et tamen hæc omnia fiebant tunc, et Spiritus erat in ipsis, et Moyses propheta, et Aaron sacerdos, et Jesus Nave exercitum ducens et expugnans inimicos, et Moyses orationibus vincens, et manna desursum; et petra dabat aquam, et tabernaculum aderat, et virga florebat, et mirabilia fiebant. Et colentes idola non abegerunt Deum ut recederet a promissionibus suis quas fecerat ad Abraham. Cur ergo, vos interrogabo, cur cum et apud Ægyptum idola colebatis, cum et in ipso mari positi non credebatis, cum et manna accipientes

murmurabatis, cum et ante Legem et contra Legem vituli caput vobis fecistis, cum Beelphegor vosmetipsos consecrastis, cum flammam ignis contempsistis, cum a serpentibus interficiebamini, non estis suasi? cum terra admirabiliter os suum aperiens absorbuit vos viventes, neque vos cessastis ab idolis, neque Deus recessit, ut non vobis faceret bene? et habebatis prophetas vobiscum. Comparavimus igitur illa his quæ non sunt, et interrogavimus eos, cur tunc cum tanta fierent a vobis, passus est vobis Deus, et nunc cum sabbatum custoditis ut pollicemini, et Legem legitis et libros Prophetarum quos præsentes quidem interfecistis, libros autem eorum purpureis palliis honoratis? Quæ causa est ut tunc quidem, tanta vobis facientibus mala, tanta fiebant in vobis Dei bona, et Spiritus vobis aderat, et Prophetæ vobiscum erant? Nunc autem, cum et Legem legitis et dicitis, et custoditis et feriamini, et sabbatum observatis, et ab escis vos abstinetis, sine causa laboratis et vigilatis, per noctem psalmos dicentes, et per civitates et nationes synagogas constituistis, et arcam et candelabra, et mensas; et omnia vultis facere nunc magis quam in terra vestra. Cur tunc cum tanta mala faciebatis tantos habebatis Prophetas, et Moysen quem voluistis lapidare, et Aaron cui vim irrogastis? nunc autem cum videmini custodire Legem, et omnia facere ut prædictum est, nullus vobiscum propheta est? Putas quia Romani, compellimini enim dicere, quia citra voluntatem Dei destruxerunt vestram civitatem. Spiritum sanctum quis abstulit a vobis? ubi nunc apud vos propheta est? Dicit Deus in Ezechiel propheta : « Populus iste peccavit in me, et misi eos ad captivitatem[1]. » Sed non ista metuentes, inquit, ad Gentes audiebant : « Iste est populus » Dei et terra Dei. » Et educam, inquit, propter nomen meum, et reducam eos, et dicito eis : « Non propter vos fa-

[1] Ezech. XXXVI.

» cio, domus Israël, sed propter nomen meum. » Ille Deus qui dixit tunc, Non propter vos facio, sed propter nomen meum, nunc audiens vos dicentes, Quia religiose fecimus crucifigendo Christum, Et sint illi digni propter prius opprobrium gentium, dicat ut dixit; et nunc si tamen permittit vestrum peccatum, In unum non propter domum Israël facio, sed propter nomen meum : et certe propter nomen suum nunc vos non reducit. Sicut enim tunc propter nomen suum revocavit : ita nunc propter nomen suum vos non revocat. Si enim propter nomen suum facit quod non facit, debet et non permittere fieri ea quæ prædixit Salvator cum ostenderent ei lapides templi, quia « Non relinque-» tur lapis super lapidem, qui non destruatur[1]; » et cum defleret Hierusalem, et prædiceret quia circumdabunt eam inimici, et destruent eam, et cum diceret filiabus Israël : « Filiæ Israël, nolite plorare me, sed plangite vos et filios » vestros : venient enim, *inquit*, dies, cum patiemini ea quæ » passæ sunt[2]. » His semel et bis et tertio a Salvatore prædictis, si mendax est et si contra Legem faciens, si defendentes Legem occiderunt quem occiderunt, deberet Deus, ut argueret prædicationes mendaces, pati illos etiam nunc peccantes, ut et antea passus est. Si autem Salvator quidem prædixit, Pater autem audiens confirmavit, et opera testantur, prædicatione dupliciter convictus est Israël. Quia igitur apparet correptio quæ per crucem facta in mundo effulsit, interrogavimus eos, Quem vultis esse Jesum? hominem peccatorem et contra Legem facientem? Ergo producite vestros justos et fiat comparatio. Absit ut a nobis servis, ad dominum. Quia autem ad Judæos loquimur, oportet nos infantiari. Comparemus in signa, et opponamus lucernas plures soli uno, et dicamus Judæis, Quem vultis Jesum esse? ut Abraham? Ostendite ergo quem suasit Abraham, vel

[1] Marc. XIII, 2. — [2] Luc. XIX, 43, et XXIII, 28.

unum licet ab idololatria ad religiositatem, aut non hoc primum et in vestra Lege mandatum est. Sed Isaac comparabitur rei ipsæ, et de Isaac erit sermo. Quem suasit Isaac? Sed Jacob, cujus et socer in idololatria permansit? Sed Moysi, qui non potuit per multa signa et prodigia filios Abrahæ ad culturam Abrahæ transferre? qui non potuit suadere socero suo? Nonne mare scindebatur, et iterum copulabatur, et manna ad vicem imbris deducebatur, et petræ ex imis emittebant aquas, et omnis natura transferebatur per signa; et populus manebat in idololatria? Quid valuit lucerna Moyses? ideo bene dicit Dominus : « Nolite » judicare ad faciem, sed justum judicium judicate[1]; » non nominibus, sed negotiis, quid correxit Moyses, et præhonoretur a vobis Jesus. Si autem unum populum per signa non suasit, Jesus autem per crucem, per scandalum, et non per signa aut prodigia mundum transtulit ad Dei culturam : Moyses lucerna ne quidem uni domui sufficit; Jesus autem sol justitiæ, si non fulget mundus et illuminatur, non sit sol. Ex negotiis enim et nuncupationes sunt accipiendæ. Si illuminatur mundus, sol justitiæ est; ubi enim præcurrit opus, adjuncta sit et nuncupatio. Moyses lucerna quare dictus est, qui neque fratribus suis et cognatis lucere valuit? siquidem ad fines ejus igni consumpti sunt sub illo peccantes, et Aaron per os ipsius Moysi objurgatus est, et propter ipsum Moysen objurgatus a Deo est Aaron. Qui norunt Scripturas, sciunt quæ dicuntur. Moysen producunt quod jurgatus a Deo est, et finem justum habuit vitæ. Sed nos compellimur dicere adversum sanctos quos cupimus honorare. Sed non dicimus adversus Moysen, sed ea loquimur quæ vult. Ipse dicit Moyses. Nam et si compellimur dicere, dicimus ideo ut commendemus ea quæ ipse Moyses de Christo locutus est. Ergo falso Judæi Moysen adversus

[1] Joan. VII, 24.

Moysen legunt : legentes enim dicunt, quia nihil veri loquitur. Nos autem Moysen pro Moyse legimus. Et quid contendimus ad Judæos vere adjicere quæ apud Judæos habentur, quæque nobis concedunt. At idem Judæi concedant nobis, quia Moyses vera locutus est, et nullus e Prophetis mentitus est, neque Deus horum. Dicimus enim quia omnes promissiones Dei quæ per Legem factæ sunt, et per Prophetas impletæ sunt in adventu Domini Christi, et adhuc usque implentur. Hoc est honorare libros Prophetarum, non purpureis palliis a foris, sed illum qui intus prædicatur agnoscere. Non est mentitus Moyses pro nobis, opus enim ipsum ei testimonium præstat. Non est mentitus Moyses adversus Israël, captivitas enim eorum et humiliatio testatur. Non sunt mentiti Prophetæ vocationem gentium prædicentes ; vocati enim sunt, ut videtis. Non sunt mentiti Prophetæ exitum et abjectionem Israël prophetantes. Si autem sermones prædicti sunt, et negotia testantur, quid adhuc impudens est Israël, aliquando quidem ad dicta, nunc autem et ad ipsa negotia ? Scriptum est, et promissum in Lege est, quia si fuerint qui dispersi sunt e populo ad fines usque mundi, et pœnitentes custodierint Legem, « Inde eos reducam, dicit Dominus. » Ista Dei promissio est. Interrogavimus ergo Judæos : Utrum servatis Legem, aut non ? Si non servatis, quid et loquimini ? Si autem servatis, quid quia non revocamini ? Non enim mentitur Deus. Si autem prævaricantes Legem habebatis civitatem ; nunc, ut dicitis, servantes Legem dispersi estis in civitatibus : manifesta ergo est vestra inexcusabilis audacia sanguinis justi. Et certe multorum Prophetarum effudistis sanguinem, et habebatis vestram civitatem ; et prioribus Prophetis interfectis, secundi veniebant et convincebant vos. Quomodo ergo multorum Prophetarum sanguis non intercidit prophetiam ? Unius autem, ut dicitis, contra Legem facientis

sanguis, statuit omnem prophetiam. Et quomodo omnes Prophetæ cum legislatore et regibus justis, et omnibus mirabilibus quæ facta apud Ægyptum videntur, et in deserto, et in ipsa terra promissionis, et cum omnibus beneficiis et pœnis, non statuerunt idololatriam ne quidem ab ipso Israël? Crucis autem sermo et orbem universum convertit; et Israël si nihil aliud, tamen ab idololatria prohibuit. Quid hoc efficientius mihi videtur, quia resurrectio viventis quæ hoc fecit, mors quam sustinuit. Si enim affixus est ob infirmitatem, ut dicit Paulus[1], sed vivit ut videmus. Et nos quidem illum quem non videmus non negamus : viventem autem ex his quæ efficit videmus. Quia autem ausi sunt in qua sunt pœna ipsi edicant. Ergo vivens et apud eos invenitur qui passus est. Qui enim adversantur in dissolutione sunt, et Gentiles jam non gentiles, et Judæi superantur. Quid deest qui vincit? Ecclesia quippe unde habens filios? Ita enim est admiratio, quia a Judæis accipiens patres Apostolos, a Gentibus autem filios a non credentibus, habet illic salutem filiorum, istic non credit Judæis. Sed ab abnegantibus Judæis, habet testes Apostolos, ut illorum conspersio apud nos non sit illorum. Cum enim ferrum acceptum fuerit a congeribus lapidum, aut a terra ex qua et conflatum est, jam non est quod erat in monte : et Apostoli a Judæis accepti, jam non sunt ex illis; per ignem enim emundati, aliud quam lapides facti sunt. Illi enim interficiebantur ut non adorarent idola; et lapidabant Moysen, quia non concedebat eis adorare. Stephanus autem statim ex ipsis lapidabatur, eo quod non negavit causa crucis Dominnm Jesum. Putas isti ex Judæis sunt : Petrus, qui inverso capite affixus est cruci; Paulus, qui persecutionem est passus, et gloriatus est in periculis? Sed meminimus Petri et Pauli, et Stephani.

[1] 2 Cor. XIII, 4.

Petrus ante crucem infirmus et incertus, et ter abnegans Dominum, quando magis oportebat eum negare cum adhuc viveret magister, aut tunc cum satis sibi fecit qui est mortuus? Si autem neque ante mortem negaret, esset contentiosum omnia dominantis magistro. Si autem ante crucem negat, et ter non simpliciter, sed per vocem puellæ unius, et hoc Domino prædicente ei; et certe si non propter aliud, propter contemptionem prædictionis deberet Petrus non negare. Et certe cum Dominus dixit negaturos esse omnes, Petrus dicebat : « Si omnes te negabunt, ego » non te negabo, sed paratus sum pro te mori[1] » et ante te mori. Et cum dixisset, et ipse ter abnegaturus esset, non recessit, contendens et dicens, *Non te negabo.* Qui autem dixit sæpe, Quia non negabo, et horum habebat memoriam, quia puella quædam accedens interrogabat eum, Nunc Galilæus est, nunc cum Jesu erat; cœpit et jurare quod non poposcerat puella et dicere, Quia nescio hominem : nec ut hominem, o Petre! et hoc semel, et bis, et ter. Et certe vivebat magister, et incertum erat si mereretur Petro. Ipsius est enim vox quæ dixit : « Misericordia tibi, Domine, ab » his[2]. » Quemadmodum iste negans ter et jurans, et hoc propter vocem puellæ unius ante mortem, post crucem, post paucos illos dies incipit clamare et ad populum dicere : « Viri fratres et patres, audite[3]? » Puellam non audis, et viros fratres et patres vocas ut suadeantur? In nocte negas in qua posses et latere, et tertia hora constanter proclamans loqueris ad populum universum. Sed puta quia Petrus contentiosus est, et omnia donans magistro, ausus fuit Judæis et loqui, a quibus ipsa audacia extitit. Quemadmodum Judæi non statim fustibus et lapidibus, aut quolibet alio genere obruere arguentem? Si enim Deum qui signa fecit ausi sunt affigere cruci, quemadmodum Petrum con-

[1] Matth. xxvi, 34. — [2] Id. xvi, 22. — [3] Act. vii, 2.

vincentem eos post istam audaciam non statim fustibus aut lapidibus obruerunt? Nunc ergo sunt in captivitate et humiliatione cum floret Ecclesia, et adorant nobiscum et reges et judices. Audeat quis ingredi synagogam visus licet alicujus, et dicere, Jesus crucifixus Filius est Dei. Si exierit inde, et hoc cum non sit ex Judæis, sed ex nobis, cum et leges vindicant et reges adorant, et cum Ecclesia tenet. Si autem nunc non est sine periculo aliquem non Judæum ingredi in synagogam eorum qui in captivitate habentur, et hoc in vico ubi tres aut quatuor colliguntur Judæi, et dicere veritatem, quemadmodum Petrus ex Judæis Galilæus? Nec enim hoc est dicere quia ingenuitatem ejus honorarunt, et non sunt ausi, nec quia eruditionem, nec quia divitias. Jam autem nec piscator erat, sed egeno egentior. In tantum autem aderat ei, ut non loqueretur qui dum periclitaretur animæ, et interrogaretur si Galilæus esset, negans et dicens : Non in ipsa abnegatione convictus est. Quia enim naturalis est linguæ partis uniuscujusque terræ meditantem assuefieri ad eloquendum, Oriens ad aliam partem utitur; Syrorum lingua in alio clamet, nationem quidem ipsam esse, mutatam autem in sono haberi. Fit enim et hoc apud Judæos, et cætera. Galilæi Hebraïca quidem loquebantur, lingua autem impediti aut immutantes con vincebantur quia non erant e civitate. Sicut et apud nos nunc efficitur, qui agros habitant immutantur ab eis qui in civitatibus habitantes linguam habent. Forte autem et uniuscujusque civitatis vicinæ diversam habent linguam propter consuetudinem assuetam. Hæc cum ita agerentur, ex consuetudine ita apparent. In libro Judicum scriptum est, quia provenit bellum inter se agere propter accusationem nescio quam ex istius partis hominibus[1]. Communis enim erat circumcisio. Si ad alteram venissent partem,

[1] Jud. XII, 6.

per linguam erat eorum discretio. Interrogabant enim victores eos quos vicerant unde essent, pro salute ex parte adversa haberi. Proponebant sermonem quemdam, non poterant recte ita loqui ut illi qui interrogabant, et qui negabant ex lingua arguerentur. Hoc enim in Evangeliis renovatur quod apud Judices scriptum est. Petrus enim negabat se scire hominem, lingua autem per ipsam abnegationem convincebat eum quia Galilæus erat. Iste Petrus, qui periclitabatur, et cupiebat suam immutare linguam a Galilæa ad Judaïcam, et parum quid corrigere; hæc cupiens et festinans et mortem timens, dicat quid putaverit. Quomodo omni mundo loquitur iste Judæus, imo ex Judæis, dicat et Gentiles convincat. Unde iste cui sine voce erat lingua, unde Petrus loquitur? Sed non est locutus, sed tacens suasit mundum. Majorem nobis dat admirationem, is qui negabat sed locutus est, qua lingua; ipsis enim qui apud Hierosolymam erant, quomodo poterat loqui, tamen loquitur, et post quantos dies convictionis cum per linguam est convictus. Iste erat dies quinquagesimæ completio, abnegationis autem Petri ante quinquaginta dies passio fuerat Domini. Putas in quinquaginta diebus piscator rusticanus ex vico studuit omnem linguam. In Actibus enim scriptum est Apostolorum, et non credatur si res ipsæ non consentiunt. Scriptum est enim quia dum impleretur dies quinquagesima, erant adunati in unum Apostoli, quos sparserat quidem crux, collegerat autem resurrectio; et adunatis iisdem divisæ sunt linguæ tanquam ignis dividentes, et insederunt in unumquemque illorum, et cœperunt linguis loqui quas non didicerant[1]. Hæc Scriptura dicit; qui vult interroget. Si non est factum, quomodo audierunt gentes? Sed audierunt gentes. Ergo quod scriptum est factum est: quis est qui donavit? Qui mortuus est, et quidem antequam pateretur

[1] Act. II, 1.

non donavit linguam. Quod ergo non donavit antequam pateretur, quemadmodum donat mortuus? nisi quia resurrexit. Sed non donavit, nec vera dicit Scriptura. Quomodo ausi sunt Apostoli exire ad Gentes? qua spe elati, quid ante oculos habentes ausi sunt hoc? Unde autem eis hæc prudentia? quomodo putas adunati hæc impudenter ad alterutrum dicebant: Magister fefellit nos; quia ergo fefellit nos, et nos fallamus mundum? Dicebant quia suscitavit nos, et ipse mortuus non resurrexit. Si hæc conscientia eorum ita sciret esse contraria, deberent dicere, et negare, et pœnitere, et confiteri errorem, et ante Judæos dicere quæ dicebant Judæi: Seductor erat, seduxit nos, putabamus, promittebat resurrectionem, arguit eum operimentum. Debuisset unusquisque recurrere ad retia paterna, providere sibi victum, abscondi, erubescere falsitatem magistri, propriam seductionem occultare, multo magis jurgare, Quia nec vidimus eum. Hæc deberent facere si vera essent quæ Judæi volebant. Sed putas convenientes in unum impudenter dicebant ad semetipsos: Quid si seducti sumus, sed non concedamus? Magister mortuus est, dicamus quia resurrexit: ut quid lucrarentur? quid commodi acciperent? aurum? sed non permisit mandatum; argentum? et ipsa retia dereliquerunt. Sed ut honorarentur? qui inverso capite affigebantur. Quid erat quod posset eos hortari ut mentirentur de eo qui non resurrexerat? quis præbuerat eis audaciam? in quo confidentes essent inscientiæ suæ rusticitatis, ingenuitati, divitiis, multitudini, duodecim ad mundum? Sed prædicationem ejus qui affixus est cruci, ipsum solum audere exire ad mundum grande est. Puta ista ausi sunt Judæi, quomodo passi sunt non eos statim interimere? Nonne parati sunt ad interemptionem? Magistrum affixerunt, qui non arguit eos homicidas; istos qui convicerunt quia homicidæ sunt, non multo magis debuissent interimere? Cur


sanguinem magistri adhuc habentes in manibus patiuntur piscatores? Et certe cum interficerent magistrum, nisi negasset Petrus, fuisset mortuus. Qui ergo volebant eum antequam moreretur magister occidere, quemadmodum eum non occidunt post magistri interfectionem? Quemadmodum? quæ est causa? sed noluerunt; et quis est qui convertit eorum mentem? sed voluerunt; et quis est qui prohibuit eorum propositum? sed voluerunt et non potuerunt; et quis est qui superavit eorum malitiam? quemadmodum superati sunt, si non est facta admiratio, quomodo vincunt piscatores? Ecce alia admiratio. Si nulla admiratione operati superant, majori admiratione vincunt. Et certe volunt Judæi occidere, et concedit Dominus eis ut occidant. Martyrium itaque tulit Stephanus. Quomodo ergo Stephanus quidem ab istis occiditur? Utile enim erat ejus martyrium, ut firmaretur per mortem resurrectio; et cæteri non occiduntur? Sed noluit Israël. Quomodo vult Stephanum? De hoc concedit Dominus, sufficit hoc ad victoriam. Quomodo concedit Stephanum, et non concedit et alios? Ut cognosceretur quia mortua est mors, et quia per mortem firmatur resurrectio; ut agnosceretur quia vivit qui vivificat. Volunt Judæi et non possunt. Moysen facientem signa voluit Israël lapidare, et Prophetas occiderunt, et hoc ita prohibente Lege; piscatores arguentes eos et prædicantes crucifixum non occiderunt. Lazarum, quia resurrexit a mortuis, voluerunt occidere, ut mortificarent admirationem; et eos qui prædicant resurrectionem affixi cruci ab ipsis, non occiderunt. Sed puta quia Judæi victi sunt. Cogitaverunt autem piscatores ad mundum exire, si homines ad terminos mundi sine litteris, ad eruditos imperiti, ignobiles ad ingenuos; cogitaverunt et tanto donaverunt magistro mortuo: cum quo et fuere, puta quia ipsi cogitaverunt, puta quia victus est: quomodo Gentes susce-

perunt? et Gentes discipulos audiebant. Non consuetudo erat vetus, non simulacra adornata, non templa excelsa, non sacraria quæ multo tenuerant tempore, non versus compositi, non superbia sapientium, non multitudo poëtarum, non remissio feriarum, non traditio parentum, non mirabilia illa in ambitione quæ per artes et machinas et compositiones vatum fieri consueverant? Quomodo ausi sunt piscatores, ne quidem panes portantes, ingredi domum alicujus? ad quam cognationem? ad quam similem linguam? ad quam civitatem et domum agnoscendum? Sed prædicatio erat honesta. Crucifixus prædicabatur, et qui prædicabant humiles, et quibus prædicabatur præventi erant. Nunc ascendat quis ad templum, dicat quod verum est quia non sunt dii lapides, si potuerit dinumerare eos qui adversum se jaciuntur? Si autem reges exercitus et leges pro religione sunt, et multitudo fidelium, tantæ minæ adversum eos qui hæc non suscipiunt, nullus ausus est, et si fuerit ausus, non vivet. Si dixerit, Isti dii non sunt dii; sed si nunc ita repetentem, et vide quæ erat virtus sine his qui circuibant mundum, et dicunt quia ista non sunt quæ apparent, neque ista putantur, neque illa quæ sapientes dicunt aut poëtæ confingunt, et quæ loquuntur; mentiuntur sacraria, non vera dicunt vaticinationes; præmissio ipsa nocens et ars mentita est; templa male constructa sunt; recedite a paternis et credite crucifixo. Quis putas ita lapideum habet cor? Ego puto quia et gentilium ipsorum quidem adessent priores, et Judeæorum primarii synagogæ, aut transferrent corda sua lapidea ad finem, aut tacentes utique confunderentur. Scribantur istæ suasiones in uniuscujusque corde, non atramento, non enim atramento sunt digna : si quid autem cum vi loquitur, noli pati mentientes; et si donamus aliquid sermoni, nolite seduci. Si autem sole clariora negotia sunt, nolite fieri cæci. Vi-

dete Dominum Jesum a mortuis resurgentem; videte eum ad dexteram Patris cum gloria sedentem. Quibus oculis? Apostolorum quippe illorum virtute, illorum scientia. Quomodo suscepti sunt? quomodo creditum est? quomodo destructa sunt veterna, quomodo introducta quæ in prædicatione erant tanquam inhonesta? Et certe multa erant impedimenta apud eos : consuetudo quæ putabatur vetus, imperium adversariorum, remissio feriarum, et ea quæ particulatim prædicta sunt; ab eo autem qui prædicabatur crux, et quod in eo erat incredibile et sine honore; præconum autem abjectio, ignobilitas, nulla doctrina, egestas, numerus parvus ; ab ipsa autem prædicatione jejunium pro ebrietate, pudicitia pro libidine, donare sua quam rapere. Si igitur qui prædicabatur incredulitatem habebat propter impotentiam quæ putabatur crucis, et qui prædicabant omnia incredibilia : adde autem et persecutionem ipsorum cum vapularent, cum injurias sustinerent, cum recluderentur et interficerentur; si qui prædicabatur interfectus est, qui prædicant interficiuntur, et qui credunt persecutionem sustinent : unde creditur ab ipso a suis prædicatoribus ab his qui susceperunt? Sed ex consuetudine quæ contraria suggerebat, sed ab acerbitate prædicationis cui adversabatur requies quæ in veteri erat Testamento permissa, sed a promissionibus : Mortuus est, inquit quidam, et resurrexit aliquando. Et persecutio quidem aderat, promissiones autem dicebantur. Sed putas provenerunt ista et suaserunt Discipuli, et translatus est mundus, et Judæi cessarunt. Impossibilia facta sunt possibilia, et iterum silentio, et si fortuitu. Si autem prædixit ea Jesus ante crucem, perfecit autem post crucem, quid non videmus ad solem, ubi et prædixit? Ubi enim non prædixit? Si quis autem scrutatus fuerit ejus sermones, non est ejus sermo in quo non est statim et prædicatio. Piscatores enim nominavit Disci-


pulos suos; in eo dum vocaret piscatores, piscationem annuntiavit : ipsum enim nomen prædicationis est nuncupatio. Vocavit eos piscatores hominum ad salutem[1]. Piscati sunt autem. Si non sunt piscati, mentitus est et mortuus. Si autem et absentes nunc usque piscantur homines, nonne apparet quia adest qui misit piscatores ad piscandum? Et cum sint absentes, sales eos appellavit[2]. Si non statuerunt nostram putredinem, si non deterserunt nostras sordes, si non emundaverunt nostras spurcitias, si non immiserunt in nobis saporem, non sint quod dicti sunt. Si autem a spurcitiis nos et fœtore liberarunt, statuerunt autem nostras defluxiones, deterserunt nostras sordes, suavi autem odore pleni sumus per illos, et sumus esca divina. Reprehende prædicationem, si concedet tibi exitus rerum. Piscatores sales eos dixit et exhibuit. Denique et in alia prædicatione lumen eos facit et dicit : « Vos estis lumen mundi[3]. » Piscatores privati, ignobiles, egeni, lumen mundi dicuntur. Domus enim si dixisset, non esset magnum, si via alicujus non esset. Adhuc majus, civitatis enim unius si dixisset. Sed lumen eos esse non est incredibile nationis integræ; Sed mundi, inquit, estis lumen. Si dixit magnum, et non fecit maximum, num mentitus est aliquid? Si autem dicit magna, operatur autem majora, quid faciemus de his quæ videntur? Dicit Petro : « Tu es Petrus, et super istam pe-» tram ædificabo Ecclesiam meam[4]. » Certe ædificaturum se promittebat Ecclesiam suam. Si non ædificavit, mortuus est. Si autem ædificavit qui non vivit, dicant quomodo ædificavit : sed ædificavit, nihil autem addidit, sed dicit : « Et » portæ inferi non prævalebunt adversus eam. » Si non moti gladii sunt, et exercitus, et tyranni, et leges, et pœnæ, et mors, et varietas horum, et ignis, et mare, et fluvii, et omnia simul adversus istam prædicationem, et per omnia trans-

[1] Matth. IV, 19. — [2] Id. V, 13. — [3] Ibid. 14. — [4] Id. XVI, 18.



iens prædicatio conflata est, et de terra, et castigata : ostenditur quia inferi et mortes plurimæ non transferunt Domini prædicationem. Si non facta fuissent ista, forte relinqueretur dubitatio. Si autem per omnia tota ista prædicatio stat, vivit utique cujus prædicatio non evertitur. Sed ex modicis magnæ prædicationes sunt factæ : « Recumbe-» bat, *inquit,* Dominus, et venit ad eum quædam mulier[1]. » Et quid portavit? unguentum effudit super caput ejus. Irascebantur autem discipuli, scientes quod unguento non indiget magister. Irascebatur autem et Judas propter fructum, quia et pauperibus donat incurrentia. Dominus autem ad irascentes : Nolite, inquit, quærere quid ego velim, sed quis et quæ est voluntas ejus qui immisit. Nolite esse molesti. Fecit enim. Quod autem fecit ista, non ignorat. Prænuntiant ista meam mortem. Immittitur enim gentibus qui moriuntur unguentum. Et una quidem prædicatio quia morietur, sed ista non sit mirabilis. Addit enim : « Amen, » amen dico vobis, quia cum prædicatum fuerit nomen » meum in omni mundo, prædicabitur et hoc quod fecit » ista[2]. » Et parva illa occasio unguenti tantam magnitudinem introduxit prædicationis, et dictum est, Quia toto mundo prædicabitur nomen meum, et illius mulieris lusus in memoriam erit. Quæ auctoritas istius vocis? Quid enim dicit qui mortuus est post mortem his qui prædicatur? « Exite ad » universum mundum. » Dixit, aut non dixit? Si non dixit, quomodo exeuntes perfecerunt quæ jussit? quomodo suspecti sunt, quomodo qui mortuus est mortuus est? « Ite, do-» cete, *inquit,* omnes gentes[3] : » o regia vox! o tenentis mundum promissio! Ite, docete omnes gentes. Quantis dicis hæc, o Domine? duodecim hominibus ad innumerabilem populum : *Et baptizate eos,* inquit : et fecerunt quæ videmus. Iterum sane comparans parabolas prædicit : « Simile

[1] Matth. xxvi, 6. — [2] Ibid. 13. — [3] Id. xxviii, 19.



» est regnum cœlorum [1], » hoc est prædicatio ista, *fermento*. Secundum quid fermentum? quia et ferment omodico a muliere in multa conspersione absconditum, ipsum quidem non obscuratur a conspersione, sed cum sit parum totum fermentat, et fermentat sine strepitu. Ita, inquit, mea prædicatio brevis per duodecim per istud fermentum toto, inquit, insparsum non transmutabitur, sed omnem mundum transferet ad religiositatem. Hoc dictum est per parabolam. Prædicatio autem facta est, aut non : si facta est, quid dubitas? si autem non est facta, argue. Aliam iterum parabolam similem huic introducit. Quid enim dicit? « Simile est regnum cœlorum » grano sinapi, quod brevius quidem est ab omnibus semi- » nibus; cum autem creverit, majus fit omnibus oleribus [2]. » Et prædicatio in duodecim erat Apostolis, et Judaismus et gentilitas erat. Cum autem crevit, superavit utroque. Isti ante crucem sermones sunt, post crucem autem opera quæ videmus. Interim venerunt quidem Gentiles, et dicunt Philippo : *Volumus Jesum videre;* et dicit *Jesus : Venit hora*, crucis timor, *ut glorificetur Filius hominis* [3]. Dicit, Quia cum crucifixus fuero glorificabor. Hoc dixit, non fiat, et mortuus est. Si autem prædixit et per mortem perfecit, o potentia virtutis per ea quæ non sunt fortia! Sed nolite fatigari de resurrectione in diem Assumptionis audire. Festivitas est primo animas, et ita ventres. Primo debes condiscere cui feriaris, primo debes agnoscere quia vivit, in quo habetur spes, ut securus manduces. Si mortuus est qui adhortatur, lugeri oportet. Si autem suasi fuerimus quia vivit et vivificat, et si manducaverimus et biberimus, et quæcumque alia fecerimus, in gloriam viventis faciemus. Suademus igitur et ut gaudentes epulemur. Putas enim quia adhuc necessarius sermo est. Adhuc enim suademur. Unum enim ex his quæ dicta sunt non sufficit, et lapidem comminuere;

[1] Matth. XIII, 33. — [2] Ibid. 31. — [3] Joan. XII, 23.

tamen unum ex his addam. Omnia enim ut dicam, nec sæculum sufficit. Mensurabo sane tractatum propter corpora, propter festivitatem, propter refectionem. Dicit iterum Dominus : « Granum tritici nisi cadens mortuum fuerit, ipsum » solum manet[1]. » Ut habet se natura locutus est. Si enim seminatum non fuerit, nudum granum manebit. Si autem cadens, inquit, fuerit mortuum, ut testatur a natura, multos fructus affert. Et ego, inquit, si non fuero mortuus non colligo ; si autem cadens in terram mortuus fuero, multos fructus affero secundum granum tritici. Et per modicum quidem granum parabola dicta est, permagna autem admiratione opus ostenditur. Si enim, inquit, mortuus non fuero, non colligo. Antequam enim moreretur, et mirabilia faceret, nec duodecim collegit, non permanserunt enim cum eo. Dicit enim, Quia si non ero mortuus, non colligam ; « Cum autem exaltatus fuero a terra, omnes traham ad » me[2]. » Hoc quod dixit, Quia moriturus sum, et exaltabor in crucem, aut in cœlos ; nihil enim prohibet utraque ita intelligi ; et traham omnes ad me. Dixit : modicum miremur. Sed magnum quid dixit, et modicum fecit ; minuamus admirationem. Si autem magnum dixit, magnum et fecit, et hoc per crucem, et post mortem ; pellamus dubitationem et suscipiamus fidem. Et iterum ad Judæos dicit eadem. « Cum, *inquit*, exaltaveritis Filium hominis, tunc scietis » quia ego sum, et a meipso non veni, sed a Deo, cum opera » testata fuerint his quæ dico[3]. » Hi sunt gustus prædicationum Domini : plena autem Evangelia sunt volentibus bene legere, pleni Actus Apostolorum sunt, et Epistolæ Pauli, et civitates mirabilibus. Plenæ sunt urbes fide. Laus uni non nato Deo, qui misit nobis unum Deum unigenitum suum Filium, per quem est ei gloria, honor, imperium, majestas in Spiritu sancto, et nunc et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. XII, 24. — [2] Ibid. 32. — [3] Idem, VIII, 28.

EUSEBII PAMPHILI

DE INCORPORALI ET INVISIBILI DEO.

Incorporalem esse Deum voce magna clamemus, et in corpore constituti, et a corporibus recedentes. Vivent enim animæ incorporaliter, et post mortem incorporalem, et necdum quæ a Deo creata sunt tantam habent dignitatem. Ipse autem qui pura et perspicua operatus est, incorporalia putas, operietur mente insipientium corpore? Consignemus igitur nostros cogitatus a divinis Scripturis. Quia enim inde moventur quæstiones, inde veniant et solutiones. Anima immortalis est, et passiones corporis non veniunt ad eam. Per eum enim per quem omnia facta sunt, et animæ creatæ sunt. Ipse hoc pronuntiavit Dominus, et dixit : « Nolite ti- » mere eos qui occidunt corpus, animam autem non pos- » sunt occidere[1]. » Non dixit quia nolunt occidere, sed quia non possunt, inquit, occidere. Naturæ enim animæ potentiam posuit, et non propositum decipientium. Si igitur nostræ animæ, quæ in corporibus et circa corpora habentur, corporum passiones non admittunt, etiam dum adsunt in corporibus; quanto magis is qui honoravit animas incorporali natura, ipse magis est incorporalis, et non ita incorporalis ut animæ! Cum enim de his moverimus sermonem, et inquisierimus quomodo incorporalis ab incorporalibus differt, tunc cum ipse Deus impertierit de his et loquemur. Interim autem motus est sermo, quia Deus incorporalis est, qui et animis tribuit et incorporalitatem. Paulus autem et in corpore constitutus, et in carne vivens, non volebat in

[1] Matth. x, 28.

carne esse. Dicit enim : « Audent quidam putantes nos in » carne vivere; » et quia vivebat in carne, addit : « In carne » enim constituti, non ea quæ carnis sunt operamur[1]. » Si igitur qui erat in carne alacritatem refundens, in spiritu recedit a corpore, quanto magis immaculata et inaccessibilis et pura illa natura, hoc erit et sermone quod est et natura? Habemus sane et in Evangeliis scriptum, ipso Salvatore dicente : « Deum nemo vidit unquam[2]. » Nullus, inquit, unquam vidit : omnes personas comprehendit, omnia non simul? non separatim? unquam potuisse videre Deum pronuntiavit, omnia spatia comprehendit, ut ne quis diceret, Prophetis apparuit, aut Legislatori, aut alii alicui. Quid ergo mentiuntur Scripturæ quæ dicunt : Veni, et vidi, et audivi? Vultibus non est visibilis Deus. Quemadmodum ergo agnoscibilis? Qui autem solus novit eum qui se genuit dicit : « Beati » mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt[3]. » Si enim dixisset, Beati qui acuti sunt oculis, diceremus quia oculis mancipavit visum. Si autem sicut oculus purus videt quæ oculis sunt naturalia, ita et anima munda videt quæ sunt supra animam; qui corde videtur, oculis non videtur. Quæ autem oculis videntur, subjacent motionibus mentis. Iterum enim Paulus dicit : « Quem nemo vidit hominum, nec vi- » dere potest[4]. » Quia enim potest fieri eum qui audit ea quæ non videt cogitare, quia non pervenit, aut prohibitus est, aut cœlum non permisit; amputans omnem suspicionem Apostolus, et invisibilitatem Deo custodiens quod conjunctum est incorporali, non solum dixit, Nemo vidit, sed nec videre, inquit, potest. Et sicut animam, non quia nolebant, sed quia non poterant occidere, propter naturam : ita et istic dictum est, Neque videre possunt, quia non cœlum obumbrat ne videatur, sed natura non comprehenditur. Ut autem scias quia cœlum non operit eos ne videant qui

[1] 2 Cor. x, 3. — [2] Joan. I, 18. — [3] Matth. v, 8. — [4] 2 Cor. x, 3.

videre non possunt, adverte quid ait ipse Deus : « Nonne cœ» lum et terram ego impleo[1] ? » Intuere quia adest quidem, non videtur autem quia et adest : ita iterum idem Apostolus de unigenito Filio ait : « Quia est imago invisibilis Dei[2]. » Si enim dixisset imaginem tantum, quæreremus secundum quid nunc accepit similitudinem. Si autem addat imaginem, secundum quid accepit similitudinem ? manifeste dicens : Invisibilis est Pater, invisibilis et Filius Patris. Sicut enim in Genesi scriptum est : « Faciamus hominem ad ima» ginem et similitudinem nostram[3], » et in sequentibus ostendit secundum quid similitudinem. Ait enim : « Et domi» netur supra terram omnibus piscibus maris, et volatilibus » cœli, et animalibus terræ. » Et accipitur secundum imaginem non aliud, nisi qui a rege Deo omnibus constituto rex stet, et homo eorum quæ supra terram sunt ; et dominante Deo omnibus his quæ fecit in cœlo et in terra, dominabitur et homo omnibus his quos susceperit. Sicut enim illic similitudo secundum imaginem salvatur in dominationem : ita et isthic quod dicitur, Qui est imago invisibilis Dei, confitetur quia sicut Deus Pater invisibilis est, ita et Filius Dei, qui est imago Patris, invisibilis habetur. Imago enim similitudinem exhibet. Et sicut de Patre dictum est, imo ab ipso Patre : « Cœlum et terram ego impleo ; » et cum adest omnibus, ab omnibus non videtur : ita et de Filio dictum est : « In mundo erat, et mundus eum non cognovit. » Et certe dicit Evangelium : « Erat lumen verum[4]. » Lumen autem videtur conducibile esse oculis ; naturale enim est lumini, ut per eum visibilia videantur. Sed si simpliciter lumen dixisset, oportebat nos de hoc lumine suspicari dictum, et de istis oculis. Sed quia non simpliciter dicit lumen, sed, *Erat*, inquit, *lumen verum*, pellit istud lumen quod verum non est : « Erat lumen verum veniens in hunc mundum. » Quia

[1] Jer. XXIII, 24. — [2] Coloss. I, 15. — [3] Gen. I, 26. — [4] Joan. I, 10.

enim dixit veniens, suspicio erat quia veniens nondum advenerat. Incidens autem sermonis infirmitatem, confirmavit mentis intellectum. Quia enim dixit, Erat lumen verum veniens in hunc mundum, ut non putares quia non aderat præsens antequam veniret, ut dicitur a quibusdam, addit corrigens sermonem, *In mundo erat.* Si igitur in mundo erat, quomodo venit in mundum? Cum autem audieris quia « Deus ambulat in Paradiso[1], » ita audi et de Filio quia venit. Ergo et cum audieris a Propheta : « Quis est qui venit » ex Edom[2]? » sicut venit qui adest in mundo, ita venit qui venit ex Edom. Vestes autem ei rubras imposuit prophetia, cum Daniel dixerit alba esse ejus vestimenta[3]. Mota autem nobis fuerat ista quæstio et de vestibus, et si non fuisset mota, rationis erat non eam transire. Condiscamus quid est quod dicitur vestes habere Deum, et has modo rubras, modo autem albas. Non enim jactatum dicam Deum in vestibus, et nunc quidem ista vestiri, nunc autem alia tanquam obsoletatis prioribus, aut non obsoletatis. Quidam sed volunt Deum in vestibus jactatum esse et clarum videri, tanquam non sufficiat ei natura sua, ut nunc quidem aliis vestibus indutus nobis sedeat secundum Danielem, nunc autem aliis indutus veniat secundum Isaïam. Sed hæ ipsæ quæstiones magis nobis interpretantur naturam. Quis enim, inquit, est qui venit ex Edom, interrogat Propheta, rubra vestimenta habens ex Bosor? Ista enim illius nationis metropolis erat. Respondit per hoc Spiritus Prophetæ qui interrogaverat; magis autem Spiritus Deus utraque facit, et interrogavit Propheta et respondet ut Deus : *Ego,* inquit, *qui loquor justitiam*[4]. Cur, inquit, rubræ sunt tuæ vestes ? Dicit : *Torcular calcavi solus*[5]. Si quantum ad dictum spectat, quia sermones nobis proferunt inimici incorporalis, Torcular, in-

[1] Gen. III, 8. — [2] Isai. LXIII, 1. — [3] Dan. VII, 9. — [4] Isai. LXIII, 1. — [5] Ibid. 3.

quit, calcavi; et sicut torcularia sparsa sunt vestimenta ejus, et rubedo quædam, non tamen fucatio erat vestimentorum naturalis, neque illa quæ ex artificio fieri consuevit. Sed quid erant? aspersiones utique, ut a torculari fieri solet nonnunquam vino jactatum. Quid ergo in Edom habet Deus torcular? Si quis autem calcaverit torcular, justitiam loquitur. Si autem considerantes invenerimus quæ erat ista gens, et qua damnatione debitrix habebatur, et quam vindictam de eadem fecit Deus, et quo interficiuntur judicio; agnoscemus quia torcular non est torcular, sed vindicta per sanguinem. Esaü autem ob ventris edacitatem, distrahens propter ventrem naturæ primitias, quia enim hoc ipsum incontinentia erat, ex vitio habuit et nuncupationem. Et est Edom quod interpretatur avaritia. Ex isto igitur Esaü facta est gens Idumæorum. Ista gens, quia et Esaü erat frater Jacob, utique debuit æqualem fraternam quamdam affectionem habere ad populum : qui cum non haberet, increpatur ei a Deo quia non servavit pactum fraternitatis ad populum. Quid ergo prævaricavit conscientia ad fratrem, et erexit judicem adversus se? Propheta autem prævidens futurum de eisdem judicium et vindictam, ut Israëlitæ de Idumæis vindicarentur antequam fieret vindicta, videt judicium, et dicit : « Quis est qui venit ex Edom? » Et certe quantum ad rem necdum hoc scierat. Si autem necdum facto judicio tanquam jam fecisset, et venire videtur cum dicitur apparere, necdum apparet, non quia apparet antequam veniat ex Edom, viso enim non videtur qui prævenit visionem, neque vestimenta habet qualia apparuit habens; sed quia vult veluti aspergi sua vestimenta a sanguine eorum qui digni sunt morte. Non enim ad cœlum transmittitur interficientium sanguis. Sed ex hoc maxime agnoscitur quia incorporalis est Deus, et vestimentis non indiget. Quia quæ apparet indutus, significatio est magis efficientiæ quam ex-

hibitio naturæ. Cum judicat habet sedem; et qui judicat mundum, albas ejus esse vestes Scriptura dicit. Cum autem iterum vindicta completur, tanquam regrediens rubra ejus dicit quæ non erant rubra, et vestimenta quæ non erant vestimenta, ut ante audiret populus quia vindictam facit. Ego autem audiebam Prophetam dicentem non de Deo solo, sed et de sacerdote nescio quo, qui indutus erat vestimentis sicut induimur et nos. Quæ autem vidit Propheta vestimenta, et quæ immutant visionem, non sunt ista vestimenta quibus nos induimur. Si autem qui induitur istis vestimentis homo conspicitur indutus et mutans, et patiebatur quidem ille nihil eorum quæ vidit Propheta, facta autem sunt quæ videt Propheta : si de homine ista, quanto magis de Deo? Dicitur in Zacharia propheta : « Ostendit » mihi Deus Jesum summum sacerdotem. » Jesum dicens sacerdotem, non illum ostendit Dominum Jesum qui est Pontifex pontificum et Sacerdos sacerdotum. « Et iste, *inquit*, » vestitus erat vestimentis sordidis, et stabat diabolus a dex» tris ejus cupiens ei nocere. » Erant enim ejus sordida vestimenta. Sicut enim mures ad nidores concurrunt, ita diabolus et illius exercitus illo delectantur nidore. Et hoc quod erat lectum, lectum est : « Cum spiritus nequam exierit ab » homine, circuit desertos locos, et quærit requiem. » Sicut et canes coquinarum requirunt ubi sanguis, ubi stercus, ubi illotæ interaneæ, et illic concurrunt; et sicut qui foris currunt adinveniunt quod turpe est verbum, qui actus fœdi : ita cum spiritus immundus exierit ab homine, circuit et arida loca quærens requiem, quia non delectatur pace, neque vult habitacula, sed deserta quærit, aut terram aut animam quærit. Nec ubi aurum malis artibus commachinatum est in simulacris quærit, nec ubi argentum male conflatum est ut adoraretur. Sicubi lignum ars aut idolum sculpsit, sicubi lapidem erexerunt manus ad colendum, tales

quærit requies spiritus immundus. Sicubi sanguis, sicubi nidor, sicubi seducantur, sicubi theatra, sicubi nudi currentes, sicubi turpia loquentes et turpiora admittentes: et sicut apum progenies acerrimi quidam capere volunt strepitibus quibusdam et sonis, et thymiamate volantes detinent : ita et immundi spiritus circa immunda vagantur, et quærunt non ubi purus est flos, sed ubi contaminatio, ubi fabulæ mendaces, ubi imago false figurata, ubi sacrificia malitiosa, ubi mulieres impudicæ, ubi viri incisi, ubi dei adulteri, ubi deæ fornicantes, ubi sanguis et pollutio, ubi tibiæ, ubi saltatio, ubi nuditas, ubi omnis turpitudo. In istiusmodi immundi spiritus requiescunt. Si autem viderit aliquem in habitu pudico et honesto indutum, esse Dominum Jesum, statim dicit. Quæ dicit permitte, quid nobis et tibi non est aptum lumen his qui læsi sunt oculis; ad tenebras enim convertentur, tenebras insequentur, in tenebris requiescunt. Cum autem spiritus immundus quæsierit in desertis et aridis locis requiem et non invenerit, exierat enim ab homine, « Redeam, *inquit,* ad domum meam unde exivi. » Domum suam vocat eum, qui voluerit domus esse ejus. Si autem redierit, inquit, spiritus immundus, et invenerit hominem illum paratum sibi, quia enim vidit spatium in malo, non vult jam solus habitare, sed vadit et assumit alios septem spiritus se nequiores, et octuplo quantum ad numerum quia pejores assumit : non enim quantum numerus multiplicat, tantum solum et malitia addit. Ita cum cœperit quis moveri ad cursum malum, aut ad turpem loquelam suam paraverit linguam, invenit spiritus immundus operamentum jam incipiente mala ab homine, et suggerit pejora, et efficit ista quæ et videtis. Non enim est quod videtis tantum, sed unusquisque eorum septem et plures sunt. Nam et plures habent dæmones. Si quis autem recedentibus dæmonibus, sicut ebrietate recedente, voluerit interrogare, si tamen et

agnoverit aliquem eorum qui nunc gloriantur in turpitudinibus suis, ipse sit qui faciebat hæc, aut fecit aut locutus est; vere efficitur illud Apostolicum dictum : « Quod fruc» tum habebatis tunc in quibus nunc confundimini[1]. » Sicut enim nunc videmus immundos spiritus accipientes occasionem persequi ea quæ similia sunt sibi, ita et tunc quia sordida erant vestimenta sacerdotis ejus qui fuerat visus, stabat diabolus ad dexteram ejus, cupiens ei nocere propter sordida vestimenta. Stabat autem et Angelus Dei : « Et » dicit, *inquit,* Angelus Dei diabolo : Increpet tibi Dominus. » Hoc, *inquit,* relictum est ab igne, et vis eum comburere[2] ? » Et post hæc præcepit Angelus auferri a sacerdote sordida vestimenta, et vestiri eum munda. Et sacerdos quidem qui videbatur non aderat, sed constituto eo alibi, videbatur a Propheta, et sordida vestitus erat vestimenta, illo forte candida vestito. Et iterum immutatur ejus vestis qui videbatur a Propheta, et ille non mutavit qui non erat in visione. Et provenit quantum ad visionem, duplicem esse sacerdotem istum : erat enim et homo ad semetipsum ille, et utique nec sordida habebat vestimenta; neque immutavit cum isto qui in visione erat visus. Agente autem eo et salvo, et agente in his locis in quibus erat Propheta, vidit eum; non ipsum videt, et eum præsentem vestitum sordida vestimenta quæ non habebat ille, nec enim erant vestimenta sed peccata. Vestimenta quidem utpote hominis erant candida; ubi autem vestimenta non erant, vestimenta peccata erant sordida. Quia enim peccata erant, sordida vestimenta dicit. Quia autem peccatis delectatur diabolus, aderat per visionem : ubi enim erat nitor, illic sordida animalia : ubi peccatum. illic adinventor ab initio peccati. Objurgat igitur Angelus præsentem diabolum, et præcipit mutare vestimenta sacerdotis, et auferri ab eo sordida, vestiri autem

[1] Rom. VI, 21. — [2] Zach. III, 2.

eum munda; et interpretatur efficientiam, et dicit: « Ecce, » *inquit,* abstuli a te peccata tua. » Si istæ circa hominem vestes non erant vestes, sed modo quidem peccatorum insignia, modo autem puritatis, quare ea quæ circa hominem sunt descripta vestimenta non suscipimus, quæ circa hominem fuerant quæ et vestitur? Quæ autem circa Deum dicuntur vestimenta, contendimus esse vestimenta. Multis denudo vobis omnem partem istam Scripturæ. Nec Jesus sacerdos ille aderat illic, non enim aderat; sed nec diabolus aderat, neque Angelus aderat; sed totum erat visio. Et sacerdos quidem propter peccatum apparet sordidis vestimentis indutus, qui non et aderat, nec erat vestitus sordida vestimenta. Et diabolus veluti videtur, quia istis talibus gaudet, et ad istos tales exurgit. Et Angelus veluti visus est, ut ostenderetur quia per Angelos justis efficit adjutorium, magis autem pro peccatoribus pœnitentibus gaudium. Nec enim illud putemus sicut et putamus quia et in Job libro diabolus aderat ante conspectum Dei, et locutio erat Dei cum diabolo ex æqualitate! Et dixit Dominus; Et dixit diabolus; Et interrogavit Dominus diabolum, *Unde venisti?* Sed hæc ad auditionem vestram velut composita inducuntur. Totum autem illud est quomodo Job quidem erat vir irreprehensibilis, diabolus autem invidus. Ad istiusmodi et Deus defensor horum permisit diabolum ante conspectum suum. Sed hoc ita est. Vidit diabolus immaculatum, properavit imponere maculam. Quæcumque enim motiones erant diaboli adversum Job, hæc per sermones contexuntur in Scriptura, utpote si dicebat diabolus ad semetipsum: Si non timerem Deum, tangerem omnia quæ habet Job. Abstulit ab eo Deus timorem, et non prohibuit. Contexitur jam compositio libri: Dixit diabolus, et dixit Deus. Hoc est, voluit diabolus, et non prohibuit Deus. Cur autem non prohibuit? quia non invidebat Deus athletæ co-

ronam. Ergo cum Scriptura aliquid propter nos loquitur, non nostram infirmitatem Deo forti applicemus. Si enim in corpore et in carne totus conventus dæmonum legio in Evangelio dictus est, et non sustinuit Filii Dei præsentiam[1]. Nam et diabolus ipse in corpore agente Filio Dei non fuit ausus accedere quamdiu esuriret, et immitteret ei laqueum per ejusmodi, quemadmodum possumus pati et dicere quia diabolus Deo ex æqualitate locutus est, cui et Angelus Dei dicit : *Increpet tibi Deus?* Et quid dico Angelus Dei vermes, qui nec vermis accepimus virtutem in nomine crucis, ut imperemus dæmonibus et diabolo, eosque fugamus. Si igitur nos increpamus, Deus ad collocutionem venit. Et certe si acceperunt potestatem homines Domini calcare viperas et scorpiones[2], et omnem virtutem adversarii si homines acceperunt potestatem calcare, Deus ex æqualitate loquitur ei qui calcatur, venit diabolo fortior, vincens eum ligavit. Leo autem ligatus, nec ut canis potest. Forte autem dices, quia si veniens vicit, vincens ligavit, et ligans dedit calcari, non quidem sit talis : tunc autem cum esset, sub Job erat, adhuc ille poterat fiduciam habere. Nondum enim erat ligatus hominibus. Putas sit lupus potens adversum oves? si autem potens et adversum leonem, ut ita quodammodo comparationibus utamur propter fortiorem. Non enim ampliorem accepit virtutem a corpore Dominus Jesus, ut superaret diabolum. Sed cur ipsa et colluctatio facta est? Quia enim produxit agnum lupo, lupus autem videns agnum qui videbatur ex consuetudine accurrere, et extra consuetudinem detentus est. Si enim maxime et inimicus vocatur et adversarius diabolus, quia enim et inimici crucis dicuntur homines, non quia inimicus nominatur, jam æqualis est. Non enim æqualiter habens virtutem dicitur adversarius, sed ideo quia non placet Deo ejus malignitas.

[1] Marc. v, 9. Luc. viii, 30. — [2] Id. x, 19.

Non sicut tenebræ videntur lumini ex æquali virtute adversariæ, quia tanta detinent spatia tenebræ quanta et lumen. Si autem et hoc tale non ita adversatur diabolus Deo non ex æqualitate, sed quia Deus maligno non delectatur, et ex eo quod vertitur et non vult, et odit, si tamen ita debet dici adversa voluntas est, non tamen virtus. Si enim neque ab hominibus est melior diabolus neque fortior, quæ horum probatio, quid vult diabolus perditionem hominum? si correxit homo, fortior illo est. Si autem quotidie spoliatur et denudatur, et evacuatur qui hominibus nocere contendit, et non potest, sed nomine Dei et nuncupatione sola, et ab hominibus vincitur. Qui ergo non suffert nuncupationem Dei, quomodo virtutem potest sufferre Dei? Et certe nec ipsum Adam provocans vicit, sed suadens et decipiens et fallens. Hoc autem infirmitatis est opus. Quantum ad diabolum spectat, nulla sit, inquit, virgo, vincitur autem a tantis. Quantum enim ad diabolum pertinet, ne quidem unus salvatur. At nuptiæ honestæ sunt, et diabolus a tantis est obrutus. Quantum enim ad diabolum pertinet, nullus sursum aspiciat unquam, disrumpitur autem tantos videns. Quantum ad diabolum, ne quidem vestigium pudicitiæ vult esse in terra. Feriunt autem qui percutiunt cor errantis. Quantum ad diabolum, nec nomen justitiæ esse cupit. Qui autem dicunt, Peccavi, illius aures castigant. Non vult pœnitentiam esse, et efficitur pœnitentia. Movet persecutionem, et fiunt martyres. Quanta ejus capita incisa sunt! hoc est ipsius diaboli. Quæ enim inciduntur pro Christo capita, ipsius capita incidunt, quoties in flamma est missus ante gehennam in gehenna. Quicumque enim facti sunt holocaustum Christo, isti diabolum consumpserunt igne, et alii eum præfocaverunt in mari, alii autem dederunt ejus corpus meatibus fluviorum. Quanti eum torserunt! etiam ii qui visi sunt superati. Si enim et vicit quorumdam

corpora, sed non prudentiam et intellectum. Malignus athleta est, et inconsideratus certator. Cum enim videtur ferire alium, semetipsum percutit. Quod habes negotium ad Job, o diabole? utquid victus es? peccasti, tace; victus es, quiesce. Sed secundo, inquit, oportet me vinci : non quia hæc voluit, sed quia hæc passus est. Quid intremiscis? quid times? Job non est Angelus, sed homo mortalis cui colluctabatur diabolus invisibiliter, victus autem est visibiliter. Et ne lateat te illius paviditas. Certabatur enim non apparens, et non sicut in stadiis et colluctationibus nudi ad nudos certantur; sed latens mittebat, et non apparens feriebat, et percutiens victus est. Job enim ignoravit quis esset qui luctaretur ad eum, sed et putavit et dixit, Quia a Deo habeo plagas. Alius erat qui pugnabat, et alius qui putabatur emendare. Hoc furtum magis quam lucta est. Adam seducit, ab Job occultatur. Job enim admiratio est ista, quia putans a Deo sibi venire plagas, non conscius autem sibi peccati, convertit ad diabolum sagittas quæ ipsius erant. Job enim putans Deum esse qui feriret, et suspicatus est esse a Deo plagas, et putans Deum esse qui feriret, gratias egit in plagis. Magnitudo autem malignitatis diaboli conversa est ad magnitudinem coronarum Job. Si enim sciret quia adversum invidum et inimicum haberet, forte contentiosius egisset et alacrius, aut et contemptibilius. Nunc autem malus canis et malitiosus lupus semetipsum occultat, et pastorem producit, et Job admirationem adauxit. Per ea enim quæ putavit maxime se instigare, per hæc instigatus et victus, et supra omnem spem superatus ostendit victorem. Quis enim et sufferre potuisset sciens suam vitam immaculatam, sciens conscientiam ad Dominum religiosam, ad conservos justitiam; videns quia oves quas orphanis occidebat et tauros quorum carnes viduæ et orphani manducabant, et omnis possessio, cujus erat dis-

pensator ad eos qui habebant nihil, in uno momento tanquam a Deo ablata, nonne doluisset? Sed Job gratias egit, puta quia omnia subito abrepta sunt ejus, siquidem et filii. Si autem et filii, utquid tali morte, cur in ipsis mensis simul omnes decem oppressi sunt? Et hoc iterum putabatur Deus fecisse. Puta quia omnis facultas et possessio et filii. Quid autem quia et caro ipsius Job expugnatur? et hæc omnia putata sunt esse a Deo, et per hæc universa Job gratias egit Deo. Non igitur te terreat diabolus, non sit domus vacua, neque illi parata, et non habet locum. Sit tibi comparatio Job ad victoriam, condisce per eum inimici infirmitatem. Sed dicis, Non enim abducit et adducit loca, gentes populos quantos et videmus? adducit, sed et apportat eos qui volunt, fugit autem eos qui increpant. Cum enim dedit ei locum Judas, ingressus est in ejus corde, furatus est, prodiit. Petrus ei factus est petra, magis enim plagavit quam plagatus est. Sed dicis, Non negavit Petrus? Quare? quando necdum erat crucis trophæum erectum. Nolite esse timidi, nolite indigni a proavis. Aurum quidem Dei est; dicamus Affer ignem, affer gladium, addentes : Omnia possum propter eum qui misertus est mihi. Gladius Jesum non incidit, neque ignis eum consumit, sed incisus aliquando est per clavum. Quid est quod incisum est? Noli ignorare quia nec in animam ingreditur clavus. Passiones enim corporales corporibus sunt conducibiles. Corpus a corpore patitur, incorporale non ardet, non inciditur. Talis natura non dividitur, non præfocatur. Si enim translatum fuerit corpus, non est ubi capiat. Sed nolo dicere quod sequitur, quia nec rationis est blasphemiam loqui in Ecclesia. Ea igitur quæ de diabolo non importune occurrerunt, ita quodammodo facta sunt manifesta. Nos autem confidamus in Christo, et confidentes increpemus ei, et increpantes memores simus ejus qui ait : « Exite ab eis et se-

» paramini, et immundum ne tetigeritis[1]. » Quid enim eis et difficiles sumus? quid eis et irascimur? quæ enim pœna alia eis debetur? si quis eis irasceretur, utique diceret : Spoliare, denudare, deturpare, infrigidare. Statue eum nudum in frigore, facito eum currere ante currum. Laboret ambulans, deturpetur denudatus, dicat turpia. Quid quæris punire eum qui semetipsum damnat? sufficit eis quia non sunt nobiscum, sufficit nobis quia non sumus cum ipsis. Habeant quod habent, quia et volunt : nos habemus quem habemus, quia et volumus. Sed fugiat et mens insanos, et sileat lingua, inde et convertatur ad purum et incorporalem Deum, ad sanctum et istius chori Dominum. Non eum operiamus corpore, quia nec patitur; non eum vestiamus vestimento, quia nec indiget; non ei offeramus sacrificia, quia nec petit. Æstima quid dicis. Si dederis ei corpus, separasti ei locum, composuisti simplicem naturam, placabilem fecisti implacabilem; in loco eum qui et a locis liber est constituisti. Si dixeris corpus, dabis oculos, dabis aures circa Deum, et linguam, et sensum, et ossa, et viscera, et nervos, et venas : et ignoras de quo loqueris. Fuge dementiam, ut comprehendas non quantus est natura, sed quantum tibi possibile est nosse. Si corpus est Deus, quis est qui supportat, qui subbajulat cœlum? antequam ergo cœlum fieret, ubi erat Deus? Terra ei scabellum est, antequam crearetur terra ubi erant pedes? Sed quando dictum est hoc : « Cœlum mihi sedes, terra autem scabellum » pedum meorum[2]? » cum Israël magnum quid saperet de templo adinveniens sibi templum. Corripiens enim humiles et admonens quia Deus templo non circumdatur, tunc dicit : « Cœlum mihi sedes, terra autem scabellum pedum » meorum. » Hoc ut parvis loquitur. Et quid addit interpretans ea quæ dixit : « Quam domum ædificabitis mihi, et

[1] Isai. LII, 11. — [2] Idem, LXVI, 1.

» quis locus requietionis meæ? » Ad hoc illud utile; ad naturam autem ne quidem illud. Audi enim illius magnificæ vocis admirationem : « In mundo erat, et venit ad mun- » dum[1]. » Antequam enim putaretur adesse, aderat. Non est ubi non est, et quia ubique est, non circumdatur a loco. Si enim in loco erat, in alio loco non erat. Quia enim omnia implet loca, et omnibus separatus est, adest, non adest, non potes intelligere tu; hoc enim est quod quæritur, nihil Samaritanum, nihil Judaïcum, nihil tale ut dicas : « Patres » nostri in monte hoc adoraverunt[2]. » Hoc enim Samaritanorum est, vos autem dicitis in Hierosolyma esse locum. Non mihi montes, non templa, non civitatem, non regionem, non locum, nec terram, nec mare, nec aërem. Cum cœlo nihil Judaïcum. Bona Lex est. Lac parvis utile est. Factus es perfectus, formatus es, excusa illud, quod aliquando tibi videbatur civitas Dei, templum Dei, templum Domini. Dicit enim Jeremias : « Templum Domini si serva- » veritis, *inquit*, mandata Domini[3]. » Decora vox primo testi. Salomon autem ædificavit sibi domum, ait, sed « Altissi- » mus, *inquit*, non habitat in manufactis hominum[4]. » Altissimus et non in civitate, Altissimus et non in templo. Et dicit per alium prophetam : « Sanctus sum, et non ingre- » diar civitatem[5]. » Si autem in civitatem non ingreditur, in templo quomodo habitat? ut dicatur cœlum sedes, ut non domus putetur et terra scabellum? Qui autem novit eum qui se genuit, ipse scit et revelat quia nullus eum vidit. Et certe venit Pater, et habitat et inambulat. Et certe illa consequentia non concedit ambulationem. Si enim totum cœlum sedes ejus, et tota terra ut scabellum tactum pedum mensuratum, quomodo potest transire scabellum pedum suorum? quomodo ambulavit? Sed habitat Deus in

[1] Joan. I. — [2] Id. IV, 20. — [3] Jer. VII, 4. — [4] Act. VII, 48, et XVII, 24. — [5] Ose. XI, 9.

animis, habitat et inambulat. Latior enim sinus est animæ quam cœlum : sanctus in sanctis requiescit. *Induimini,* inquit, *Christum Jesum*[1], dicit Apostolus. Quanti enim induuntur, quanti et vocati sunt, et vocantur, et vocabuntur, et unusquisque totum, et omnes totum, et neque dividitur eis, neque inciditur, neque scinditur, et omnibus adest, et ab omnibus separatus est, et omnes replet, quia non est corpus Deus, neque corpus circa ipsum, neque vestimenta. Siquidem et cum in corpore Filius, nec tunc cadit in corpus, sed magis incorporalis natura efficientias fecit corpus sufferre, corpus enim supra fluctus non ambulat, ambulavit ergo Jesus per corpus. Non ergo deitas deducta est a corpore, sed corpus elevatum est a deitate; spuit[2], corpus enim ejus natus natura est. Qui autem in corpore adesse dignatus est, simul cum sputo emisit virtutem non incidens a se, et lutum fiebat ex sputo, ex sputo autem et luto oculos qui naturæ deerant figuravit ut ab initio intueris totum quidem corpus alleviatum, et vestimenta corporis efficientia, et ad vestimenta ut videas quia divina virtus per omnes penetrat qui tetigerunt. Sicut enim ignis calefacit proxima sibi, et per calefacta his qui adjunguntur calefactis calorem impertit : ita sanctificavit Dominus corpus quod accepit, et per corpus sputum, et per corpus vestimenta. Illa enim mulier quæ summitatem fimbriæ tetigit vestimentorum, fontem insanabilem sanguinis habens[3], hauriit per fimbriam sanitatis medelam, a deitate scilicet quæ aderat in corpore, sed vestimenta ejus præsentiam. Neque igitur ipse corpus necessarium habuit, sed quibus erat utile contingere et tunicam et corpus, et per spiritum videre incorporalem Deum, qui ministerio incorporalium dives erat. Ministerium autem audiens non necessitatem audire debes, sed beneficium eorum qui ministrant, non usum tamen ejus qui ministratur ; multum

[1] Rom. XVII, 14. — [2] Joan. IX, 6. — [3] Matth. IX, 20.

enim non prosumus Deo, quia videmur pro Deo contendere. Nobis enim lucrum est ut religiosi simus; nobis lucrum est si non perversas habuerimus de Deo mentes, ne et decidamus a Deo. Decidit autem omnis a Deo, qui aliena sapit. De quo si didiceris ita ut est, habes eum. Si autem alium pro alio putaveris, eum qui est non habebis; quia non agnovisti quem putas : non habes eum, quia non est talis qualem putas. Non de quolibet certamen est. Irridemus eos, et quia ista parva delinquunt qui ignorant artes, ubi ars est necessaria, eos qui non assequuntur ea quæ audiunt frequenter dicentem vides, dicimus, Non audis, non intelligis. Igitur de his quæ hominum sunt, culpa est si non habuerimus de invisibili Deo. Cum autem quis aut despexerit, aut audire noluerit, aut intelligere minus potuerit, quid putas erit? Noli errare a Deo. Laus Dei agnitio est Dei. Secundum quod est nobis possibile recedere a consuetudine. Non hominem quæris ut aperias ei oculos et aures, et os et linguam, et manus, et pectus, et pedes, et ponas sub eo sedem, et subjicias scabellum, et supponas terram. Non est ex nobis Dominus, sed nos per ipsum sumus. Vis autem ediscere quia non est ex nobis? De Filio ejus cum dictum esset, « Emmanuel, nobiscum Deus, » non simpliciter nobiscum est dictum : sed cum in corpore venit Dominus, tunc nobiscum; cum Virgo in utero concepit, tunc nobiscum Deus. Ante istam autem dispensationem, etiam dum esset præsens, non erat nobiscum. Si enim corpus feceris Deum, et corpus plenitudinem cœli et terræ, aut quod superat, supra hæc in ipso pones cœlum et terræ lapides, et omnia quæ sunt. Si enim corpus coëxtensum est corporibus, primo quidem abstrahe omnia, ut locum habeat Deus. Si enim corpus est magnum, egestatem dico pauperum, non implet omnia, nullus alius habeat locum; omnia enim prævenit Deus. Et sicut repletum vas fuerit, eo qui præces-

serat replente, non est locus ut supermittatur aliquid aliud : ita si Deus corpus est, præcessit autem omnia, non habeat cœlum locum ut faciat, neque terra locum; præcessit enim Deus. Si autem est cœlum et terra, et mare, et aër, nullus locus est vacuus, neque ex natura eorum corporum quæ insunt; neque est præsentia Dei, quia per corpora penetrans adest, non corpus ipse est. Siquidem nec si anima nostra esset corpus, poterat esse in corpore : sicut enim suscipiens aquam non manet quantum erat, sed additamentum auget magnitudinem mensuræ; ita corpus corpori appositum : et sicut ædificiis, et navibus, et choris, et populis, et civitatibus, et agris, et arboribus, aliud alio additum auget magnitudinem, si autem angustus fuerit locus, quæ præcesserunt, quæ autem subintroducuntur non habebunt locum. Si igitur corpora adduntur corpori constituto Deo, Angelisque Deus, putas non erat perfectus antequam adderetur cœlum; si autem ipse erat perfectus et prævenerat omnia, non habebant locum mare, terra et cœlum. Si autem quidem ista sunt, Deus autem ea fecit, et gubernat, et regit; invisibilis est rector invisibilibus aquis superstans : si enim ipse non regeret, nunquam passa fuisset terra mare, et neque mare terram adversa, et jurgans natura et erigens se, et extollens, et minans, indens et contendens; invisibili autem manu sua statutis sibi terminis lis non transgreditur. Ergo per visibilia invisibilis conspicitur, sicut scriptum est : « Invisibilia autem ejus per creaturam mundi ex operibus intellecta conspiciuntur [1]. » Quid est, intellecta conspiciuntur? Deus, inquit, intellectu visibilis. Visibilis autem dicitur, ita sicut scriptum est, et vidi visionem Dei intellectu, utpote suggerente oculis quæ vidit esse inscripta in operibus ejus. Quæ enim inscripta sunt, nobis necessaria videntur. Cur autem illa audis quæ visibiliter

[1] Rom. I, 20.

dicta sunt, natura autem vere et principaliter non admittis? Vidi Dominum audisti, invisibilia ejus non audisti. Audisti quia ille nescio qui vidit Dominum. Deum nemo vidit unquam, non audisti? Audisti quia ille novit, neque vidit, neque videre poterit. Non audisti, sed audivit eum Filius suus magis, quantum ipse enim novit Patrem suum qui ait: « Ne» que vocem ejus unquam audistis, neque faciem ejus vi» distis[1]. » Si autem volueris ex tuis agnoscere Deum, et te et Deum ignorabis; sed sequere humilis, considera ubi sis. O quantum inter te et cœlum interest! amplius autem derelinquitur cœlum a Deo. Non spatiis dico; nihil enim desertum Deo est; in nullo autem retinetur Deus. Forte isti sermones aliam linguam necessariam habent, quia et de alia natura dicuntur. Cum igitur sermones moti fuerint in Ecclesia; siquidem de humanis negotiis unusquisque acutus et acer auditor, et ex quibus patitur, et ex quibus admittit respiciens ad dicentem, et comparans quæ dicantur his quæ agit, et quæ proferuntur his quæ patitur, statim prudens et scrupulosus auditor et agnovit et consensit: cum autem transmutaverimus sermonem, et ab humanis recesserimus, et ad Deum mentem ostenderimus nostram, istic multi quidem suscitantur, quidam gravantur a somno, alii delirare putant dicentem. Ut autem condiscas hoc vitium ita esse, audeat quis honestus ingressus theatrum dicere vera his qui mendose confingunt, et assumere constantiam decoram (si autem et in illo decorum est ingredi loco), et incipiat dicere: Insanitis, o homines, non videtis oculis, surdæ vobis sunt aures. Iste enim qui saltat ludit vestram cultionem, deturpat ea quæ colitis; mentitur iste, et vos consentitis. Putas patientur ut impleat accusationem et convictionem, et non ipsius theatri accipientes lapides mittet aut volvet unusquisque ut ei fuerit virtus, tanquam ad decepto-

[1] Joan. v, 37.

rem et interficientem qui beneficium tribuebat. Si autem et personam comœdi, aut illorum qui illi plurimum clamore consuerunt inducens, quis fuerit ingressus in habitu quidem lupi, incipiat autem dicere : Est Deus, et iste non in templis, non in simulacris, non in picturis, non in manibus artificum. Si dixerit vera apud eos qui meditantur menda, putas concedent implere veritatis sermones, non ante sermones obruent eum lapidibus dicentem? Nam et si talia non fiunt in Ecclesiis, tamen cum supra sensibilitatem moverimus sermonem, multi nos derelinquunt, et corpore quidem erubescunt recedere, mente autem olim dereliquerunt, reputantes apud se, magis autem fraudantes et non admittentes. Est ergo aliquid quod non potest manus tenere, est aliquid quod non potest oculus videre, est aliquid quod non est sensibilitas. Non habes animam, vidisti ista, putas ergo quia animam non vidisti tuam? non est quod habes? Et certe de anima dubius esse non debes si est, sed de corpore. Corpori enim ut sit præsentia facit animæ, num debes dubitare? Si videt oculus tuus, si gustat lingua et loquitur, et si tangit manus, cur dubitas, et non magis edoceris? Ostendo tibi corpus mortui : oculus ei non deest, et non videt; linguam habet, et sermonem non habet; aures habet, et auditum non habet; non gustus ei, non tactus. Intueris quia abcessit artifex invisibilis, et cessarunt visibilia operamenta? Nunc corpus, nunc carnes vivent : sed anima, et cogitatus, et sensus. Si autem et contenditis esse corpora et carnes Deo, non apponamus ei qui non suscipit, sed sit separatus ut est, sit purus, sit liber corporali affectu ab omni loco, ab omni regione, ab omni natura. Solus enim est in semetipso, solus apud semetipsum, solus reparatus ad se; et cum sit reparatus ad se, complet omnia, sed non corporaliter. Tuba opus est, vox maxima necessaria est, magis autem nec vox nec tuba, sed mens pura, ut videatur

qui non videtur, ut audiatur qui non auditur, ut intelligatur qui non interpretatur, et dicatur qui non dicitur, ut agnoscatur qui non comprehenditur, et sit isti tali Deo per eum qui talem nobis annuntiat et interpretatur Deum, gloria, honor, imperium, majestas in Spiritu sancto, et nunc et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EUSEBII PAMPHILI

DE INCORPORALI.

LIBER PRIMUS.

Multitudo quæstionum in his quæ lecta sunt hæc continetur; et forte cum jejunio poteritis audire et quæ quæruntur, et quæ eorum interpretatio habeatur. Quæritur enim in his quæ lecta sunt si Deus in montem descendit Syna, et si circumdatur Deus in monte aut loco; quæritur etiam quæ erat tuba quæ ore proferebatur Dei; quæritur cur appropinquantes ad montes, in quo erat Deus, interficiebantur, et prohibebatur populus appropinquare : quid sibi vult columna nubis ubi est Deus, quid etiam mons fumans; addatur autem his, cur si quis vidisset Deum moriebatur, et non magis vivebat. Has omnes quæstiones ambit locus qui lectus est. Orantes igitur ipsum Deum, qui solus potest sua ediscere, ita ad solutiones istiusmodi veniemus. Deum quidem circumdat nihil, circumdat autem Deus omnia non corporaliter. Virtute enim incorporali adest omnibus, ubique præsens est, et ab omnibus separatus est : non enim ut permisceatur adest, aut ut copuletur, aut ut jungatur; sed liber et separatus adest. Adest autem non divisus, aut scissus, aut segregatus. Neque pars quidem ejus adest, pars autem abest; neque hic quidem pars alia, alia autem pars alibi. Ista enim omnia corporum sunt vitia et passiones, et divisiones et partitiones. Illa autem natura libera est a corporibus, non solum ut non sit corpus, sed et ut non habeat corpus. Nec enim ut anima incorporalis quidem est, circa

corpus autem quodammodo est, aut corpus circa ipsam, aut quomodo quis voluerit dicere : neque hoc accipiendum de Deo est, quia neque corpus est Deus, neque corpus circa ipsum, neque in corpore est ipse. Et quis corporibus innutritus forte suspicabitur nihil esse eum qui non tenetur, nec videtur, nec arctatur, nec tangitur; sed conversus edoceatur naturam negotii, quia quæ videntur, et tactibus incurrunt, et cogitatibus amplectuntur, vere nunquam sunt. Si autem et transfertur et transmutatur, et scinditur et dividitur, et putrescit, et nunquam ipsum accipit statum. Quibus enim proprietas est, minoratio ista videtur : quid enim proprium est corporibus, nisi veterascant? si enim esset corporum natura perfecta, non indigeret istam additamenti mensura. Ita enim corpora infirma sunt, et illa maxime quæ videntur fortissima esse, quia adjuvare se non possunt. Si enim pulsus fuerit lapis, et semel acceperit initium ut cadat, et cœperit comminui, non potest revocare suam ruinam; et si scissus fuerit, non conjungitur, et divisus distat a semetipso : ita et de montibus efficiuntur incisiones et ruinæ; et quanto majora sunt quæ scinduntur, tanto magnæ sunt et ruinæ. Et non in crassitudine virtus est. Si autem oportet et ipsorum corporum scrutari naturas, secundum propositam quæstionem consequenter videbimus, quia et ipsorum corporum subtilitas quæ putantur esse infirma, fortiora quodammodo apparent; ut puta quod dico, terra aquis est crassior, aquæ a terra minus crassæ habentur. Sed cum terra incurrerit aquam, dissolvitur; cum autem aqua apprehenderit terram, penetrat eam. Et quod patitur terra ab aqua, hoc patitur aqua ab aëre. Quid enim improvectiones istæ ostendunt? hoc unum maxime, quia ad incorporalitatem, et ad levius corpus, majorem imponunt virtutem subtilioribus. Aër enim per aquas penetrat, penetrat autem ita ut vim faciat aquas emitti per se ad superiores partes, quod

ejus non est naturæ. Et si quis voluerit hoc nosse, quia non detinentur superna ab his quæ deorsum sunt, si quis repleverit aëre utrem, eumque demerserit in aquam, et certe cum sit pellium natura crassior et gravior magis quam aër habetur, aër quærens suum officium et regionem, neque cum gravissimis utribus detinetur; sed scindens aquas sursum educitur cum gravibus per aëra. Istam igitur passionem quam aquæ ab aëre patiuntur, et aër ab igne sustinet. Et testes sermonis flammæ sunt et lucernæ : ideo enim attunditur flammæ summitas, quia incidit istum ambientem aërem. Et videtur quidem ignis a videntibus, agnoscitur autem ab his qui possunt ejus naturam videre, quia ad suam festinat regionem, ad superiora scilicet. Iste igitur subtilissimus ignis cum sit unus e corporibus, proximus est incorporalibus. Intuere enim quantas habeat proprietates adversum cætera corpora : in certis enim corporibus condiscamus imperium esse subtilium, ne crassus effectus cadat sicut et corpora crassa; sed mentem ad lætitiam, corporibus quidem sis liber, ad incorporea autem festines. Ignis igitur, primo quidem dicam, idem gloriæ est supra omnia corpora, et illuminat alia, se autem non facile ab aliis tenebrat; penetrat enim per omnes, et dissolvit omnia corpora. Quanquam enim petra ita est dura, aut quæ potest confabulata flammæ non ostendere fortiorem esse flammæ virtutem a sui natura? emollitur enim et ferrum per ignem, probatur et aurum, colatur argentum, conflatur plumbum; et omnia quæ putantur fortiora esse corpora, igni cedunt propter subtilem ignis naturam. Denique si projeceris lapidem in flamma, transit quidem, sed non per flammam; fugit enim flamma eum : si autem ignis confabulatus fuerit lapidi, per totum lapidem penetrat. Ita et si æramentum immissum fuerit in igne, aut ferrum, aut ipsum aurum, immutantur colores omnium, et ad ignis transferuntur colorem et ma-

gistrum, quodque eorum ignis, aut hoc qua dicitur et calore, et fulgore, et omnibus proprietatibus ignis. Quia autem ignis ad aurum non cadit, aurum autem calefacit, manifesta est eminentia; et quia ignis non dissolvitur a petris, dissolvit autem petras, aperta est virtus; et quia ignis non detinetur ab aëre, scindit autem et sursum currit, apertum imperium est; et quia urget sursum fieri, et positione est, et virtute, et colore fortior. Sed forte quidam jurgium aquarum adversum ignem videt, quia ab aquis extinguitur ignis; quod quidem recessio magis ignis est, quam corruptela. Sicut enim a tenebris non consumitur, sed cohabitare iisdem non patitur. Immutemus autem, et videamus cum aqua in vas fuerit immissa, et oblatum vas fuerit igni, quid a quo istic consumitur, quid autem veluti pœnas sustinet, et sonat, et bullit. Ignis enim nunquam a frigida aqua factus est frigidus, aqua autem frequenter et semper, ut ita dicam, ab igne efficitur calida. Ergo et istic, quia aqua assumit calorem, ignis autem frigus non admittit; consumitur autem aqua amplius calefacta ab igne, et fervens utpote et emissa, et ebulliens, fugit partes vasorum ad quas propinquaverit ignis, et urgetur effugere e vasis, et effundi; non enim potest ignis sufferre cruciatus. Ergo in istis omnibus subtiliora corpora fortiora sunt cæteris, secunda autem ea esse virtute, quæ minus habentur in subtilitate, et secundum competentiam uniuscujusque usque ad quartum. Ut autem et ista addantur, flamma incisa non inciditur; sed et si volueris assumens ferrum, aut aliud aliquid quod videtur incidere, et ad alteram perduxeris partem per flammam, manet tota, et incisionem non suscipit. Si autem non intellexistis quod dictum est, transeamus ad radios solis : istos si voluerit quis incidere gladio, in inferiori parte non invenientur, sursum enim remanent non incisi : Ita et flamma, ubi ejus fuerit radix, illic tota col-

ligitur. Non est enim videre partem flammæ superius gladio incisam remanere, partem autem inferius; sed tota ad semetipsam conjungitur. Lignum autem et terram et saxa incidentes dividimus a semetipsis, et disjungimus partem a parte; forte autem incidimus et aërem, sed ejecto eo quod incidit, statim ob subtilitatem sui semetipsum conjungit. Gladio enim, aut ligno, aut lapide, per quæ incisio efficitur, per multa enim admittit ratio fieri incisionem, sublatus aër propter subtilitatem sui conjungit partes incisas. Si autem hoc propter invisibilitatem minus agnoscitur, in aquis agnoscitur quod dicitur: cum incisa fuerit aqua, aut scissa per lignum, aut per aliud aliquod operimentum, post autem si abstuleris id quod incidit, urgetur aqua ad conjunctionem sui, est enim aqua a terra subtilior. Terra enim ita sibi ut aqua adjuvare non potest: ut ex hoc appareat quia quæ dicuntur fortiora corpora, ista multo magis sunt infirmiora; et non in magnitudine est potentia. Quid enim tantum habet mons, quantum habet margarita ad pulchritudinem? magnitudo enim calcatur, in brevi autem pulchritudo requiritur. Sed transeamus a primis quæ dicuntur corporibus, terræ dico, et ignis, et aquæ, et aëris, ad ea quæ ex his sunt composita, et videntur omnia ex his habere, calorem dico et humorem, et crassitudinem, et subtilitatem, et alia; et videamus si est in his stabilitas, si est mansio. Et ne quis putet materiam introduci sermone, aut quomodo introducuntur elementa, quibus et inducuntur. Sed illud dico, quia in corporibus quæ moventur, motionem autem dico istam quæ naturalis est, eorum qui habent ut crescant, qui habent ut minuantur, eorum qui fructum afferunt, eorum qui moventur a locis ad loca, animalium utpote et arborum et hominum. Varificatum enim est corpus et compositum; compositum enim est et salvatur per incorporales virtutes. Neque enim arbores sibi

metipsæ statuunt tempus ut floreant, non magnitudinem foliorum, non tempus frugum, non compositionem eorum quæ figurantur, non ea quæ intus sunt ad custodiendum, non quæ foras sunt ad tutelam; non enim in arborum est potestate de his quæ sunt in arboribus. Si enim et in nobis rationabilibus non est potestas mensurarum, non ætatum, non membrorum, neque quando debeat procreare, aut nasci, aut crescere, neque usque ad capillos, non solum ut quando floreant, et quando debeant qui necdum venerunt ad florem; sed neque de eo ut transferat colorem, et a nigro veniat ad album, est in nostra potestate, qui cogitatum possidemus et sensum. Si igitur et quæcumque in nobis sunt naturalia non sunt nostræ potestatis, quanto magis in irrationabilibus animalibus non sunt in ipsorum potestate quæ sua sunt! Magis autem hoc in arboribus non est et plantis. Et tamen in his quæ sine anima sunt, hoc est in arboribus istis et plantis, mensuræ, magnitudines partibus, et ipsi omnia arbori et plantæ, et foliis ejus et fructibus, et compositionibus habentur. Quarumdam enim fructus sparsi sunt, alius in alio ramo positus; quibusdam autem compositio est in butronibus conjungi : et immutatio colorum in iisdem est, et ipsius generis, et ipsius speciei : quorumdam quidem manducantur ea quæ a foris habentur, quorumdam autem ab intus sunt quæ comeduntur. Et multa est varietas annuntians per omnia sapientis sapientiam, et ipsius operis disciplinam. Tamen in istis corporibus quia officia quædam et ordines conspiciuntur, et mensuræ, et tempora, et agnitiones, ut emolliantur cum incipiunt fructum afferre, projiciunt enim etiamsi non floruerint ad fructum et educantur, et sensim accedunt, et ad tempus occurrunt; nunquam autem essent ista quæ sunt, nisi ea incorporalis quædam virtus figuraret : ita et in animalibus leges præceptæ sunt, ut ab equis equi, et ab unoquoque genere genus pro-

prium, similia a similibus; et mensurata est concupiscentia animalibus. Non enim in omni tempore animalibus est communicatio, sed tempus statutum est et agnoscitur : et masculi tunc moventur, et fœminæ tunc patiuntur, et transiit tempus, et emortua est in irrationabilibus concupiscentia. Et ubi tanta varietas est, nonne confessibile est ignorari ab irrationabilibus quæ fiunt? Tamen agnoscunt quomodo reguntur et adducuntur, et ubi oportet seminari, et ubi convenit commendari; et ignorantes quod futurum est, nihilominus tamen legibus suadentur. In matricibus autem nec rationabiles mulieres norunt quid efficiatur. Tamen et irrationabilibus figurantur, et nullus emovet ut non moveantur extra mensuram, neque ut illud manducet et ab illo se abstineat. Nonnunquam enim et minantur plurimum et currunt quæ conceperunt, et custodit ea quæ custodit. Apud nos enim quia adjuvat ars naturæ, immutatum est a natura adjumentum. Ubi autem nihil coëfficit ars naturæ, totum adjumentum custoditur. Multa enim sunt quæ videntur in aliis animalibus, quæ nos non habemus. Nobis enim neque tales cutes, neque tanti capilli sunt, quanti et illis. Ars enim vestiens ea, complet quod videtur deesse naturæ. Non operimenta sunt iisdem, sufficiunt enim pili. Non opertoria; amicta est enim pars quæ his indigebat. Sufficiunt quippe illis capilli, et pro domibus et tectis, et tunicis, et palliis, et operimentis; et unicuique animali pro sui natura et opertoria data sunt. His enim qui minus poterant sustinere frigoris, spissiores pili et longiores indulti sunt, aliis lanæ; et unicuique separata est esca et immissa, et circa illam escam illa alacritas. Quæ enim excusat cervus, hæc persequitur leo, et varia proposita est magni Dei mensa, plena quidem omnibus, conveniens autem unicuique naturæ. Et est admiratio; numeri enim mensium matricibus et irrationabilibus positi sunt. Et quis non stupeat, quia in

tempore isto concurrunt, cujus exitus fructum apportat, cum asperitas hiberni transierit; ut non tenera adhuc constituta quæ nata sunt in domo non confota, asperitatem autem hiemis incurrentia perirent, et deficeret genus, si ita a frigore gelidæ hiemis interficeretur? Sed leges statutæ, et fines sunt positi, quando seminari deberent, et quando fructum afferre : et neque illis opus est obstetrice, neque arte istiusmodi, neque ut cadat et jaceat; sed statim ut enixa fuerit stat, statim ut natum fuerit pecus exurgit, et agnoscit irrationabile animal quod ejecit e matrice, et quod non viderat ut sciens mater agnoscit, et progenies ad matrem convertitur quam nesciebat; et cum adsint ipsius generis alii, non erat irrationabilis ad modicum, et statim agnoscit matrem. Agnoscit autem et sui generis, non ignorat etiam et quæ sibi adversa sunt. Accipiamus enim, gratia comparationis, unum ex his et videamus : cervi capreolus statim ut natus fuerit currit ad matrem, et quærit non unde processerit, sed unde pascatur. Illa autem, quæ antea non dederat mamillam, agnoscit ejus qui natus est alacritatem, et aptat nato mensuram volenti contingere ut pertingat, matri autem quæ præbet ut suscipiat et pascat. Cur autem non abiit ad aliam similem? cur ipsius naturæ alia non suscepit? cur non ad os patris perrexit? cur non offendit ad latus? Sed mamillam quærit, quo edocente, quo suggerente? Unde autem et agnoscit quid habeat mamilla? unde novit quid operetur fons mamillarum? quis ei dixit quia fontes mamillæ sunt? Nam et cum ceciderit in terra, statim stat, et neque cornua pertimescit cervorum talia et ita terribilia, neque perturbat eum immutatio gregis. Si autem apparuerit catulus canis, statim ab eo qui natus est agnoscitur, quia impugnator est ejus; et si simulans homo imitatus fuerit vocem canis, statim, et antequam videat, imitationem audiens vocem fugit. Quis ergo in irrationa-

bilibus sapiens? et certe nos qui videmur rationabiles, statim nati nihil horum habemus quod est admiratione dignum: cur infans matrem ignorat, et patrem non agnoscit? neque a se pergit ad mamillam, neque aliquid istiusmodi facit? Quia enim est sensus in matre, et tutela in patre, et ars in obstetrice, ut appareat Providentiæ dispensatio: ubi ista desunt, natura complet; ubi autem ista abundant, natura cedit. Non enim statim surgit infans, habet enim manus quæ portant; necessarios capillos non habuit, pili enim ovium necessaria complent. Quærito autem et ipsam positionem fontis escarum qualis apud nos, et qualis apud irrationabiles habeatur. Quia enim erectus noster est status, quia in inani os portamus, superius constituit et mamillas, quadrupedibus autem in aliis infixit locis. Quid autem dicis quia unumquodque animál, statim ut natum fuerit, quantum est, tantum est, magnitudine dico, sed quod nihil amplius assumit ad mentem? habet enim sensibilitates suas, habet capillos, et quia nihil apud eos pretiosum est, ideo totum statim in eis effusum est: sicut et in fructuosis arboribus statim concurrit et effunditur magnitudo, in fructiferis autem sensim proficit argumentum; ita et rationabilibus non statim efficitur ut crescant, non statim status, non statim esca. Siquidem nec margaritæ in facie reperiuntur terræ, sed post tantas difficultates quod pretiosum est invenitur. Tamen quod properat sermo ad semetipsum dicimus, quia neque irrationabilibus. Si enim nossent, forte quidam ausus fuisset, et diceret ipsorum esse opus. Quia autem ignorant quidem, efficitur vero, tamen quia fiunt corpora, et figurantur in matricibus, et crescunt post matrices, quærentes invenimus, quia præsentia corporalis animæ ex matricibus exeunt, et post egressum pascuntur, et crescunt, et moventur. Si autem quis dubitet, consideret corpus unde recessit anima, et sciet cu-

jus præsentia sunt opera ista. Ergo et corporibus ut sint et crescant, et maneant et non dissolvantur, præsentia animæ præbet, impertiens quæ non habet corpus. Cum enim non pascatur pascit, cum non crescat corpori præbet ut crescat, cum colorem non habeat præbet colorem, cum non transeat a loco ad locum, ex loco ad locum transmutat. Et hoc ipsum quod videtur esse corpus, per animam est quod est. Recedente autem anima, statim convincitur corpus, statim dissolvitur, statim defluit, spargitur, obputrescit, emoritur, infrigidatur, immutat colorem : non ejus oculus videt, et non movetur manus, non pes; auris non audit, lingua non gustat; et si immiseris escam vim faciens, non efficiunt operamenta quæ intus sunt. Recedente enim artifice stant. Et capilli etiam non adducuntur et moriuntur, et ungues jam non crescentes, et omnia otiosa sunt : sicut fabri aut alterius artificis, si recesserit artifex, operamenta jacent quidem, indigent autem habentis animam. Statim enim est videre fœda corpora morientium animalium putrida, neque ut contingantur apta, nec enim et ad escam sunt conducibilia : ita anima recedente non sunt utilia ad ea quæ suæ naturæ sunt. Mirari enim est et illa, quorum anima languore aut dissolutione istiusmodi recedit. Si autem et recedere oportet dici animam irrationabilium, horum mortificatio immutata est a statu illorum quæ occiduntur. Quæ occiduntur enim alia sunt et calore, alia sapore, alia et odore, alia manducatione. Illa autem quæ moriuntur et non occiduntur, et in ipsa morte habent immutationem sui. In tantum enim demonstratur quantum potest præsentia animæ, quia et vox subito recedit, et tanquam vestigium quæ in iisdem est vitæ relinquit. Quid autem dicas de nostra anima ? sed non est rationis ita nos injuriam facere pretiosæ animæ. Si enim voluerimus in isto brevi spatio horæ movere de ea sermonem, et transitorie

ejus memoriam facere, inimici magis videbimur nostræ animæ quam amici. Sed sit sermoni quidem mensura, animæ autem rationabili decens honor. Ei autem qui creavit corpora et animas, et rationabiles et irrationabiles, ab omnibus simul, et qui non loquuntur, per unum per quem et omnia constituit, sit gloria, honor, imperium, majestas, cum Spiritu sancto, et nunc et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EUSEBII PAMPHILI

DE INCORPORALI ANIMA.

LIBER SECUNDUS.

Reliquiæ quæ de incorporali refectione hesterno nobis resederant die, hodie secundum consequentiam sermonis *iter perfruamur.* Solitum enim et his est qui corpora pascunt sua, cum non suffecerint ad sumendum plurimis ad refectionem appositis, manducantque diem quantum possunt, recondunt autem sibi superflua in alterum refectionis diem. Forte autem non eadem imago convenit nobis. Non enim ea quæ resederant proposita nunc sunt, sed sint ea quidem quæ præcesserunt non esca, sed gustus; nunc autem, ut ita dicam, ipsa refectio. Motus enim nobis est sermo de monte Syna, in quo dicebatur fumus fuisse, et ignis et procella, et tubæ et voces a Deo [1]. Quæ omnia magis quæstiones movebant. Videntur enim ista non consentire incorporali naturæ. Quia igitur domestica efficitur satisfactio, cum a communibus et apertis fuerit mota, ideo in commune de incorporalibus movimus quæstionem. Accipientes enim corporum naturas discrevimus, et ostendimus quia non, ut putatur, crassiora fortiora sunt, sed secundum competentiam uniuscujusque corporis, quantum unumquodque subtilius est, tantum et fortius. Istinc promoventes venimus ad naturam, a natura ad irrationabilium animam. In quo loco comprehendit nos vespera, et collocavimus mansio-

[1] Exod. xix.

nem. Quia ergo successit jam lumen, exurgentes teneamus consequentiam eorum quæ rursum ambulantes transivimus. Secundum consequentiam igitur et ordinem initium sit sermoni, quæ hodie de nostræ animæ dignitate dicemus. Sicut enim a corporibus ad naturam, a natura autem ad irrationabilem animalium venimus animam, ita promoventes et transcendentes, ab irrationabilium anima ad rationabilem pervenimus: ut exerciti in corporibus primum ita veniamus ad incorporalem animam, et ab anima ad incorporalia; et ita non subito ad puritatem Dei accedentes, ex fulgoribus qui inde sunt obtenebremur. Decet enim taliter, ut anima prius semetipsam agnoscat : incongruum est enim ut de aliis quidem curiosius requirat, semetipsam autem negligat, cui proprium corpus est. Quia enim posita est velut in mediis gradibus, aliis quidem præcellens, ab aliis autem deficiens, forte agnoscens semetipsam, despiciet quidem minora, protendetur autem ad ea quæ supra se sunt. Accipiamus igitur ipsius animæ dignitatem, et efficientes ejus ex quibus cogitat et agitat, operatur et donat corpori, et ex quibus ei adversatur utilissime, et ex quibus de Deo cogitat et sapit. Accipiamus autem et testimonia ex his quæ videntur, et a Scripturis. Et primo, quia quidam putant animam nostram non solum cum corpore esse, sed aut corporalem, aut corpus; multis autem sanguis putatur et nostra anima esse, dicimus de his primum; et quia ex Scriptura circumveniunt animam, tanquam sanguis habeatur, ex ipsa Scriptura ejus separemus dignitatem. Irrationabilium enim animalium animæ uno præcepto cum corporibus figuratæ sunt : « Dixit, *inquit,* Deus, Producat terra animalia quadrupedia [1], » et quæ sequuntur. Uno sermone genera animalium universa, et corpora et animas, fecit, et non discrevit. Et iterum : *Producat aqua.* Etiamsi hoc primum

[1] Genes. I, 24.

positum est ait: « Producat aqua natantia quæ in aquis sunt, » et volatilia cœli quæ in aëre[1]. » Propinquior enim genere aqua aëri est; repletur enim aër aquis per nubes. Colata autem aqua transmittitur ad aërem, et nubes adunat, et velut immutatio quædam est aquæ ad aërem, et iterum restitutio. Unde et quæ facta sunt ex aqua veluti ex crassiori natura, quædam quidem remanserunt in aquis, alia velut ad congenerem aërem transmissa sunt. Sed non de his nunc sermo est nobis, sed quia aliorum quidem animalium animæ universæ uno præcepto cum corporibus factæ sunt, homo autem neque cum aliis animalibus, neque ante alia factus videtur. Et cum aliis quidem non est factus propter pretiositatem : ante alia autem non est creatus propter tutelam Dei. Quia enim incipiebant ei subjici omnia quæ facta a Deo sunt, ut non ipsius putarentur opera quæ facta videntur, novissimus figuratur homo, et non primus. Si enim et ita novissimo facto homine, ausi sunt quidam per fabulas introducere, quid non ausi fuissent si non ista præcessisset tutela ? Aliter autem et decebat antequam crearetur rex super terram, præparari necessaria primum, ut ita adveniret qui eis perfrui deberet. Servatur autem et in irrationabilibus ordo, secundum Scripturam. Non enim prius facta sunt animalia, quam fierent ea quæ pascerent animalia. Quia enim factum quidem jam fuerat cœlum, fundata autem jam erat terra, et mare fuerat separatum ab arida, effusus autem erat et aër, coronata autem erant quæ facta sunt, unumquodque in ornamento suo; terra quidem florens arboribus et plantis, aër per avium iter avibus præbens, mare et flumina et fontes piscibus lætabantur, qui in se fuerant nati; cœlum autem varicatum suis floribus erat : et tunc factus est homo. Creatus autem est homo non uno præcepto, sed corpus quidem dicitur manibus figuratum.

[1] Gen. I, 20.

Exhinc autem jam argumenta sint de incertis. Scriptum est enim, quia accepit Deus e terra limum[1]. Putas, quia accepit, dixit, Addemus ei et manus? Scriptum est quia et figuravit hominem. Et figuratio quidem corporis jacebat, anima autem non erat simul creata. Sed volens Deus per opera separatas segregare naturas, separatim figuravit corpus, separatim animam fecit. Et factum est velut tabernaculum corpus, introducta est autem anima, et habitavit. Et ne putes, quia præcessit corpus in creatione, jam et in honore præcellit. Sed memento quæ superius audisti, quia et irrationabilia animalia ante hominem facta sunt, et non quia prævenerunt in operatione, jam et prima sunt in honore. Ipsorum autem irrationabilium ea quæ ad escam necessaria sunt, priora creata sunt, et non quia quæ utilia sunt animalibus, jam et honorabiliora sunt iisdem. Ergo non a temporibus accipiamus pretiosiora ea esse quæ priora sunt. Siquidem et terra ante istud quod videtur cœlum est facta. Si quis enim legit Scripturam, aut legentem audivit, inveniet quia scriptum est : « In principio fecit Deus cœlum et » terram[2]. » Cœlum enim cum terra factum dicit, non istud quod videtur, sed aliud superius. Secundo enim die efficitur istud quod videtur, et nominatur firmamentum. Tantum enim honorabilius et istud a terra est, quantum et spatio distat superpositum. Et non quia toto die præcessit terra istud quod videtur cœlum, jam et honore prima putabitur. Ita figuretur prius corpus, et post fiat anima, et nobis servetur dignitas. Factus igitur homo est, ita enim nominat Deus dum dicit : « Et figuravit Deus hominem, li- » mum a terra accipiens[3]. » Necdum erat totus homo, sed si forte imago hominis, imago autem necdum vivens, et jacebat quod factum est ut operamentum. Requirebat autem artificem, non intellectu aut effectu, sed necessitate pos-

[1] Gen. II, 7. — [2] Idem, I, 1. — [3] Id. II, 7.

cebat; scriptum enim est, quia post hoc « inspiravit in eum » Dominus spiramentum vitæ, et factus est homo in ani- » mam viventem; » et iterum, « in spiritum vivificantem. » Ergo ab initio separatim quidem corpus, separatim autem anima facta est. Et corpus quidem sine anima non vivit. Cum autem ingressa fuerit anima, tunc efficitur homo in animam viventem. Et quis comparabit opportune corpus quidem nubi, animam autem immissis a sole splendoribus? immutat enim nubis colorem, immutat ejus effigiem, sed non vivificat. Quære ergo quomodo accepit Deus limum terræ, et quomodo inspiravit Deus. Accipit enim sine manibus et inspirat sine ore. Cur ergo accepit? ut appareret quia non ab alia creatura est homo, sed a conspersione fermentum. Cur autem et inspiravit? Pro eo, ut dicat quia immisit. Si enim corporaliter acceperimus quod inspiravit Deus, ut a Deo pars efficimur Dei inspiratione ista, et dividimus indivisum. Et quemadmodum possibile erat peccare eos qui a Deo ut pars ejus erant separati? Ita ergo ex creatura quidem ipsa statim separatum est nostrum corpus ab anima nostra. Anima autem omnium animalium quæ ab hominibus manducantur, dictus est sanguis, non tamen hominis. Sed cum diceret homini Deus, ut prius effunderet sanguinem, et ita manducare de animalibus, iste ejus erat sermo. Ab initio ergo creaturæ, ita melior est nostra anima a corpore, et separata est. Ut autem veniamus ad ejus dignitatem, scrutantes scrutemur, quia corpora non germinant, sed arbores et plantæ acceperunt germen, et augmentum, et escam quam non habebant saxa quæ vere sunt saxa. Germinare enim et crescere, et imbribus nutriri non habent, sed hæc acceperunt plantæ et arbores. Et ne quis producat contradictionem si aliqui lapides crescunt in mari, sive nigri, sive rubri; illi enim plantis magis similes sunt quam lapidibus, incisi enim cum fuerint, tunc la-

pides efficiuntur. In quantum autem stant naturæ legibus, et radices emittunt, et pullulationem operantur, et incrementum accipiunt, et ramis annuntiant affinitatem. Ergo plantis et arboribus ista adduntur, quia habent ut germinent, ut procedant, ut crescant, ut pascantur. Animalibus autem inest quod inest, hoc est ut nascantur, et crescant, et pascantur : juncta autem iisdem est, et proprietatis additamentum sensibilitas. Est autem hoc in lapidibus ut sint, sed non inest eis ut et crescant et additamenta sumant, quod est in animalibus omnibus. Esse autem inest saxis et terræ; germinare autem et crescere, et augeri, quod erat arborum, non est in eis : additamentum autem eorum separatum est sensibilitas, utpote quæ animalibus habetur. In nobis autem omnia quæ prædicta sunt habentur : additum autem nobis est quod nostrum est proprium, et quod nobis provenit, ut deorsum quidem habeamus omnia quæ habent ea quæ sub nos sunt, extrinsecus autem nostrum quod est proprium sit in nobis cogitatus et sensus. Iterum ea quæ post nos sunt, statim irrationabilia animalia cogitatu a nobis relinquuntur et sensu : habent autem omnia quæcumque habent minora; illis enim et quod suum est inest, sensibilitas scilicet. Iterum arbores et plantæ relinquuntur quidem a cogitatu nostro, relinquuntur autem et a sensibilitate animalium : habent autem suam proprietatem adversum saxa et terram, germinationem scilicet et augmentum, et crescibilitatem et escam. Fæx autem, et quæ putantur fortissima, petræ, inquam, et terra hoc ipsum sunt corpus, non producuntur, non crescunt; si enim et crescunt, ita crescunt ut nec sciatur quia crescunt. His ita a deorsum usque sursum et a sursum usque deorsum separatis, agnoscamus quia nos quidem sumus in commune, sicut et terra et lapides, coëxtendimur autem et plantis et arboribus. Habemus enim ut et nascamur, et crescamus, et pasca-

mur. Transcendimus autem et irrationabilia animalia cum sensibilitate. Transilimus etiam et ab his, habentes quod est præcipuum, rationabilis quippe vitæ cogitatum. Nihil autem præscribitur a communibus; utputa si quis voluerit hominem aliquem separare ab altero, non debet dicere: Ille qui duos oculos habet aut duas aures, neque illa quæ in commune sunt et aliis; sed illius hominis quod est præcipuum ad agnitionem. Esse enim non nobis solis est, et germinare non nobis est tantum, et manducare non hominum solummodo, et crescere non nostrum est tantum, et sensibilitatibus uti non nostrum est solum; sed quando nos et ubi, in sermone, in cogitatu, in rationabili vita, hoc homo est, hæc imago, hoc est secundum imaginem, hoc est pretiosum, hoc imperiale, hoc est quod tenet per animam. Per hæc agnoscitur et pudicitiæ honestas. Et certe caro contrarias suggerit motiones, utpote irrationabilium ad communicationes; sed animæ cogitatus gubernans motiones concupiscentiarum, et asperitatem libidinum regens, ostendit quia anima a corpore separata est. Si enim corpus turbatur, movetur, fluctuatur a concupiscentiis, anima autem gubernat; corpus exultat escis, anima autem cogitatu refrenat corpus. Corpus expetit escam, evacuatur enim, et vult iterum adimpleri; anima autem sub spe religiositatis retinet desiderium. Corpus sitit, anima mensurat quod ei est utile. Corpus movet fluctus, anima autem tranquillitatem adducit. Corpus sola quæ sua sunt quærit, et non quæ sua sunt tantum, sed et supra ea quæ sua sunt. Si enim non adesset anima mensurans, posset aviditate escarum corpus corrumpi, et a potatione crepare superflua; sed tantum anima corpore fortior est, quia et corpori mensuras ad salutem ponit. Et primo quidem ostendit quæ debeat sumere, et a quibus se abstinere, et ea quæ licita sunt manducare, quando et quantum, et quibus horis, et quid debeat ante es-

cam operari, et quemadmodum moveri desiderium escarum, et quemadmodum servare escam ingressam, et quomodo reficere operamenta : ut non ex abundanti motione confusio fiat ejus qui pascit. Et potuisset utique corpus corrumpi, nisi adesset anima permittens quantum deberet, et continens quantum oporteret, et mensurans, et permiscens, et ætatibus semetipsam extendens, et iterum colligens, non magnitudine dico, sed mensuris. Quoties enim irascitur corpus, quia derelicta est esca quam libenter sumebat, et iterum volebat; et non permisit animæ cogitatus! Quoties accensa est concupiscentia, et voluit esse sua aliena, et accensa est, et arsit flamma; sed sensus rorans extinxit motionem, et marcidam flammam effecit, et ostendit homini ratione quia homo est, et non irrationabile pecus! Non sumus inter greges ad communicationes, sed nuptiæ apud nos, et in domibus, et successiones et cognationes habentur. Compatimur enim alter alteri, et congaudemus. Cogitatus enim conjungit, et separatæ nuptiæ apud nos sunt. Separavit enim hoc ratio sensus : et quod est admirabile, quæ non est visa ei qui non est visus, aut alibi nutrita ei qui alibi est educatus, subito tradita conjuncta est ratione et sensu, et cogitatu; et præhonoratus est qui accepit, et patri dilecto, et matri amicæ, et omni cognationi. Non enim mihi nunc inducatur eorum qui adulterant nummum, quia nec a cæcis agnoscitur oculi virtus, neque a claudis ambulatio recta, neque ab adulteris nummi figuratio vera. Sed nuptiæ sint nuptiæ, quæ terminis rationis a cogitatu sunt honoratæ. Duo enim fiunt unum, quia ex uno facti sunt ab initio duo. Et quis poterit exhibere eorum qui salvantur figuram, pulchritudinem, speciositatem, quibus tristitia consolatio est? patiuntur enim, et alterutrum onera portant, et alius pro alio sollicitus est, ut non tristetur nec doleat, ne si non videat tristem iterum tristetur. Aut enim


figuratur tristitiam, aut pellit. Cum autem incurrerit aliquod gaudium, aut lætitiam, videbis ista duplicia. Sicut enim compatiuntur sibi in multis, ita et collætantur; cogitatus itaque etiam fortissima nobis animalia subjecit; comprehendit enim et velocia, et tarda domuit et subjecit. Descendens autem in mare, necessaria nobis ad usum eduxit; et ad aërem perveniens, inde ea quæ videmus et manducamus deposuit. Decerpsit etiam ab arboribus et plantis, et a terra et ab animalibus necessaria, et partitus est, et omnia nobis ob unam sensus rationem paravit. Nullum enim animal ita est forte, ut cogitatui sit fortior, siquidem nec penna huic velocior invenitur. Sed quanta carni nostræ ob infirmitatem deesse videntur, hæc fortiora efficiuntur virtute sensus et cogitatus. Non potest nostra aspiratio plurimum contueri in mari. Quid ergo? num aufugit nos mare? Nonne ei maris profundum cogitatus invenit, ut nunc quidem funes in mari deponeret, nunc retia expanderet, alio autem tempore alia machinamenta immitteret, siquidem et per cannas ad profundum pervenit, et per setas operatur? Jam autem et margaritas scrutans invenit, et spirationi nostræ deposuit solatium. Et primo quidem, quomodo intellexit ea quæ in profundo maris sunt posita; et dein quomodo cœpit aut agnovit usum eorum, ut quædam quidem separaret ad escam, quædam autem reconderet ad medelam, alia eligeret ad ornatum? Invenit autem et iter in mari; accipiens enim e terra arbores, vehicula in dorsibus operatus est maris. Generans enim artes aut suscipiens, ad ea usus est quæ accepit; et testatur creatura sapientis per omnia Dei. Accipiens enim aquam, et ignem, et terram, et aërem, et arbores, et mare, et fontes, et montes, et campos, nihil horum ut ita accepit otiosum esse permisit. Coacceperat enim virtutem cogitatus et sapientiæ; et ideo considerans ea quæ in idem erant occulta, habuit sensum, ut ei

adveniret, et operaretur, et uteretur. Accepit enim ignem, et invenit solatium tenebris et nocti obscuræ. Invenit quomodo ex lapidibus efficitur ferrum, invenit quomodo esset æramentum e terra. Invenit quomodo aurum purgatur, quomodo argentum colatur, quomodo plumbum conflatur et ferrum, et quomodo ex his vasa figurantur, et vasorum varietas, et quæ ad tutelam, quæ ad medelam, quæ ad operationem terræ, quæ ad navigationem, quæ ad terram, quæ ad lapidem, quæ ad ligna, quæ ad aquam sunt necessaria, et quæ materies magis quo modo conflatur, et quid debeat accipere, et quomodo oporteat coëfficere spiritum flammæ ex igne, tanta sunt bona! lumen noctibus, medela ægrotantibus, operamentum artibus, et agricolis pugnantibus tuitionem, pacificis tutelam. Iterum autem secundum unumquodque operamentum et vas, quanta ignis operatur consideremus. Fecit aurum, et ex auro tanta; argentum, et ex argento tam multa; et æramentum, et ex ipso imprimis necessaria : et unumquodque quod colatum aut conflatum est, primo quidem inventum est, dein discretum, et post confectum, et ita usum. Didicit enim cogitatus quibus pascitur ignis, et certe aliquoties offert ligna ad coctiones, aliquoties autem ut maneat; et per quem ligna consumuntur permanserit, per istum sensum nutrita arguuntur. In tantum enim dives est qui tribuit, et tantum ditatus est qui suscepit, quia si voluerimus contendere, et tantum ex opificiis ignem exponere, et utilia quæ ex igne sunt manifestare, transiet nox conjuncta diei, et manebunt ignis solius non plena. Apparet autem dives qui creavit Deus, et qui dignus est habitus sensus tali divitia, ut hæc omnia scrutaretur. Vidit enim cogitatus in sabulo vitrum : intuere ergo quantum distat cogitatus a corpore. Quid videt oculus? sabulum; quid videt sensus? vitrum. Intueris alium et alium : ille enim videt sabulum; iste autem videt vitrum, quod nec-

dum est. Ergo non oculus corporalis intuetur, qui nec videt nisi affuerit anima. Sed et cum videtur videre, aliter videt corpus et oculus, et certe anima videt per eum; aliter intuetur cogitatus a semetipso. Non vidit corpus æramentum, non vidit corpus ferrum; sed lapis erat et terra. Cogitatus autem videns quæ non videbantur, æstimans quid facturus esset ignis si confabulatus terræ fuisset, iste non tamen omni et illi lapidi, et non omni : quærens enim æramentum terram accepit, et quærens ferrum lapidem sumpsit; et non erravit, sed agnovit in quantum deberet igni permittere. Si enim transierit mensuram a Deo acceptam, ignis qui purgat consumit. Ita in istiusmodi materiis immisit cogitatus suam admirationem, in vasis suam varietatem, in operationibus suam virtutem, in operamentis suam sapientiam. Procreans enim artium gentes et disciplinarum populos et nationes et genera, et separans alia aliter, et in alio opere aliter operatus est unicuique operamenta separata, et suggessit materias; et illam quidem posuit auro, aliam separavit ad argentum, alteram ad æramentum; et alii ostendit ferrum, alii demonstravit sabulum, et ex sabulo fructum vitri : alii dedit invenire naturam arborum et operationem, et usum, et tempora ; alii fructus eorum, alii culturam eorum, alii adinventionem eorum, alii medelam ex ipsis ; et ipsi medicinæ nostra corpora quid deberet amburere, quid oporteret coquere, cum quo deberet miscere, quid deberet separatim offerre, quid conveniret complurimis, quid crudum, quid incipientibus morbis et illi passioni, quid autem promoventi et jam posito in cessatione, quid etiam in insistendi initio, quid vero reddenti et cedenti et recedenti. Non despexit nec animalium fructus, sed totondit nobis indumenta ex ovibus, totondit et e capris plurimos usus. Et non est dinumerare quanta ex animalibus et alimoniis nobis dederit ad operimenta, ad usum, ad medelam, ad opera; quanta

ex arboribus, quanta e saxis, quanta ex aquis, quanta ex natantibus et volantibus, quanta ex auro et argento, et lignis, et lapidibus, et æramento, et ferro, et plumbo, et quæ amburuntur et non amburuntur, et attenuantur, et contexuntur. Et mihi quidem videtur cogitatus ita esse sicut vir quidam dives sua cupiens dinumerare et scrutari : non sufficit, sed ob multitudinem possessionum et substantiæ, neque rationibus aut sensibus vacare potens, sed superatus ab his quæ habet, manet incertus. Tale nescio quid et nunc passus est cogitatus. Similis enim est ei qui fluctus dinumerat. In eo enim dum volumus proprietatem ejus in igne videre, exurrexit ex mari alia unda, et alius meatus a flumine, et a fontibus, et ab illis irrigationes, et usus ex arboribus, a fructibus, a radicibus, a foliis, ab his quæ a foris et ab intus habentur, et in animalibus quæ a foris et ab intus sunt, et pelles ad alium usum, et ossa ad alteram necessitatem. Et ne quidem stercus inutile extitit, pretiositate cogitatus appretiatum. Sed nonnunquam et e messibus, quia multum attulit terra, plurima relinquuntur, quia non potest possessor colligere quanta et seminavit, et terra multiplicans præbuit. Maneant igitur fluctus et undarum procellæ, et meatus fluviorum et fontes, et quæcumque derelicta sunt de fructibus, cogitatus et progenies et opera ; et putantes nos hodie implere posse ea quæ resederant, plura habentes recedimus et hodie, ita ex bonis angustati non nos pigeat, sed quanto potuerimus scrutabimur coronas, utpote serentes Altissimo, ex quibus in terra et mari est operatus. Quæcumque autem nos transcendunt et superant, in eo ipso quod vincimur, victori ipsi ex operibus suis sint et istæ coronæ. Retinentes igitur quoüsque et pervenit sermo, recondamus sermonis reliquias, ut iterum ad ipsam mensam sedentes, iterum iisdem ipsis fruamur bonis. Unum autem est quod decet et nunc, ut reddatur ei cui

semper redditur et semper debetur in his quæ præcesserunt gratiarum actio, et in his quæ incipient gloria, Deo sancto, qui omnia nobis subjecit per Spiritum, cogitatu nos præhonoravit; cui est per unigenitum suum Filium cum Spiritu sancto gloria, honor, imperium, majestas, et nunc et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.



EUSEBII PAMPHILI

DE SPIRITUALI COGITATU HOMINIS.

LIBER TERTIUS.

Ipse semetipsum cogitatus reficit, ipse semetipsum pascit, ipse semetipsum fortificat, ipse semetipsum considerat. Ipse enim ad semetipsum se colligit, et semetipsum intuetur, et arctatur in suis. Non enim sicut oculus alia quidem videt, semetipsum autem intueri non potest, quia nec suæ naturæ est ut se respiciat. Non ita et cogitatus. Neque enim sicut vultus in speculo, in alio quidem videtur, ad semetipsum autem converti non potest. Non ita et cogitatus habetur, sed semetipsum videt, et ipse ad semetipsum convertitur, et se intuetur, et alia multa. Et non sicut vox levibus quibusdam offendens resonat, ita et cogitatus ad semetipsum resonat ut echo. Vox enim offendens aliunde respondet. Cogitatus autem ipse semetipsum scrutatur, et ipse ad semetipsum tanquam penetrans recurrit, et revolvitur in semetipso. Diversum autem scit nunc aut desurgunt libidines : et spirant concupiscentiæ, et pelluntur metus, et non salvatur quod sapit. Infirmatur enim et fortissimus cogitatus. Cum autem pudicitia fuerit ingressa aut excitata, statim concupiscentiæ et libidines, ut ancillæ quæ ante surrectionem dominæ turbaverant domum, mox ut visa fuerit domina, alia alibi absconditur, alia alibi fugit, et negant jam motiones, et colligunt luxurias, et revocant ventos, et quiescunt fluctus, et efficitur tranquillum. Hoc enim est pudicitia in anima. Quid tale præbet tranquillitas in mari? quæ

nonnunquam et obfuit festinantibus. Frequenter enim tranquillitas et opportunos ventos expectantes fraudavit, et nonnunquam et siti interemit graviori, utpote a tentationibus motæ. Sed non talis pudicitiæ habetur tranquillitas, sed quæ compescuit ventos, et confregit fluctus, et statim adduxit ad portum, et mox erexit ex pudicitia fructus. Cogitatum quippe qui sapiat animæ dignitatem, sanctimonii honorem, puritatem honestatis, tunc videt oculus animæ quia excussit ab eo pudicitia pulverem concupiscentiarum, procellarum libidinem. Si quis expertus est tempestates concupiscentiarum, expertus est et tranquillum pudicitiæ; ex his quæ passus est, et ex his a quibus salvatus est, agnoscit quæ dicuntur. Cogitatus enim concupiscentiarum dormiunt, motiones fluctus, immissiones, turbelæ. Neque dormientibus dormire permittit. Accenduntur enim et per ambitiones, et jacentes perturbant, et cum dormientibus non dormiunt, sed semper sunt inquietæ. Cum autem pudicitia fuerit subingressa, cum illa habitaverit ut domina, cum detinens fuerit, cum suis retinaculis tutaverit domum, tunc sicut prædomiti equi, et ad præsepia quieti sunt, et in itineribus rectum agnoscunt iter, nutibus utpote digitorum adducti. Ita cum semel tenax fuerit pudicitia, et domuerit concupiscentias, et mitigaverit libidines, manducamus honeste, et bibimus mensurate; mensurat enim quæ adest pudicitia. Denique et honeste dormimus, et sobrii excitamur, et videmus pulchritudinem vultus, ut pulchritudinem, et non ut offensionem. Aures quoque nostras non perforat melodia; scit enim pudicitia et solvere ceram in auribus, neque noceat audientia; nostra enim membra operamenta pudicitiæ fiunt. Oculus videt bonam faciem, et cum honestate eam intuetur : non movetur ad concupiscentiam, sed videt in facie pulchritudinem, et cogitat qualis sit pulchritudo in anima, et quæ a foris sunt bona ad semetipsum

adducens, et a bonis bona decerpit, et non in malis male offendit. Sicut corpora incolumia ab omnibus utilitatem accipiunt, et a motu, et ab exercitio, et a cursu, et ab unctione, et a somno, et ab esca, et a potu: ita e contra quæ ægrotant ab omnibus nocentur. Vini enim etiam odorem excusant, et unguenti nidorem, et itineris motum, et escam, et frigus et calorem. Omnia enim eis nocent qui male se habent; omnia autem prosunt his qui incolumes habentur. Ita et libidinosum omnia movent ad noxam, et vultus, et pulchritudo, et compositio melodiæ, et vestium varietas, et honor quidam; et bona opera ad mala transferuntur ei. Qui autem sobrius est ex adverso, quia et contraria illi sunt; a bonis enim bona decerpens dives in bonis est. Ita ergo pretiosa est pudicitia; quia dum adest, et justitiæ præparat locum, dat etiam spatium et virtuti. Intellectum autem ut interpretetur nomen salvat. Ergo amplectitur et circumdat virtutem, et sicut mater quædam pietatis efficitur fratribus. Bona quidem est et virtutis fortitudo, sed non semper eam necessariam habemus; forte autem audebo et dicere, utinam non eam, sed opus! Si quis enim eam acceperit, tantum in bellis est utilis. Si autem et in pace necessaria est virtus, forte ut coëfficiat pudicitiæ; forte enim cum jurgantur concupiscentiæ, et illarum fluctus eriguntur, opus est ut viriliter resistat pudicitia. Si igitur adveniens istic juverit, tunc erit pretiosa et in pace virtus: non quippe semetipsam vindicans, sed pudicitiæ coadjuvans. Si autem et in bello virtus ponatur, medietatem generis despicit: mulieres enim ad præliandum armamus; pudicitia autem et in viris pretiosa est, utilior autem et mulieribus. Cur autem non dicatur, quod verum est, quia et virtutis ipsius fructus et in bellis ob pudicitiam necessarius est? Ideo enim suscipimus prælia, ut non adversarii superantes, mulieres extra legem pudicitiæ corrumpant. Si enim ob hoc pugnamus et pugnæ terrores susci-

pimus, virtus ob pudicitiam et in bellis certatur. Sicut enim naupegia ars gubernatrici ministrat, ita et virtus pudicitiæ præparat tranquillitatem. Divisa est igitur virtus ex parte maxima generi nostro, sed nec viris omnibus utilis invenitur : prævenit enim eam et temporibus pudicitia. Qui enim adhuc adolescentes sunt, et necdum opera belli didicerunt, nec ad prælia vocantur, nonnunquam pudicitiæ sibi imposuere coronas. Sed et ob infirmitatem plurimis quiete donatis, pudicitia adhuc utilis invenitur; nam etsi senio deponuntur libidines, sed adhuc usque motiones concupiscentiarum intusque et fornicationes ægrotant et occidunt, quæ libidinem continere non possunt, et patres dehonestant, quæ monitiones pudicitiæ non libenter accipiunt. Si enim adesset pudicitia, neque furaretur quis, neque occideret aliquis; amaret autem et patris monita filius. Divina possessio ista, sed difficile invenitur. Qui autem jam habent illam quæ post resurrectionem futura est conversatio? Dicit enim ipsius regni Dominus et apportator : « Quicumque re- » surrectionis mortuorum digni fuerint, non nubunt neque » nubentur, sed ut Angeli erunt Dei, » quia nec mori jam possunt. O immortalitas pudicitiæ juncta ! qui in bellis vincunt non efficiuntur ut Angeli, sed qui neque nubunt neque nubentur. Hoc judicium est ejus qui fecit naturam. Nam et alibi ad ornatum ipsius pudicitiæ locutus est Dominus : « Non om- » nes, *inquit*, sunt digni, sed quibus datum est. » Quod enim homo ex natura non habuit, hoc sit desuper donum; sed mihi quidem pudicitia ista suam pulchritudinem ostendat, et sensim trahat, et relinquatur non cedens, neque repleta et capta : sed sicut avis quædam adornata, nonnunquam ludere desiderans sensim recedit, et in eo dum videtur movet desiderium, sensim autem dum movetur allicit ut eam quis insequatur; non capitur autem, quia ipsius est ut effugiat; protendit autem cursum, et cum quis maxime puta-

verit se comprehendisse, movet pennam et volat : ita et pudicitia suam varietatem in honestate proferens, sensim autem se movens et commovens, in tantum me traxit ut insequerer; cum autem jam putarem me posse manum extendere eamque comprehendere, movens pennas superius se cœlo conjunxit, ad Angelos scilicet, ubi ejus natura est ut maneat : et ipsa quidem non comprehensa mansit, me autem reliquit stupentem, et desiderantem comprehensionem quam persequens non apprehendi. Etiam quidem colligamus sermonem, et quia pudicitia multa superans, et sermonem ipsum qui de eadem est ininterpretabilis recessit, universam humanam transcendens naturam; sermo autem inveniens quæ Deus hominibus donavit, et hoc mortalibus, per quæ immortalitatem eis procuravit, ad gratiarum actionem iterum se convertat, et de sancto et sanctificante, per quem sanctum hoc donum hominibus misit, per unigenitum scilicet suum Filium, sit ei gloria et honor, imperium, majestas, cum Spiritu sancto, et nunc, et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.



EUSEBII PAMPHILI

DE EO QUOD DEUS PATER INCORPORALIS EST.

LIBER QUARTUS.

Ad ipsum Deum nostrum erigamus cogitatum, jam non concedentes cogitatui fugere et vitare, parcimus enim timenti. Urgemus autem non quantus est Deus eum quærere, sed quantum ipsi cogitatui possibile est æstimare : multas enim adinvenit sibi confugiones, et dilationes, et circuitiones, bonum utpote pertimescens timorem. Sed sicut equo nonnunquam territo et nolente rectum iter petere, et fræno vim facimus, et calcaneis pungentes corrigimus, et refrænare tentamus ab his quæ ei non concedimus : ita et nunc extollere ad Deum cogitatum debemus, quærentes illa quæ et Scriptura de Deo quæri permittit, quia neque in domo Deus, neque in simulacro, non in monte aut terra, non in aëre, nec in ipso toto cœlo, neque reclusus est, neque retinetur, neque confixus est, sed omnia quidem incorporaliter complet, ab omnibus autem inenarrabiliter est separatus. Nos autem et late irridemus eos qui putant esse Deum, aut deos, tanquam gregem quemdam reclusum in mandra; quippe valde et reprehendimus eos qui volunt in simulacris virtutes divinas reclusas haberi, ex vi scilicet hominum malignorum : irridemus enim eos cum habitus appositi fuerint in simulacris, quædam quidem fœminarum, quidam autem masculorum, et quadrupedum, et serpentium. Tantum enim lucrum capimus ex iisdem, quia ex his quæ alii aliter et dicunt et agunt, et conflant et dissentiunt,

confitentur quia eum qui quæritur ignorant. Neque enim corpus est Deus, neque corporis aliquid, aliquis utputa color; neque in corpore, qualis putatur esse anima; neque circa corpus, sicut putatur sensus : sed liber est et a natura corporis et habitu, corporis enim natura in compositione habetur; quæ autem componuntur, omnia ea quæ ante jam facta sunt, compositionem accipiunt, utputa quod dicō, lapides erant creati, compositio lapidum fecit domum. Deus autem ipse auctor et initium est, et non ab his quæ erant facta ipse compositus invenitur. Simplex enim et uniformis est Deus, et compositus, quippe vivificans ipsa quæ est. Corpora enim quæ accipiunt vitam, ipsa et fraudantur vita. Qui autem nec initium accepit; Deus enim initium non accepit, quis enim et daret? non vita in corpore est Deus, sed vita. In tantum enim repetit cogitatus quod sibi utile invenitur, quia petræ quidem et lapides hoc ipsum ut essent habent; arbores autem et plantæ ad id quod sunt assumpserunt ut et exurgerent et germinarent, et crescerent, et pascerentur; animalia autem irrationabilia ad ea quæ dicta sunt etiam hoc assumpserunt, ut sensibilitas esset in eis. Nos vero cum his omnibus accepimus cogitatum et sensum, et ad nos usque semper quod erat honoratius, addimento efficiebantur honoratiora. Nobis autem ad superiora jam non ex additamentis agnoscitur dignitas, sed si forte a detractionibus. Detractionem autem dico non ex his quæ jam sunt et habentur ablationem, sed ipsam naturam quæ non indiguit istis : utputa non habet necesse Angelorum crescere natura; quæ enim non augentur, et non minuuntur. Quid ergo inferior est natura Angelorum, quia arbores quidem et plantæ pascuntur, et crescunt, et additamenta accipiunt; Angelorum autem natura neque germinat, neque pullulationem suscipit, neque ut pascatur aut addatur? Cui enim ablatio incrementi est, et aliorum quæ diximus non est

damnum his qui possident sine istis id quod sunt, sed dignitatis eminentia; multa enim non insunt Angelis, neque adsunt, quæ in nobis habentur. Et non quia deest illis quæ non habent, sed quia nos indigemus his, ideo nobis adest ad solatium id quod ab iisdem deficimus. Non sunt nuptiæ apud Angelos; data enim est viro mulier ad adjutorium, Angelorum autem unusquisque propria natura sufficit sibi. Non conficiuntur Angelis indumenta ut contexant quæ cohabitant, non domus iisdem; sufficit enim cœlum, non lectis indiget sine somno natura. Non mensa apud eos, forte autem nec pascuntur : aurum autem, et argentum, et æramentum, et ferrum, et omnium quæ miramur creata et inventa, apud nos usus habetur; illic autem nec nuncupatio nominatur, nec invenitur. Quid ergo? num ex tantis quæ putamus a nobis bonis superamus Angelorum naturam? nos enim divites auro sumus, Angeli aurum non habent. Non ideo pauperes inveniuntur quia aurum apud illos non est; sed magis illi divites, qui nec auro indigent nostro, nec argento. Quid opus est ferrum in cœlis? utrum ad culturam, aut ad navigationem, aut ad bellum, aut ad medicinam? Quid opus est permixtione illis, ubi non sunt commutationes? Sed nec servis opus est eis, sufficit enim unusquisque sibi. Et quæ putamus nobis esse magna, et bona, et necessaria quæque sunt nobis, illi naturæ omnia sunt otiosa; et quæcumque ex animalibus nobis sunt utilia, illis sunt non necessaria. Tauris enim ad culturam non habent opus, neque equis ad bellum; non indigent igne ad luminaria, neque ea quæ per ignem ad curam. Non aqua est eis necessaria, non ex mari, non ex terra, non illa quæ ex imbribus apportatur. Non somnum ad refectionem necessarium habent, non escas ad salutem. Forte autem quidam et mirantur audientes, qui mente ad Angelorum choros non pervenerunt : quibus enim beatitudo est

si manducent et bibant, et nuptiis utantur, et possessiones habeant, et thesauros recondant, et judiciariis dignitatibus perfruantur; his etiam ea quæ supra ista sunt minora putantur. Sed non contaminemus sanctum illum Angelorum chorum : non sit ibi fœmina, ubi successio necessaria non est; non quia creaturam accuso, unumquodque enim officium in sua natura jacet, bene translatum a suis locis et regionibus, et natura ad quam constituta est revocat ad se legis divinæ virtutem. Quomodo enim decori in mari sunt piscium greges? quomodo decoræ sunt illorum in meatibus fluminum exultationes? quomodo nitent in exitibus fontium? Si autem volueris istos, ut dans beneficium, ex aquis ad puritatem aëris educere, ad perditionem piscium beneficium fiet tuum. Ergo piscis quidem sit ubi est, quidam enim in mari sunt positi; et sint ubi eis est datum : alii in fluminibus et in fontibus natant, quia non indigent tuis beneficiis ad interemptionem. Quid ergo? quia bona est aqua piscibus, deponamus illic exultantes et homines. Secundum istum igitur sermonem, sint masculus et fœmina utiles apud nos et necessarii, hominum autem naturam contra naturam non deponamus. Si enim ascendere non potest natura piscium supra naturam, quomodo non magis timebimus si Angelorum naturam verbo ausi fuerimus deponere, quæ non descendit? Alias autem et nihil amplius fiet a nobis, nisi ut blasphememus. Nec enim etsi voluerimus vim facere illi naturæ, perurgebitur, sed illi quidem manent liberi ab isto habitu corporali. Neque enim masculus neque fœmina apud eos est, et non de terra. Et hoc, forte enim audisti mirabile illud Apostoli dictum, quia et apud quos natura statuit masculum esse et fœminam, apud istos ipsos fides et per fidem conjunctio invenitur. In Christo enim, inquit, non est masculus, neque fœmina. Si igitur ubi ex natura est masculus et fœmina, in Christo ef-

ficitur, neque masculus neque fœmina, sed imitatio Angelorum; cur non magis suscipimus gratiam ut assumamur, aut ut naturam Angelorum deponamus ad nostram? Sed nos erigamus nosmetipsos, et ad superiora cogitatum perducamus nostrum, ad Angelorum scilicet pratum; et assistentes pratis, videamus non nunc flores exeuntes, neque coloribus varios, neque in odoribus diversos; sed videamus illic cœlo superius locum, per Angelos autem splendentem. Multitudo enim illic non tanta quanta est stellarum. Si enim et multæ sunt stellæ, sed in magnitudinibus et corporibus constitutæ, locis indigent, et ex magnitudine cœli multitudo mensuratur earum. Tantæ enim sunt quantas capit et cœlum. Angeli autem non indigent loco, sed liberi a locis viventes sunt, et in alterutrum agentes : non in confusione quippe, nec exultatione corporea; sed semper in lumine sunt : ipsi lumen tale, quales et sunt. Apud illos enim non nox ad refectionem habetur, non dies ad exurrectionem : semper enim habent lumen, et lumen non hoc quod apud nos est; hoc enim sensibilitatibus mensuratum est, illud autem aliud aliquid. Nihil sane nos prohibet in iisdem ipsis comparationibus volutari, quia et piscibus lumen habetur, non tantum quantum et apud nos. Commixtum enim illud est lumen quod apud pisces habetur aquis, et ideo non ita sicut apud nos permanet purum; sed lumen et illic est, perlucet enim et ibi per aquas, sed non est ita purum ut nobis. Et si quis aliquando vi mersit in aquas, et in aquis suos aperuit oculos, vidit quippe quod apud nos est lumen, vidit, inquam, hoc clarum in aquis caliginosum. Utamur autem et alia comparatione; præsens enim istius horæ constitutio testimonium sermoni impertiet. Hoc quod apud nos purum est lumen, quia enim nubes adveniens constitit super nos, aquis utpote plena; non permisit autem tale ad nos lumen venire quale heri et pri-

dem habebamus in oculis; aëris enim tristitia pervisa ostendit quanta immutatio eidem ipsi lumini ab interjectis nubibus perficitur, ut apud nos : si autem præcepto Dei evacuatis aquis, fugatæ fuerint nubes, et natura ejus est, iterum nobis advenit lumen; non aliud quippe factum, sed liberatum a nubium permixtione, istam quam videtis constitutionem præbente. Ergo et in mari, et in aquis erat aliud lumen; non alterum quippe natura, sed sub introductione aliorum caliginosum. Ita et apud nos ex conventu nubium et aquarum hoc factum est quod videtis per nubes. Secundum istum igitur sermonem, et per aërem penetrans lumen non est tale quale a sole emittitur. Si enim maxime eo quod perspicuus aër habetur, latet permixtio. Sed si quis voluerit cogitatu evolare, et velut in aquis nubium se mergere, et nubes transire, et aëris permixtionem transcendere, pervidebit purissimum lumen. Sicut enim hoc quod apud nos est lumen regionibus et spatiis et offensionibus semper minuitur, ita rediens et ab aquis lumen abstergens, et a nubibus te separans, et a permixtione aëris liberans. Transcendens autem et istius luminis puritatem, relinquis et ipsum solum inferius. Transiens quippe et cœlum superius, occurres lumini : non illi qui a sole est, nec illi cui successio nox est, neque illi qui a parietibus prohibetur, nec illi cui offendunt umbræ, neque illi qui permisceatur aëri et aquis, sive per nubes, sive per mare; sed lumini puro. Et ne putes me nunc Angelos dicere lumen; est enim et super hoc clarum lumen clarius. In isto igitur lumine sempiterno, in isto qui non in successionibus habetur, qui non aliquando quidem est, aliquando autem non est; in isto qui cœlo superius est, et non a cœlo istic; cui sol non est genitor, non luna mater, non cœlum a stellis, non lucernarum splendores, sed lumen illud. Tu enim sine sole lumen videre non potes, nec ea quæ infra solem habentur,

et ea quæ quæruntur ut teneantur manu : non eorum qui quærunt quid gustent aut odore assumant; non eorum qui auribus edocentur, et oculis vident, sicut in aquis. Illic enim alia conversatio est, et alia in terra, et in aëre non eadem, et cœlum aliam habet constitutionem. Ita maneant ista istic, illa autem quæ inde sunt sint alia, non horum congeneres. Si enim clarior stella magis quam lucernæ lumen est, non te seducat, quia lucerna quidem illuminare videtur, et unaquæque totam domum, stellæ autem tantæ noctem non auferunt unum. Si quis enim voluerit scire lucernæ imbecillitatem ad stellarum lumina, abstrahe lucernam ab oculo, non quantum distat cœlum a terra, quia non est hoc tibi possibile, tamen quantum potes lucernam ob oculo separa; intueberis quia spatiis minuitur, et caliginatur, et infirmior arguitur lucernarum lumen. Si autem esset aliqua adinventio ut non solum unius lucernæ, sed omnium lucernarum flammam, et omnium quæ accenduntur; si esset machina quædam ut omnem istam flammam quis posset colligere, et in cœlo constituere ubi stella parvissima est posita; nec prorsus agnita fuisset flamma ubi posita haberetur. Cur ergo omnes stellæ non pellunt noctem? quia multis spatiis a nobis distant; tamen non quamlibet permixtionem luminis in nocte transmittunt. Si quis autem voluerit intueri, et comparare nubibus noctem, pervidebit quia nubes, licet non per omnia, tamen splendorem stellarum prohibent. Et cum hoc ita sit, inspiciet quid operentur stellæ, et quantum splendorem mittant in nocte. Et tamen stellæ omnes cum universis lucernis habent quidem affinitatem, quia luminosa qualitercumque utraque sunt : sed non solum a lucernis stellæ differunt, sed et stella stellæ differt in claritate. Stellis autem simul omnibus adunatis, splendor lunæ præfulget; et istam lunam omnibus stellis addentes, vincuntur earum fulgores a radiis solis. Sicut enim

stellæ quidem lucernas, luna autem stellas, et sol universa hæc luminaria, et ipsius noctis superat tenebras : ita et sol cum omnibus quæ prædicta sunt vincitur a lumine quod cœlo superius habetur. Et quomodo eadem Paulus contendens exhibere de inenarrabili Deo loquitur, lumen habitans inaccessibile; inaccessibile nominans, id dicit quod suscipi non potest. Lumen igitur Angelis illud est, cujus neque gustus neque comparatio apud nos invenitur. Regio autem ejus supra dorsum est cœli, possessio vero et divitiæ ipsis : non enim lecto et medicina et mensa, et eis quæ apud nos magna putantur, sempiterna illa indiget et sancta natura; illis enim somnus non est, non dolor, non labor. Quid ergo? Num otiosa eorum natura est? Habent opus dignum suæ substantiæ; Deum laudant non vocibus neque clamore. Quomodo ergo dicit Scriptura voces, et si permiserit tempus, contingemus audientes, et ista interim autem natura agnoscatur? Si autem et aliter apparaverit Scriptura dicens, agnita natura agnoscetur, et quibus Scriptura alloquitur. Denique et orator parvis aut non loquitur, aut sic loquitur ut parvi possunt audire; et Scriptura divina hominibus ut humane loquatur, aut silentio honoretur. Non ex his igitur ex quibus condescendens Scriptura loquitur nobis, debemus verbo deducere et naturas, et vim facere nobismetipsis, et ut pisces exilire e mari. Erunt enim nobis jactationes, non ad perditionem ut piscibus; sed quomodo ea dicam? ego quidem non possum. Decet autem opportune repetere non Domini vocem, qui piscatores a mari et stagnis et fluviis abstrahens, ait : « Venite, faciam vos piscatores » hominum[1]; » decet enim, inquit, homines piscamini. Et non tacuit, ne suspicio fieret perditionis; sed, Homines, inquit, piscamini ad salutem. Erigamus igitur nosmetipsos, exiliamus e mari, et a terra in qua stamus, et incidatur a

[1] Matth. iv, 19.

nobis aër, et scindatur nobis et cœlum; cogitatus enim non detinetur: et pennis desiderii cœlo superius accedamus, corpus istic ad congeneres relinquentes, et pedes in terra, quia ad cœlum non currunt, et manus istic ubi possunt et tangere; et aures hic audiant voces, et odoratio ubi habet necessitatem, et gustus apud eos qui pascuntur, et visio cum visibilibus maneat. Cogitatus autem, veste se spolians, corporis istius pondus deponat, et suas pennas moveat, et quæcumque deducuntur abscindat, et quæ sunt gravia et detinere tentant deponat, et sit in dorsibus cœli; et illic factus cum Angelis et Angelorum decem millibus, et Archangelorum millibus, in alia vita et constitutione et conversatione positus, obliviscatur omnium quæ dimisit, nec alienetur illic. Non alienabitur autem si, hic putans se esse, voluerit sæpius eorum quæ hic sunt ignobilitatem videre et motionem, et instabilitatem, et defluxionem, et defectionem, et deminutionem; quia obscurabitur et non stabit, quia et quando videtur promovere, per multos casus venit ad incrementum. Cum hæc omnia contempserit, illa autem desideraverit, et hinc jam ista quidem despiciet, illa autem considerabit, et evolans pervidebit; factus igitur cum his ad ea quæ desiderat, sciet quæ est dignitas cogitatus. Cum Angelis homines, cœlo superius terrestrique machina quis erit dux, quis sursum adducet; sed non concedet natura. Descendit Deus Dei Filius inde, et descendens quia incredibile erat homines illic ascendere, assumpsit hoc incredibile, hoc est nostrum corpus e summo descendens, non ad confusionem, sed ad salutem ejus qui assumebatur. Si igitur Deus non assumpsit, qui non credis si cœlum concedit his quos adducit sursum is qui de cœlo descendit, sed nondum ea quæ futura sunt, sed interim ea quæ potest cogitatus, siquidem est et admiratio, quia in corpore constitutus, et circa corpus potest deponere, non ut non moriatur, sed

ut eam quæ vere vita est vivificet. Forte autem et quidam audientes nunc istos sermones, cum sermonibus accensi, illud quidem quod erant deposuerunt. Quod autem non erant effecti noscuntur; sicut ferrum quoddam in igne fucatum negat quidem nigrum, negat album colorem, et totus efficitur ignis ex calore et incendio : ita forte quidem sermonibus istis accensi, corpus quidem et corporis gravitatem, et vitia et promotiones incidentes, projecerunt. Ipsi autem sermonibus istis evolantes desursum nos respiciunt, si tamen illic effecti patiuntur respicere istic, et non totos illic constitutos pœnitet quia ita tarde et non ante hoc. Forte autem nec pœnitere illos jam vacat, qui ita lætis quæ illic sunt factis noscuntur; non eis est otium in memoriam redigere ea a quibus liberati videntur. Istiusmodi enim homines illic non sunt homines. Sed sicut domum plenam thymiamate ingressi, et jam sensimus quod sumus, nihilominus tamen redolemus, ut thymiama facti : ita et qui illic jam facti sunt accensi, veluti a natura egressi; quod autem sapiunt, effecti sunt illic Angeli. Quibus enim intellectus ex imitatione æquus Angelis habetur aut similis, istis non prohibet natura conversationem. Qua enim de causa carnales nos vocat Paulus, non seducens nostras animas, magis autem subducens. Quis enim mortuus effectus fornicatur aut adulterat? Dicit enim ipse Apostolus : Manifestans opera carnis, quæ sunt adulterium, fornicatio. Carnis opera ista sunt; quis enim mortuus his involvitur? Hæc ergo viventes animis cum corporibus cum declives fuerimus ad carnes, caro tantum vocamur; cum autem promoverimus ad animam, animalis homo dicimur; cum autem transcenderimus naturam, spiritualis homo appellamur. Et non jam quia carnalis vocatus est fraudatus est anima, neque quia animalis dictus est jam non habet corpus; siquidem et spirituali homini et corpus inest ut homini, et anima ut animæ.

Si autem et istic constituti, quidam quidem caro tantum sumus, quia declives fuimus in terra; alii anima tantum, quia inter utrumque stamus; alii spirituales vocamur, quia transcendimus naturam : spiritualis igitur qui dicitur, Angelus appelletur; non quia ita ejus natura est, sed magis non efficiamur caro. Nec valde confidamus animæ, oculus enim sine lumine tenebrosus est ; et cogitatus sine efficientia superna vult videre, sicut oculus in nocte, et desiderat, et allicitur; laborat autem, quia non valet; cum autem advenerit lumen, efficitur oculus. Ita et cogitatus sine operatione Spiritus sancti palpat, contingit, promovet, crescit, puta quia iste lapis forte Deus est, istud aurum forte Deus, et hoc lignum. Dicit enim apud se, Putas mare Deus est? putas terra? putas aër? Unde et creaturæ transtulerunt nomina, ut non his quæ in consuetudine sunt appellantes, sed ea quæ colebant nominantes, convincerentur quia vim faciebant opificiis. Qui autem valde putaverunt se ascendere, sursum pervenientes usque ad stellas, occurrerunt lunæ et viderunt solem, forte autem et cœlum, et permanserunt illic, et passi sunt vitium sceleratum : sicut qui ad regem festinat, ad regia palatii accedens, magna et clara et rege digna conspiciat, et cum debeat magis desiderium suum ad eum qui quæritur propalare, stupens valvas regias, et putans nihil amplius esse regem a suis, resideat ad ea quæ prima occurrerant; fraudatur regis visione et natura. Sed nos non retineat terra, non præfocet mare; non offendamus in stellis, non obtenebremur a luna; neque nos caliginet sol, non detineat cœlum : Dominus enim et opifex et creator omnium eorum quæ dicta sunt et non sunt dicta, est ille qui quæritur. Ad Deum igitur, o homo, ad Deum horum omnium quæ bona et clara sunt! Nihil miserius est quam ut quis in lumine offendat : sed cæcorum hoc vitium est. Non obtenebremur a sole : vides eum orientem et occidentem, et cedentem

mensuris : sed ipse præco est ab oriente usque ad occasum; prædicat eum qui se fecit, et dicit, si tamen tu audis, magis autem si vides : Non sum ego Deus, sed ille cujus sum et ego opificium. Me vides, ille invisibilis est. Visibilis ad invisibile contraria est natura : nam etsi sum clarus sicut sum, sed clarus qui videor; ille autem invisibilitate transcendit fulgoribus omnia. Non me honorans dehonestes. Non sum ingratus ad conditorem : sufficiunt mihi beneficia quæ accepi; noli addere quod non suscipio. Creatura sum et non creator, opificium et non opifex; factus sum, et non is qui fecit : istinc sum cœlo, et inde oculis videor; ille invisibilis est. Ego in loco confirmatus sum; ille liber ab omni est loco. Ego parietem cœli teneo in qua sum et positus; ille autem implet omnia. Ego ex loco ad locum accedo; ille et mihi separavit locum. Vide me et noli connumerare quæ non connumerantur. Invisibilis et visibilis quomodo connumerantur? Qui in loco, qui sine loco, quam habent communionem naturæ? Ego orior et occido, quia et possum utraque ad jussa complere : ille supereminet, non indiget ut oriatur, non immutat locum, semper in eo ipso quod est manet, semper ipse est qui est; ab illo et calor est, ab illo dantur et cursus mensuræ, ab illo mensuratum est cœlum. Nam etsi spatio longe sum, tamen calore confiteor natura : ille invisibilis est. Meum intueris habitum, ille sine habitu est. Tanta mihi sunt et alia ex quibus nihil ad illum pertinere videtur! non tactum incurrit, non loco ambitur, non loca circumdat, non habitus circa ipsum, non compositio ad gloriam. Ille natus annato est, per illum et ego et omnia facta sunt. Nolite me convertere ad blasphemiam, per me blasphemare nolite. Littera sum ad gloriam ejus qui me fecit : cœlum enim liber est magnus; ego autem cum affinibus meis sumus litteræ religiositatis. Legite lunæ virtutem, crescit et minuitur, et semper immutatur, et annuntiat immutabilem :

et in illa iterum habitus invenitur, siquidem et illam videt oculus, et nunquam in eo ipso quod est manet. Nolite nec istam mecum pariter blasphemare. Quid nos calumniamini: modo quidem me dicentes fornicatum esse; modo autem lunam, quia adulterium admisit? Nolite deponere nos contra naturam, neque iterum extollere supra naturam. Dicitis quia ego mulieri confabulatus sum: quibus operamentis? quibus membris? quo habitu? Quemadmodum meam flammam potuit sufferre? quemadmodum splendores? Si enim tanto spatio meum radium sufferre non potest, in sinibus portare meam conjunctionem potuit? Nolite ita me turpiter calumniari, nolite ita insipienter extollere: non solum enim Deum ignoratis, sed et opificia ipsius Dei nescitis. Dimittite me quia fixus sum, cursum cœli conficio. Nolite me ad terram deponere verbis, neque deducere fabulis. Non prævarico legem, sursum sum positus; non immuto cursum constitutum mihi; non recedo ab officio; legem datam custodio; agnosco spatia cœli, quæ et jussa percurro. Terram calcare non est naturæ meæ, quando nox facta est importuna, quia ego descendi ad mulieris communicationem; cessate turpiter honorantes, fœde deducentes: nolite ora vestra in bonis versibus malis negotiis aperire. Quid me deducitis? quid me extollitis? Non descendo ad mulierem, non ascendo æqualis Deo. Quod autem erat mihi et otium relinquere cursum statutum mihi, quando interruptus est dies, aut quando non adveni currens ad ornatum, occupatus ad mulierem. Et luna fabulis deturpatur, sed arguit fabulas sua natura. Forte autem nec illud tacebit sol; si autem ejus non est naturæ ut loquatur, nos pro eo loquemur, si tamen pro sole et non pro Deo; non quia Deus indiget adjutorio nostro et defensione, sed homines constituti hominibus compatimur: videntes enim volumus iter ostendere non videntibus; generis enim miseremur nostri: illis quippe qui

vestibus quidem se nudant, cœno autem se operiunt, qui lapides portant, qui damnum duplex accipiunt, ut et aurum proferant et a Deo decidant, Non cessat sol nec illud in medium proferre, quia putantes eum deificare, in his maxime in quibus indignatur; adducunt enim ad omnem malignitatem hominum opera, et malitias soli et lunæ, et suas illis ascripsere luxurias. Non iste, inquit, homo adulter est, sed sol; veniunt enim ad illum locum, et mala hominum soli ascribunt. Et hominibus quidem nihil relinquunt mali; non luxurias luxuriosis; non homicidia homicidis; non adulterium adulteris; non mendacia mendacibus; non furta furibus : sed obliti eorum quæ blasphemabant dicentes deos, et omittentes homines qui delinquunt, eos quos vocabant deos nunc hominum latrones, homicidas, mendaces, malignos, adulteros, fures pro hominibus esse volunt. Sed apud nos homicida si forte unum occidit, et forte tristatus aut infamis factus, et tremens, et compulsus ob egestatem, aut iram aut inimicitias ; sol occidit eum qui interficitur. Quare quæ vicinia, quæ cohæreditas, quæ condivisio, quid passus, quid admittens, quid indigens, quid commodi sumus? Non sumus cannæ manibus stellarum motæ ad litteras. Tua, tua sunt, etiamsi calumnieris solem. Luna autem non operatur quæ calumniaris : non te liberat calumnia a peccato; acquiris tibi et blasphemiam. In eo enim dum dicis: Non ego admitto, sed Dei opificia. Quod enim ego non ego? relinquit illud ei cujus opificiis et blasphemiam addit. Si enim non sunt opera nostra quæ admittimus, sed sol, et luna, et stellæ per nos operantur; ita neque illorum sunt opera: æqualiter enim Deus constituit. Vide quod dicis; deum nominas quem piget nosse Deum, sed tibi facile est apud quem sunt dicere. Confundor et piger sum contaminare meam linguam, et maxime cœlesti visione descendens. Quid ergo, o sapiens! cygnus Deus est qui adversum virginem calet?

Confundantur qui aliquoties quidem taurum adorant, aliquoties autem tauro deum transfiguratum fingunt. Sed, dicite nobis, cur immutatus est ut virginem videret? Non enim habebat fœminas deus secundum vos? nonne sororem cooperatricem habuit, ut aliorum connubia furaretur? Non isti sermones sunt nostri, sed vestræ fabulæ scriptæ in libris, in simulacris, in parietibus, in saltationibus theatrorum. Indignaris quia dico ea quæ tu legens miraris; irasceris quia loquor de his quæ videns tu adoras; indignaris quia dico quæ tu in saltationibus videns et audiens delectaris. Dele ea ex poëticis libris, recede a theatris, et extermina ea a parietibus; confla ea, a simulacris recede, et congaudeo. Si autem permanes in cæcitate, noli indignari si convinceris, dicito si quid addidi. Si autem apud te sunt scriptæ auro et argento, et lapidibus, et parietibus, et theatris; si ego in parva hora et hoc pigens loquor, propter miserationem autem commoneo, quia quæ vides, ô homo, et oculis et sensu non intueris, ad hæc irasceris: si dei sunt, adulteri non sunt; si adulteri, non sunt dii. Si autem volunt habere adulteros deos, nos quidem eis non maledicimus; sint autem ut hi qui adorantur ab illis. Primus illorum deus non est satiatus libidine, in cœlo ut ipsi volunt sæpe cum sua conjuge agens: sicubi enim cum alia inventus est, statim a sua zelus accensus est; non enim credebat deo dea male de eo suspecta. Si enim et a mortalibus se non continebat, quomodo iste a cœlestibus, ut volunt, cessavit? Sed concedite linguæ: nunc enim aurum est in sinus virginum liquens, ut furetur ejus virginitatem; forte autem et bene liquescit libido dissoluta, si taurus deus illorum, qui non est dei progenies, fabulæ ex corde figmentum mendax natura taurus est: et quid putas vir et taurus portans virginem libidinis servus, concupiscentiæ minister, in collo virgo cum libidine domina? Quam enim figuram intermisit, quando quievit, ne

immutaretur cycnus, taurus, aquila, aurum? aut continens factus est nunc? multis enim jam annis non est factus aquila, et certe non pauci filii et boni nati sunt in deserto. Putas senuit, et concupiscentia cessavit; aut pœnitentiam libidinis habuit, et nunc se jam continet? jam enim non rapit puerum. Confundor et dicere sub qua occasione non suffecerat soror conjux, cooperatrix, ex qua nati sunt plurimi; sed jam nunc non nascuntur. Consenuit autem conjugium, cur jam non pariunt. Sed non suffecit illa, abiit ad mortales : suffecit non secunda eodem more; multiforme enim est malum. Non suffecerant mortales, ad masculos convertit libidinem. O poëta! quos irridebimus, magis autem quos lamentabimus, eos qui scripserunt, aut eos qui nunc usque illum qui in dextera portat aquilam adorantes et respicientes, aut colentes sunt? Sed putas quia iste solus extitit talis? nonne et citharista ille honestus? Primo quidem cur citharistas deos ponamus? quia ista decet harmonia decora; ista enim est illa in qua Olympias. Harmonia autem illa est vera, in qua cœlum est et terra posita, mare adjacet, et aër est compositus, et percutitur consensio. Non enim pellit mare terram propter harmoniam; non nox diei facit vim, non permittunt enim illius harmoniæ. Dicitis, Cœlum consentit his quæ deorsum sunt : tantum enim præbuit in eo sol positus quantum esset utile parari, et tantum accendit quantum erat conveniens, et pergit, et redit, ut neque abundans incendium exureret omnia, neque iterum si transcenderet frigore perirent universa. Sed et communes harmoniæ et partibus divisæ, sicut brevi silura majora cuidam, aliæ siluri canore consentiens. Istud mare magnum et spatiosum, cujus cœlum pulsant, terræ terminos non transcendit. Sed neque terra jurgans naturæ alacritate jurgavit, sed lex communis Domini est posita fines æterni, et in tantis sæculis digitus additus non est, fluminibus tantis et fontibus

in maris sinibus incurrentibus. Flante vento pascuntur flatibus naves, ad cœlum usque tolluntur. Et quis nonnunquam pertransiens timuit ne, ut minatur, ita effusum comprehendat astantem? Nonnunquam enim et declinavit mare, venit ubi ei statutum est; legislatorem et statutorem finis timens, et frangens fluctus ad littus, ostendit invisibilem per ea quæ videntur. Ista decet ei cithara quæ in frontibus hominum harmonias describit: ubi debeant esse oculi, et quid circa ipsos; ubi dentes, et quanti; ubi aures, et quot, et ad quid; ubi lingua, et ad quid; quis usus est oculorum; ubi ungues, et ad quantum; ubi capilli et ubi non capilli, quid intrinsecus; quid constringere, quid involvere, quid velare, quid jacere, et ad quid utile; quis suscipere escas et dividere; quantas mensuras debeat habere cibus, et quantum intus debeat permanere, et quando debeat purgare, et si transierit horam ostendit noxam. Ista lyra decet Deo composita melodiis membrorum: habet enim nervos et chordas in quibus et os ad os est, et viscera ad viscera, et membra ad membra, per quæ deponuntur et aperiuntur manus, per quæ flectuntur et iterum redeunt pedes, clauduntur oculi ad refectionem, et iterum revocantur ad opus. Et quis poterit dinumerare quantæ istiusmodi semper percutiuntur lyræ, non in uno tantum homine, nec in hominibus solis, sed et in omni animali? omnibus enim mensuræ, ætates, magnitudines dentium, cornuum; quibusdam et non sunt cornua. Aliis pili sunt, et cujusmodi capilli, ungues et cujusmodi ungues, pennæ et iterum non pennæ: et in aquis, et in aëre, et in mari, et in fluviis, et in fontibus, et innumerabilia quæ exurgunt, una tamen est harmonia. Cum enim suam accenderit lucernam, cum suum scilicet oraviis fuderit solem, cum a finibus orientis simul ad occasum transmiserit lumen, omne movetur animal, unumquodque ad quod ei natura est, Et mensa quidem communis est plena,

et aliud animal ad aliam properat escam, aliud alibi devitat; et quæ illis utilia non sunt, aliis convenientia habentur. Ejiciunt irrationabilia per istiusmodi harmoniam adducta, quis debeat gustare, et quæ debeat vitare, et cum quibus conversari. Ista decens Deo harmonia est, per quam sol statutus ad cursum est, et luna ad crescendum, et stellæ ad spatia; istam percutit per dies et noctes, siquidem et dormientes auget, et efficientibus otiosus non est. Et Deus quidem istam sine digitis et labore percutit harmoniam; ille autem qui fictus et non Deus est, accipit virginem. O injuriam! virgo ob pudicitiam fugit: deus autem qui dicitur, ob amorem libidinis insequitur, et non comprehendit. Velociores enim pedes fuere virginis pudicitiæ per voluntatem, quam ille qui a libidine dissolutus est. Qui ambulat sensim, qui passus sejungit, iste nunc festinans non comprehendit virginem; pedes enim a libidine dissoluti nec molles virginis passus comprehendere potuerunt: sed parum quid et pervenit, talis eorum deus, et bene comprehensa est columba ab accipitre musico; sed terra, inquit, miserta, humanior tali eorum deo visa, transtulit eam ad laurum. Et forte maluit virgo lignum fieri, quam a tali eorum deo corrumpi. Ille autem qui præter spem a tali venatione deciderat, videns virginem in arborem conversam, neque conversione confusus est, neque translata natura transtulit et amorem; sed adhuc fervens amore, adhuc ardens concupiscentia, amplectitur arborem et decerpit ex illa, quæ jam non erat virgo, folia, et confessus victoriam victum suum coronat caput, titulum utpote in corona libidini suæ constituens. Sed forte quædam poëta facilis et inconsiderate loquens mentitus de diis est talia, et non est insecutus virginem citharista. Quid adhuc usque in simulacris ex ista arbore coronatur? ut putant quidem, ob honorem. Si autem honor est fornicationem audere, fornicatio-

nem insecutam quidem, non comprehensam autem adhuc usque accusabilem, et fingunt in simulacris, et pingunt in parietibus. Sed quid mihi et istis est? Revertere lingua, et audi Psalmum, o anima : « Convertere, anima mea, ad quie- » tem tuam[1]. » Quid mihi est eos qui foris sunt judicare? sufficit eis quia in his volutantur. Cessent de opificiis non bene sentire; fruentes enim opificiis sentiunt, et ipsorum Creatorem injuriis petunt. Sint ut volunt, et certe nolo eos esse ut volunt. Noster autem sermo fugiat, quantum potest, illorum fœtorem, quia apud ipsos sunt figmenta, fabulæ, simulacra, adulteria, fornicationes, sanguis, lapides, ligna, dæmones, nuditates, turpitudines, dicenda et non dicenda occulta. Fugiens autem inde, agat gratias ei qui se liberavit ab istiusmodi. Erit enim gratia duplex, quia et liberavit a falsis, et ad vera adduxit. Liberati igitur ab his, et digni judicati estis. Deo non nato Patri per unum unigenitum suum Filium cum Spiritu sancto sit gloria, honor, imperium, majestas, et nunc, et semper, et per omnia sæcula sæculorum, Amen.

[1] Psal. CXIV, 7.

LIBER QUINTUS.

Quæcumque ex cogitatu debent colligi et requiri, vel exhiberi, quia incorporalis est Dei natura, et jam si non quantum res ipsa deposcit, tamen quantum ad nostram pervenit virtutem, magis autem quantum imbecillitati gratia donavit, ista per multos præteritos et adunavimus dies et tractavimus in commune. Et si quis pervidit aut intellexit aut meminit, nullam jam habet dubitationem de illa natura qua incorporali decretum est : sed forte multa illa sollicitudo, quæ per cogitatus processit, ad aliam quamdam suspicionem nonnullos adducet. Dicentes enim qui volunt pervertere recta, quia cogitatus quidem boni et veri et decori et recti de Deo sunt et habentur; Scripturæ autem his bonis et rectis cogitatus non consentiunt, sed magis per ea quæ dicta sunt accusant cogitatus quam commendant. Erat autem propositum non quid dicimus non simpliciter de Deo, quia nec nobis est potestas sicut gentilibus ex corde de Deo loqui, sed qualem eum Scripturæ introducunt, et qualem ipse se interpretatur, talem oportet suscipi et adorari. Gentiles enim qui omnia ausi sunt, omnia transfigurant et fingunt, et non solum in templis et simulacris et imaginibus depingunt et figurant, sed et ipsum quem videntur incorporalem dicere Deum ex corde fingentes producunt. Unde et is qui apud eos actor putatur apud alios creditur : quia enim is qui est agnitus non est ab iisdem, fama autem ad eos in novissimis pervenit temporibus, tamen ex auditione Moysei, quia famam de uno Deo et ipso Creatore audierant, qui in multis sæculis opificia intermisso Creatore ad-

oraverunt, alius aliud nuncupatione suggessit de eo quem audierant; ita ut quidam scribentes præcepti sint ex nomine solo imaginem describere, non hominis, inquam, aut alterius cujuscumque status, sed simpliciter nuncupationem ex fama. Necesse enim erat istos qui Scripturam ignorabant, naturæ autem audierant nuncupationem de incognito, aliter autem et alterum aliter ex corde fingere, æstimatione quippe de eo quem ignorabant; et ideo per omnia erraverunt. Inde est ut non solum sibi dissentirent de Deo, sed et adversarentur. Quidam enim dicit quia providet, alius quod non providet; et alius quia usque ad lunam provideat, alius quia in omnibus providet. Et quidam dicit quia incorporalis est, alius quia corpus est. Ista commendatio ignorantia est eorum qui nesciunt quid loquuntur. Sed illi quidem audentes, aut aliter de Deo sentientes, omnes erraverunt. Nec enim ex corde humano Deus produci debuit, sed a Deo edoceri de Deo. Nobis autem necesse est ea surgere et tractare quæ ex Scripturis didicimus sanctis, quia incorporalis est Deus. Sed non sufficit pronuntiare, neque rationem cogitatus adire, sed ostendere quia et ipsi, et qui in iisdem cogitatus habentur, per omnia consentiunt his quæ Scripturæ veteris et novi Testamenti de Deo pronuntiant : forte autem et totum suspicabitur quidam, et corporaliter in Scripturis proferri Deum putabit; forte etiam et partibus compositum ex Scripturis putabit, colligens membra quæ dicta sunt. Oportet igitur primum suspicionem, qua dicunt in corpore esse Deum, aut corpus esse disseri, ut apparentibus vinculis agnoscatur solutionis magnificentia. Totum itaque videtur corpus introducere Scriptura quæ dicit : « Quia ambulat in Paradiso[1]; » aut quæ iterum dicit : « Quis est qui venit ex Edom[2]? » et quæ dicit Scriptura : « Vidit sedentem supra sedem majestatis suæ[3]; »

[1] Gen. III, 8. — [2] Isai. LXIII, 1. — [3] Id. VI, 1.

et aliæ quæ ait : « Sedes sunt positæ, et vetustus dierum se-» dit[1]. » Qui enim in Paradiso ambulat, et qui venit ex Edom, et qui apparet ut apparuit Hiesechiel, et qui sedit secundum Danielem, et qui sedit secundum Isaïam, corporalem quamdam ambitionem suggerit. Et hoc quidem veluti de omni parentibus autem ut videamur et depingere : « Oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces eo-» rum[2]. Os Domini Sabaoth locutum est ista[3], » faciens Deum et membratim, et tota facies istic descripta est, et post hæc quæ insequuntur : dicit enim Scriptura : « Dextera » Domini fecit virtutem[4]; » et : « Sede ad dexteram meam[5], » quam rem insequitur et a sinistra esse. Et iterum : « Cœlum » sedes est mihi, terra autem scabellum pedum meorum[6]. » Per ista itaque omnia a capite usque ad pedes videtur membratim fieri compositio, quantum ad sermonem spectat. Addemus autem incertis his : « Capilli capitis ejus[7]. » Ergo et capilli, et caput cujus et capilli, et adhuc amplius quantum ad exteriorem partem invenitur vestimentum, modo quidem rubrum, modo autem album. Si igitur et vestimentum circa ipsum, quæstio est et de indumento, utrum vivens quædam natura est et vestimentum, aut quomodo illic vestimentum habetur, et quæcumque convenerimus, ut de indumento dicamus oportet moveri. Et iterum: si « vox Domini fecit, *si* vox Domini in virtute[8], » et vox Domini frequenter in illo psalmo dicitur, et secundum unumquemque Prophetam invenimus dictum : « Dixit Do-» minus ad me. » In Evangelio etiam : « Desursum vox facta » est[9] ; » oportet enim immisceri ea quæ ex novo sunt Testamento veteri, ne iterum hæretici separent et alium introducant deum. Adjuncta autem sint ista ex Scriptura,

[1] Dan. VII, 9 — [2] Psalm. XXXIII, 16. — [3] Isai. I, 20. — [4] Psal. CXVII, 16. — [5] Psalm. CIX, 1. — [6] Isai. LXVI, 1. — [7] Dan. VII, 9. — [8] Psalm. XXVIII, 4. [9] Luc. III, 22.

unde et omnia mota sunt : « Factum est autem die tertio,
» cum mane factum fuisset, et factæ sunt voces et fulgura,
» et nubis nimbus, et super montem Syna vox tubæ cane-
» bat valde. » Ergo et tuba sonabat magna. « Et turbatus
» est omnis populus in castris, et produxit Moyses populum
» in obviam Deo de castris, tanquam jam præsente illic
» Deo, et constituit eos sub montem. Mons autem Syna fu-
» mabat totus, propter quod descendisset Deus super eum
» in igne[1]. » Si descendit, et in montem descendit, et ascendebat fumus tanquam fumus fornacis; et obstupuit totus populus valde, fiebant enim voces tubæ prodeuntes fortissime; valde Moyses loquebatur, et Deus respondebat ei voce. Et descendit Dominus in monte Syna super cacumen montis, et vocavit Dominus Moysen in cacumine montis, et ascendit Moyses, et dixit Deus ad Moysen. Hæc quidem de eo si descendit, et si videtur, et si vocibus loquitur Deus, et si tubæ aderant, et si in ignem descendit, quid sibi vult fumus? Sunt autem ex sequentibus aliæ quæstiones, sed bene est sensim accedere ad proposita. Et sicut hi qui ædificare desiderant, et lapides transferre cupiunt, si singulos transtulerint, multos poterunt adunare; si autem multos simul levaverint, nec quidem unum levare poterunt: ita et nos interim; prima enim dicta intercipere facile videtur audentibus, timidis autem difficile. Si enim voluerit quis dicere, Locutus est, non est locutus; vox non vox, facies non facies : simpliciter videtur facile quid operari; audacter autem operatur. Sed oportet nunc ab ipsa Scriptura accipere solutiones, et ostendere quia istæ voces ita quidem dicuntur, non ita autem debent intelligi. In ipsis enim iisdemque sermonibus primo exhibet necessitatem ob quam ita apparuit Deus; dicit enim : « Ecce ego venio ad te in
» columna nubis, ut audiat populus loquentem me ad te,

[1] Exod. xix, 16.

» et credant tibi in sempiternum [1]. » Et iterum ad populum dicit : « Vos vidistis quia de cœlo locutus sum vobis [2]. » Et certe ex monte Syna : quomodo ergo potest fieri de cœlo et de monte Syna simul? « Vidistis, *inquit,* quia de cœlo » locutus sum vobis. Nolite vobis facere similitudinem om» nium quæ sunt in terra. » Et certe si similitudo erat qui apparebat, deberent videntes magis adduci ad ipsius similitudinem. Si autem dicit : « De cœlo locutus sum vobis, » qui dicitur quia de monte Syna? manifestum est quia ambitionem præsentiæ suæ ostendit in monte, ipse autem in sua manebat majestate. Cur autem et a monte Syna apparet qui de cœlo : « Ne timueritis, *inquit,* quia tentare vos » venit Deus, ut sit timor ejus in vobis [3]. » Non ergo natura est quæ apparebat, sed dispensatio quæ adducebat. Quia enim audacissimus erat populus, quia semper declivis ad idololatriam habebatur; qui enim humilis erat, et desiderabat per manus contingere Deum, et per oculos videre. Quia enim talis erat populus, misericors autem Deus et bonus, facit eis timorem qui nec post timorem timuerunt, et dicit : « Quia si quis appropinquaverit, morte morie» tur [4]. » Et certe oves erant illic ante hoc, et non sunt mortuæ. Moyses enim illic pavit, Moyses erat illic ut pastor, necdum est Propheta, et non est mortuus. Utique et alii ante Moysen : sed propter adventum, quis dicit, Dei dixit, quia si quis appropinquaverit morietur. Nonne magis deberet vivere qui appropinquat adventui Dei? Sed terrere vult populum audacem; unde et tubæ sonant canentium. Quid enim magnum est Deo operamenta creare ad istiusmodi necessitatem, aut sine tubis sonum talem emittere? Non ab re autem est quædam ex Daniele apponere, sed et opportunissimum. Quia enim diximus quia non erat impossibile Deo tubas creare, aut sine tubis sonum audiri,

[1] Exod. XIX, 9. — [2] Id. XX, 22. — [3] Ibid. 20. — [4] Id. XIX, 21.

scriptum apud Danielem est, quia « Manus ingressa sola » scribebat in pariete[1]. » Ista manus Deus est, aut Angeli incisio est? Sed quia deberet videri non tenens, forte autem nec atramentum bajulans, neque alio aliquo operamento abusa, aut ipsa usa, addatur et canna, et atramentum creatum. Aut si hoc quis voluerit accipere, scripsit manus, et dum scripsisset, recessit. Quid manus ista dicebat, cujus Dei sola manus, et ubi est totum? aut Angeli, et ubi est totum? incisio erat passibilis. Ergo quo ista incisio est? Quid ergo est sententia visa? Ut enim sciret rex qui ausus est ideo manus ad lucernam indigens, quæ nec oculis visa sunt. Et certe ut scribat quis, valde intentio necessaria est, et videntium oculorum, et acute videntium; nunc autem scribit sine oculis, sine tenente, sive cum atramento, sive sine atramento, sive sine aliis operamentis, sive cum aliis admiratio est : qui valde carnales sunt, qui corporales, qui volunt Deo corpus dare, respondeant nobis, illa manus corpus erat aut non corpus. Si corpus sine humeris non moveatur, sine toto corpore non sit manus. Si autem apparet manus, et scribit manus, et recedit manus, agnoscatur quæ est natura visionis præsentis. Importunum autem non est adjungere, cur et manus. Si enim jam dictum est, quia oportebat sententiam scribi, sed forte ideo per manum, quia et pater hujus regis adversum quem ista sententia scripta est, ob populi delicta potuit et populum tenere et templum. Et populum quidem abduxit captivum. Condicens autem quia prophetiæ factæ sunt a Deo prænuntiantes captivitatem populi quæ per eum facta videtur, vasa sacerdotalia accipiens, et hoc superbus et erectus, et alta cogitans, ut Propheta de eo diceret : « Tu dixisti in corde tuo, Ad » cœlos ascendam, supra nubes ponam sedem meam, et » sedebo supra montes altissimos ad aquilonem, et ero si-

[1] Dan. v, 5.

» milis Altissimo [1].» Qui talia sapiebat, et talia loquebatur, et talia cogitabat, iste accipiens sacerdotalia vasa, non est ausus uti iisdem, sed tanquam in ratione honoris posuit in templis, non consecrans idolis, sicut quæ insequuntur demonstrant, sed recusans vasis uti divinis. Isti succedens filius ejus in regno non ei successit, et secundum istum honorem; sed innovans potestatem regni sui, profert vasa sacerdotalia, et bibit in ipsis. Et quia ipse et sui male extenderunt manus suas ad vasa; quia enim manibus tetigerunt ea quæ eis non contingebant, manus pro manu exiens scripsit juxta lucernam, ut qui aderant homines viderent sententiam. Quæ ergo est manus illa? Non corpus, neque ex corpore incisio, sed efficientia ad visionem veniens, ut agnosceretur sententia invisibilis. Suffecerat autem et manus ostendere virtutem, et interpretari obscuritates, solvere dubitationes : sed non est egenus dives. Invenimus enim in in Scripturis et forte multa quæ, ut quæstiones motæ sunt, possunt nobis ad solutionem prodesse. Novimus enim et de Daniele, quia vidit « sedes positas, et vetustum dierum » insidentem, cujus albi erant capilli, et vestimenta candi» da [2]. » Et certe et hoc accipiebatur propter contumaciam, aut propter negligentiam. Ad ostentationem quippe, quia corpus est Deus; sententia autem virtutem sermonum exhibet, quia maxime exhinc incorporalis ostenditur Deus : quis enim ignorat omnem qui oculis utitur, quia oculo contingit ea videre quæ adsunt? quæ autem in crastinum aut post parvam horam, aut post momentum fient, non videt oculus. Danielis autem visio initium quidem habet a leæna, post leænam autem introducit ursum, tertium animal ut pardum, quartum tale cujus natura apud nos non invenitur. Interrogabo volentem contendere, Leæna regnum est. Si enim quod vidit Daniel erat visibile; leænam autem

[1] Isai. XXIV, 15. — [2] Dan. VII, 9.

vidit. Non vidit regnum, sed leænam. Ne igitur removeamus dictum, Scripturam videamus. Si enim ipse Daniel interpretans, aut interpretatam ab Angelo visionem audit, quia primum regnum est Chaldæorum, intueris quia quod visum est leæna erat, quod autem interpretatur regnum. Aut dicat qui voluerit, Putas fera aliqua erat et vivebat, et talis qualem vidit Daniel ? Si autem insignia vidit regni, interpretationem autem agnovit, visiones corporeas facere non debemus. Ursus autem apparebat secundus post leænam, et tria latera erant in ore ejus. Putas quia et latera viva erant, et unde ea accipit ursus ? Putas aliquod animal expugnans quod in consuetudine est apud nos; aut significat, quia per tria latera tres regiones habebit illud secundum regnum. Tertius autem pardus quidem erat quantum ad visionem, quatuor autem capita habebat. Si quis autem vestrum vidit in natura quatuor capita pardum habentem, sit visibile et animal istud. Si autem naturam convertit, formantur autem regna per istiusmodi visiones, ad corpora non compellamus. Quarti autem animalis in totum nec figuratio est posita, eo quod immutatum et novum a cæteris videbatur, ut ne quidem similitudo in eo alicujus animalis inveniatur : hæc vidit Daniel. Et ante hæc : « Vidi, *inquit,* » quatuor ventos cœli immittentes in mari magno[1]. » Putas et venti visibiles fuere ? Quatuor autem simul immittuntur in mari. Et mare vidit, ubi agens præsens mare, aut non præsens conspexit. « Et quatuor, *inquit,* ascendebant feræ » de mari : » leæna ex mari, et ursus ex mari, et pardus ex mari. Intueris quia ipsa Scriptura per ea quæ videtur ligare, per eadem et solvit. Mare in illis non erat locis ubi erat Daniel. Puta quia erat leæna, et ursus, et pardus, et novum illud animal. Ex mari quomodo ascendunt ? Venti autem quomodo videntur. Puta quia visa sunt ista. Ascendit leæna

[1] Dan. II, 7.

ex mari, quomodo regnum in terra. Si autem regnum in terra est, non est jam leæna : quod enim visum est, aliud erat; quod autem interpretatum, aliud. Sed puta quia transfert et leænam ad regnum : interpretatur enim Angelus ei qui viderat et reliquas feras, unumquodque in sua constitutione. Si ista enim quæ apud nos sunt et visibilia habentur, transferamus ad invisibilia, et dicamus quia non aderant, sed visa sunt, et visio est, et non naturæ progenies. Transeamus ad Deum, ubi sedes sunt positæ, et jam non dicamus sedes aliud aliquid, sed ipsas sedes; et non jam dicamus quia visus est qui non est visibilis, sed visio est. Judicem introducere audeat qui vult, sic concedit ei Scriptura. Meminisse autem oportet quia suggessimus quod suggerit et natura, quia oculi futura non vident. Neque post quodlibet momentum leæna primum regnum tunc sub Daniele erat, ursusque ejus successit regno, pardus tertium regnum. Non enim unoquoque animali regnum, sed unaquæque fera regnum est habens multos reges. Ergo usque ad quartum regnum multi reges. Post quartum autem regnum judicium adversum quatuor, et quatuor non adversum primum. Daniel autem et primo, et secundo, et tertio, et quarto regno judicium post novissimum quartum, in uno momento vidit. Numquid possunt adunari ea quæ hodie facta sunt, cum his quæ crastino fient, et tertio et quarto die, ut videantur? Si igitur ea quæ in quatuor diebus fiunt ad unum momentum convenire non possunt, quomodo ea quæ in quatuor regnis facta sunt et fient, in tantis sæculis et temporibus in uno momento oculis videri potuerunt? Ergo quæ vidit Daniel futura erant, quia quæ incipit videre non videt quæ videntur, sed videt quæ non videntur. Ideo autem et nuncupatio erat Prophetarum ista, ut dicerentur qui vident. Quia enim et apud nos quidam vident, quidam non vident, et ad cæcos comparatio est eorum qui

vident, et diversitas et discretio est. Sumus autem quantum ad considerationem visionum non videntes. Vident autem Prophetæ quæ nos non videmus. Ex ipsa ergo efficientia acceperunt et nuncupationem qui vocabantur Prophetæ secundum veterem vocem, cum maxime exceperunt his qui vident. Unde et multæ inscriptiones tales inveniuntur, dum dicit : « Visio quam vidit Isaïas adversus Ægyptum : Visio ad- » versum Babyloniam[1]. » Quia igitur videbant, ut videbant, videbant autem non ut homines. Quæ ergo oculis hominum non videntur, non sunt corporalia. Vidit Daniel. Quid vidit? quia *sedes sunt positæ.* Quando? Si enim judicium vidit, tunc utique cum quarti regni interemptio futura est. Iterum tamen cum hæc videret, non fiebant ea quæ videbat. Cur autem et sedes videt? *judicium sedit,* visio ad efficientiam facta est rei. Quia enim apud nos judices in sede sedentes subditos sibi judicant, dicit : « Sedes sunt positæ. » Et certe si talis esset Deus natura, non debuit dicere, Positæ sunt sedes, sed, erant. Si autem positæ sunt quæ non erant antea collocatæ, et sedit qui ante non sedebat : ergo nec tunc positæ sunt, nec tunc sedit; sed ostendit per ea quæ cognita sunt nobis verba, efficientiam Dei ad judicium. Denique et descripsit illic albos capillos, candidam vestem, ignem ante judicem, et fluvium igneum. Dicit enim quia « Vetustus dierum sedit. » Cur vetustus dierum? Et certe ne quidem dies opus sunt Deo : sed quia resurrectio fiebat in exitu ætatum regum, multum tempus necessarium habebatur. Quia enim per multos dies expediebatur istud, vetustum dierum nominat judicem. Et quia mundum erat judicium et purissimum, et inflexibile, albi capilli mundi judicis, et candida ejus vestimenta et immaculata dicuntur. Ideo et capilli albi sive vetustatem annuntiantes et ipsi, sive judicii puritatem. Ego autem et contingere istiusmodi

[1] Isai. XIX, 1, et XIII, 1.

habitum pertimesco. Si autem non erat quod diceretur, quod posset omnibus videri recedere ab istiusmodi sensu, tacerem. Sed timidos, inquit, facitis filios Israël. Cur autem et fluvius illic igneus currit? dicit quia interfecta est bestia, et corpus ejus datum est igni ad exurendum. Qua enim sententia bestiam mittebat in ignem, prius præparavit operamentum per quod futurum erat judicium. De his igitur quæ in Daniele sunt posita, et bestiis illis, manent quæ visæ sunt feræ, non autem quæ annuntiabantur regna, et ex temporibus quæ habent spatia sæculorum, quæ conjuncta sunt per visionem ad unum momentum, et ex eo quod judicium non tunc est factum, quando et visum est; non solum ad suspicandum Deum corpus esse non debuit non sinere, sed potius ad satisfactionem venire, quia incorporalis est Deus. Est autem rationi, et his similia addere. Ipsa enim visio Danielis quæ per bestias facta est, soror est ejus quam vidit per imaginem Nabuchodonosor, et salvatur cum pœnitentia comparantur, et e contra ponuntur ea quæ in imagine visa sunt, et ea quæ per visionem istam ferarum ostensa noscuntur. Quatuor enim erant et istic feræ diversa natura; quatuor autem et illic materiæ concurrunt ad compositionem unius imaginis, et nihil nos prohibet unum ad unum interrogare et videre. Leæna regnans habetur in feris: aurum autem præcedens in istiusmodi materiis; fulget enim, et sicut ignis in nocte, ita aurum inter cætera quæ possidentur. Accipiamus igitur ab imagine quidem caput aureum; a visione autem istam leænam. Et forte ideo utraque fœmineo nomine, quia et regina. Inde accipiamus argenteum pectus, et brachia: post aurum, argentum; post leænam, ursum: et tria illic æramentum, istic pardum; subducitur enim secundum pœnitentiam comparatio. Inde jam permixtum ferrum cum testa. Istic bestia cujus figuram propter varietatem non manifestavit. Et illic lapis commi-

nuit imaginem; istic judex judicat bestias. Si quis igitur contentiosus voluerit hæc visibilia esse, dicat nobis utrum caput est aureum leæna; utraque enim ad hoc ipsum concurrunt, et utraque sibi non similia, neque qui annuntiatur. Quid enim ad leænam aurum? quid autem utraque ad regnum? et ita ea quæ insequuntur, quæ et ab imagine proferuntur, quæ et a bestiis discernuntur. Et illic lapis sine manibus, ut non hominis sit opus; istic judex. Et illic quia materiæ erant, comminuuntur; istic quia bestia erat, in ignem mittitur. Ita habemus et Pharaonis spicas, et boves septem et pingues et macilentas. Et quantum ad naturam spectat, boves quidem spicas manducant, spicæ autem a bobus comeduntur. Quod autem significatur et ab his qui manducantur, et ab his qui manducant, ipsam eamdemque habent virtutem. Ad quod enim fuerat acceptum non dissentit, sed et necessaria visio est. Quia enim de annis, et nativitate, et fructibus erat, spicæ autem horum sunt genitrices, per spicas quidem anni annuntiantur; quia autem per opera boum nascuntur spicæ, boves quorum operatio fruges sunt, et spicæ boum nativitates, accepta quidem sunt varie, annuntiarunt autem effectu. Putas ergo fructus bovis est aut spicæ annus? Sed alia quidem sunt quæ videntur, alia autem quæ annuntiantur. Joseph autem manipulos vidit; nonne deberent et istic anni esse? Sed ait : « Somniavit autem somnium Joseph, et retulit fratribus suis, et dixit eis : Audite somnium hoc quod somniavi : Putabam nos alligare manipulos in medio campo, et surrexit meus manipulus, et rectus stetit, et conversi manipuli vestri adoraverunt meum manipulum[1]. » Et interpretatur pater et suspicantur fratres, quia incipiet regnare super fratres suos. Et nunc quidem manipuli; iterum autem ipse solem et lunam videt et undecim stellas. Differt in gloria stella,

[1] Gen. xxxvII, 6.

manipulus non differt. Sed apparet quia stella manipulo ad quod accepta est non est melior : cum enim pater positus est in loco solis, mater autem in loco lunæ, fratres consequenter efficiebantur in loco stellarum : forte autem nec ista simpliciter debemus transire; sed quia occasio adorationis facta est fructuum abundantia, ideo non ab alia occasione vidit adorantes se fratres, quam a manipulis messium. Si quis autem voluerit et stellas, et lunam, et solem requirere, ad istum sermonem inveniet concurrere. Quis enim ignorat ex omnibus Moysi vocem, quia ex frugibus quos nutrit sol et luna facta occasio est visionis ? Ergo quia fructuum erat occasio, per ea quæ fruges enutriunt facta est et visio duplex. Putas ergo quia aliquis ex his qui adsunt, invigilans et sobrius, cogitavit apud se ut sobrius quia istæ visiones per insomnia sunt factæ, et forte suspicabitur vim facere nos et his visionibus quæ per insomnia factæ noscuntur, et ad solutionem eas accipere quæ videntur per oculos visæ ab invigilantibus. Si enim ita esset, surripere deberem, et hoc ipsum suadere et ludere : forte autem et si tacuissem, quia per insomnia factus est mihi sermo, viderer his qui adhuc somniantur, et inauditum edicere quid et exhibere. Quia autem veritatis est locus, et non nos seducere oportet neque suasioni captare, sciamus quia hæc quæ dicta sunt, omnia per insomnia visa sunt; siquidem et Nabuchodonosor somnium vidit, et Daniel illud quod diximus per somnium vidit, et Pharao et Joseph per insomnia habuerunt istas visiones. Nihil ergo mirum si et nobis per insomnia appareant quæ videntur. Alia enim de aliis frequenter videmus, aut tempestatem maris, aut nosmetipsos trahi a fluviis, aut prata, aut fructus, aut quia de tectis dejicimur, aut quia thesauros invenimus, aut quia amisimus aliquid, aut quia subingressus est quidam, aut quia alius exivit, aut quia locutus est nescio quis, aut quia dedit ali-

quis. Erant autem omnes istæ ambitiones, sicut dicit Isaias : « Sicut qui vidit semetipsum manducantem per somnum » aut bibentem, evigilans autem adhuc esurit aut sitit[1]. » Cum maxime visi sumus exolvisse et ista, et unusquisque audientium jam suam refecerat mentem, tanquam solutione inventa, et sollicitudine soluta; subito quæ putatæ sunt visiones somniis revelatæ, iterum nobis constrinxerunt vincula quæstionum, et tempus apprehendit taciturnitatis. Forte non importunum tempus neque inutile est : si enim et quidam præsentium est, qui horum scientiam per noctem accipere incipiet tractans et repercutiens insomnia, et ne quidem ipsi somno concedens, forte scrutans per noctem cum otio, et a lumine nocturno fulgores accipiens, quæret vinculorum horum solutiones; et si quidem invenerit, lucratus est, et sursum et deorsum convertens, et quærens, et volutans, persistit in incerto, sollicitior venit ad inventionem solutionis. Scio autem quia unusquisque qui hic assistit exiens, de his quidem erit sollicitus, curam ventris non habens. Forte autem quidam et indignantur quia protendimus sermonem : plurimi enim obdormientes et in facie volunt ex aliorum laboribus et sudoribus sine labore parata suscipere; si autem et susceperint, qui autem adinveniant non laborant. Si autem et suscipientes servabunt qui non sudaverunt; nihil autem horum requirentes : sive enim quis cogitat, sive quis intentus est, sive quis commodum accepit, sive quis convertit opprobrium, gaudeo. Si autem negligunt qui audiunt, et dissimulant qui docentur, quam rationem dabit qui constitutus est magister, et non quæstiosum dicit, sed quæ impertit gregi Domini? Imprecatur quidem ab eo omnes sollicites esse, et scrutari, et quærere, et tenere, et discere, et fructificare. Si autem et quidam negligunt, quibus nec convenire sollicitudo est, nihil hoc

[1] Isai. xxix, 8.

ad me : et certe ad me; tangit enim me et contristat : tamen sive paucis efficitur sermo, sive multis, sive negligentes sunt, sive solliciti, non debeo propter negligentiam et ipse negligens inveniri. Forte autem quidam et contendent exprobrati, etsi non propter amorem doctrinæ et studium, saltem propter ruborem et opprobrium, etc.



EUSEBII PAMPHILI

DE EO QUOD AIT DOMINUS :

NON VENI PACEM MITTERE IN TERRAM.

LIBER SEXTUS.

Et sponsos qui nunc filii habentur parentum desiderium trahit, et properant ad genitores annuntiare sponsæ honestatem et colloquia, quique et parentibus manifestus est mos ejus, et habitus, et affectus; festinant autem iterum et ad sponsam, memores illius ab initio mandati quod ait : « Relinquet homo patrem et matrem, et conjungetur mu- » lieri, et erunt ambo in carne una[1]. » Lætantur autem et parentes videntes filios patres. Et scimus sponsum verum Ecclesiæ Dominum. Sed quia lumen illud verum luminaria facit, et magister ipse solus in Ecclesia posuit et magistros, et pastor ipse bonus pastores constituit, sponsus quidem ipse verus est, ut est sponsus. Quia autem mysterialis est, mysterialitas ista non maculat sponsam, si et servos in honore suscipiat sponsi. Dicebat enim sponsus Dominus, ut audistis : « Qui vos suscipit, me suscipit[2]. » Apparet autem quantum sponsalitas ipsa emineat, ab ea quæ in mundo est periculosa; non enim istinc mulier adjuvat virum, sed sponsus sponsam : non sponsa servit viro, sed sponsus servit et dicit: Ego libenter pro animis vestris erogabor, et memetipsum tradam. Et horum quis est dignus? Si enim ille qu vere est sponsus Dominus et Deus Dei non nati unigenitu

[1] Gen. II, 24. — [2] Matth. x, 40.

Filius, qui, in figura Dei constitutus, propter charitatem sponsæ formam servi accepit; si Dominus in figura servi propter dilectionem sponsæ, qui natura servi sunt, quid putas quam figuram debent assumere? Sustinet sane sponsus quanta ad correctionem sunt necessaria, et ornatum sponsæ, patitur et labores, et vigilias, et adinventiones : vigilat enim ut reficiatur sponsa, et laborat ut adornetur, et invenit ut pascatur. Natus enim illius efficitur sponsæ ornatus. Quid autem dico de Filio, qui de cœlo descendit ut captivam sibi acciperet sponsam, illam quæ ante erat sordida, quæ fuerat fornicata, quæ comas habebat impuras, quæ et ab intus et a foris non erat bona, in quam illuserunt dæmones, quæ fœdabatur in montibus, quæ nuda currebat, quæ lectiones dæmoniorum habebat, quæ turpia cantabat, turpia ludebat, turpia loquebatur; quæ ne quidem in itinere hominibus concedebat, quæ portabat lapides et fornicabatur ad ligna, quæ fumigata erat, quæ redolebat nidore fœtido, quæ quid non mali habebat? Cui enim et alio decebat talem sibi eligere sponsam, quam illi qui erat misericors sponsus? nihil enim habebat hortamenti ad dilectionem quæ assumpta est. Quia ergo nihil erat ab ista adhortamentum, ideo facta est gratia ejus qui accepit talem : pro odio enim quo erat digna dilexit eam, pro pœna honoravit, pro mortali mortuus est, pro condemnata condemnatus est, pro injuriosa ipse passus injuriam et accipiens sputamina in sanctam faciem; et ante sputamina eam suscipit. Ista enim sponsa ancilla ex servis erat, a patre non bono et matre quæ erraverat, contumax a contumacibus, in multo tempore capillos habens captivos et ungues, et in omnibus sordida. Et quod est maximæ admirationis, ille erat sanctus in sanctis habitans, sedens ad dexteram Patris, mundus a mundo procedens, lumen verum, sol justitiæ; ille qui ab Angelis adorabatur passus est ut ab hominibus

illuderetur. Et ego quidem miror nos et sponsam, quia non stupuimus illius qui advenit gratiam, et illius qui misit donum, et non statim non insania quadam, sed religiosa mente et fervido desiderio spoliati, corpus et animam, ut ita dicam, retribuimus Deo pro omnibus quæ nobis retribuit. Quid autem et ei possumus retribuere? Moriemur pro ipso, sed ipse primus pro nobis mortuus est. Et nos quidem si moriamur, naturaliter suscipimus mortem : ille autem contra naturam patiens fuit ad mortem. Et nos quidem si fuerimus mortui, lucrabimur nosmetipsos : ille autem mortuus est non ad utilitatem propriam, sed ut nos lucraretur. Et nos morimur ad spem vitæ : ille autem vita est vivens. Et nos in martyrio patimur, ut non cum mundo condemnemur, fugientes per mortem gehennam, et in hæreditate accipientes regna cœlorum ; nos ad mercedem : ille propter charitatem. Si quis autem consilio assentit meo, sit quidem merces ab ipso, non sit autem nobis cursus ad mercedem; non enim quia promittit ideo debet et diligi, sed quia talis habetur, et talis est Filius : non quippe diligatur ob ea quæ donat, sed propter naturam sui et ante donationes. Siquidem et hoc lumen sensibile, non quia pascit oculos amatur, sed quia clarissimum habetur. Nonnunquam enim et fontes videntes perspicuos et puros, et si non admittit tempus bibendi, tamen miramur pulchritudinem, etiam non adveniente usu; et ad cœlum respicientes delectamur, non quia manducamus. Si igitur opera ejus ita sunt bona, et ante gustum et escam delectant cum videntur, et coaffectari faciunt, ipse qui vere supra omnem pulchritudinem habetur, et vere est bonus, non ex mercede habeat dilectionem, sed ex natura amorem. Ego sane nonnunquam in cogitatu isto adveni, venite et vos ad suspicionem bonam : sæpe enim a sanctis Evangeliis et vere divinis de Domino Jesu audiens, auditum ad visum converti ; videbam enim admirationem

novam Dei Filium Deum in terra corpus habentem, et putans adesse spectaculum ex Scripturis, pene et porrecta manu apprehendi fimbriam vestimenti ejus, ne forte et a peccatis liberarer. Non igitur fraudemus nosmetipsos a visione Dei unigeniti, qui pro nobis ad nos venit : nam etsi in corpore advenit, tamen non latuit Deus nube circumamictus. Si enim et apud nos animæ status datur ad visum per oculos, per faciem, per maxillas ; qualem putas esse illam faciem, qualem illam divinam constitutionem, illum tranquillum oculum, illam honestam linguam et motum? Unum est quod confert ejus adventus, ut suscipiatur talis habitus in terra a mortalibus. Quia ergo non est idonea nostra natura verbis assumi ad tantum Dei Filium Deum, qui ut non solum verbis edoceret, sed et operibus informaret, venit visibilis, ut et dum videtur ostenderet invisibilem : et mihi quidem ipse sit testis sermonis. Cum enim lavaret Dominus pedes servorum, magister discipulorum, et excusante Petro dicebat formans eos et dicens : « Hæc ego ideo facio, ut et vos » edoceamini invicem eadem facere[1] : » sicut igitur in illo actu dictum est quod mandatum est, quia ideo facit ut ostenderet totum, ita audi quia venit formare ad deitatem homines. Miserabiles autem sunt qui non inspiciunt; beati vero oculi eorum qui vident. Videtur enim et nunc Dominus, si quis enim habet oculos videt; nunquam enim ille discedit, sicut ipse dicit : « Ecce ego vobiscum sum usque » ad consummationem sæculi[2]. » Adest Dominus si habes oculos, et antequam audias vides. Si autem non vides a temetipso, movearis cum eo qui ostendit, et videbis. Si autem et cum ostensum tibi fuerit non vides, lamentare cæcitatem tuam debebis. Sicut enim non potest oculus sine lumine videre, ita non potest nec mens sine Deo vivere; celerius quippe salvabitur piscis sine aqua, quam

[1] Joan. XIII, 15. — [2] Matth. XXVIII, 20.

anima sine Christo. Quid ergo? Num non vivunt Gentiles, et Judæi, et hæretici? « Permitte, *inquit,* mortuos » sepelire suos mortuos[1]. » Venit Deus apportans hominibus quod nullus hominum adduxit : non enim erat servorum magna donare, sed servorum erat regis adventum annuntiare; donare autem ipsius erat regis, ideo et præcursores dicebant, Veniet. Ipse autem qui loquebatur adveniens donavit : per Moysen enim data est Lex, sed nihil factum est; gratia autem et veritas non data est, sed facta est, et correxit. Sicut enim mulier illa quæ fontem sanguinis contra naturam habebat, fatigata est medelas hominum sustinens, profuit autem ei nihil, sed tantummodo consumebatur et corpore et facultatibus : ita secundum formam istam humana natura accipiens medelam a Prophetis et sacerdotibus et a Lege ipsa non est curata; sed is qui sine lege erat subingressus est, ut abundaret peccatum. Quia igitur non erat hominis corrigere hominum passiones et vitia, Deus accepit infirme hoc ipsum quod jam erat emortuum, et subingressa est vita, ut præsentia virtutis repercuteretur virus serpentis. Quis nos movebit ad desiderium Christi? siquidem Christi Pater : illi enim decet talis et tanta largitio : « Nemo enim, *inquit,* potest venire ad me, » nisi Pater meus attraxerit eum, qui est in cœlis[2]. » Non quia vim facit Deus, sed quia domat homines mortales, pro quibus mortem immortalis gustavit. Nolite in vacuum gratiam ponere, non in somno Evangelium; sed evigilantes computate quid factum est, quid natum est, quid donatum. Deus Filium suum misit; qui non obedit ei habet judicium. Misit, inquam, Filium suum Deus, justitiam ad iniquos, eum qui sine peccato ad peccatores, obedientem ad contumaces, gloriosum ad ignobiles, eum qui ad dexteram Patris ad eos qui in terra jacebant; Filium ad servos, ju-

[1] Matth. VIII, 22. — [2] Joan. VI, 44.

dicem condemnandum pro his qui erant condemnati : quis non accendatur? quis non stupeat? quis non e flamma ista viscera accendat sua? Si non sumus lapidei, et ante sermones non movent, deflere nos convenit, quia putantes nos vivere, mortui sumus. Quibus Jesus non placet Deus, hos putas quid delectabit? Si autem pulchritudo in carne emortua, et lapides pretiosi et margaritæ claritas movet alacritatem hominis, cum Deus Filius fuerit visus, a quo et bona ista sunt facta, quomodo non vere veniet passio illa in nomine, de qua dictum est : « Diliges Domi-» num Deum tuum ex omni anima tua, et ex omni virtute » tua, et ex omni potentia tua, et mente et sensu tuo [1]. » Apparente enim Domino Jesu, non derelinquitur pars aliqua dilectionis ulli, quia non dividitur charitas ad Deum et ad homines, et ad emortua quæ in terra sunt; sed sicut antequam appareat sol et lucernis fruimur, et stellas patimur, et luna delectamur. Cum autem sol fuerit visus, quædam quidem non parent, quædam autem et occultantur, omnes autem convertunt facies suas ad solem; et cum multa sint bona, omnia enim bona valde : cum autem apparuerit is per quem ista bona, nihil eorum quod bonum est jam videbitur bonum. Si quis vidit effigiem audit, si quis non videtur, et ut videat et consentiat his quæ dicuntur; amores enim claræ pulchritudini contendunt : quantum enim bonum est quod diligitur, tanta et mensura est charitatis. Si enim oculi fuerint in facie boni, tanta motio efficitur quantum et oculi fuerint moti : si autem aliud aliquid in oculis, duplicatur amor : si tota facies fuerit bona, totius vultus charitas mensuratur : si autem et alia membra fuerint bona, addita pulchritudine crescit et desiderium. Jesus autem totus est bonus, et vere bonus; boni enim Patris progenies est bona; cujus pulchritudinem

[1] Deut. vi, 5.

clamat cœlum per suam speciositatem. Istum collaudat et solis splendor, istum prædicat luna et incipiens, et plena, et deficiens. Stellarum autem chori istum coronant : sed non opera in istum, aut ab operibus gloria ejus, sed ex sui natura. Mare istum fluctibus præfert, terra eum fructibus coronat et floribus, choros autem ei et animalia dum exultant faciunt. Cum autem audis quia glorificatur Filius ab omnibus, noli oblivisci Patris quem glorificat Filius. Sed de inenarrabili et non nata natura Patris in memoria venire timor est. Quia ergo ille timorabilis est propter bonitatem et supereminentem benignitatem, et quia nos non possumus ad illum nec mente respicere, imaginem ejus considerantes miramus indicibilem illam virtutem Patris; et ideo eum qui ad nos venit consideremus, et habebimus fructum. Dicit enim et ipse : « Si quis me videt, videt et Patrem[1]; » qui enim imaginem videt, per imaginem principalem agnoscit. Filius igitur ad nos venit, non tamen nos ad ipsum; vel nunc autem nos ad ipsum simul Deus vocat, et his qui non adveniunt sufficit pœna, quia non obediunt. Vocat Deus : ad quæ? ad ea quæ decent Deum. Et certe Abraham vocavit Deus, et præcepit unigenitum filium suum offerre sibi. Et videtur perniciosum hoc esse forte tibi, non tamen Abrahæ; Abraham enim lucrum duxit : videbantur enim jurgari viscera et religiositas. Sed adhuc apud nos jurgari possunt, apud Abraham autem ne quidem dubitatio fuit, nec cogitatus, nec dilatio : sed lætabatur Abraham, quia victurus erat filius ejus oblatus; amor est enim religiositas, in qua et charitas mensuratur et affectus impletur : si enim charitas non fuerit otiosa, omnia erunt etiamsi coaffectatus fueris; propter timorem enim si obedieris, perfectus non eris; propter comminationem autem gehennæ, mali servi malum propositum habebis; propter autem re-

[1] Joan. XIV, 9.

gna cœlorum voluntas est mercenarii. Quæ autem decora est via stupere bonum, mirari immensum, amare Deum? Si enim scis, non potes non diligere; si vidisti, non potes non coaffectari. Nihil enim ex omnibus quæ sunt, neque omnia simul tantum alliciunt quantum delectat unus omnium Dominus. Ita allicit et Pater si fuerit visus : tantum enim si apparuerit, nihil jam quis sustinebit. Videbitur autem ab his qui mundo sunt corde. Si enim mundum fuerit cor, effulget inde lumen, et videbitur quod effulget, et statim martyres, confessores, sanctimonium, virginitas, natura mortua, membra crucifixa; desiderium enim fervet in animis, et conjungitur ad desideratum : cum enim adunaverit quis bonorum conventus, cœli magnitudinem, et ea quæ in ipso sunt est pulchritudo, solis prædictam claritatem, et aliorum omnium quæ illic sunt bona, necnon et ea quæ in terra germinant, florent, expanduntur, procedunt, nascuntur, et ea quæ in aëre volant et in aquis natant; cum hæc omnia adunaverit ut componens in unum, ne quidem gutta ut ad illam pulchritudinem erunt, ut desiderium stupore magis sit, et charitas, et admiratio, ut talis jam homo desideret novam quamdam constitutionem sui invisibilem fieri : affectus enim ad invisibilem invisibilis habetur, et solitudinem quærit. Qui autem ad istam constitutionem occurrerit, nescit quia et cœlum et terram non videt, nec novit in quo in terra est loco : maris autem ne quidem memor est, et flumina despicit : solem non videt, lunam non considerat, stellarum memor non est; despicit autem et Angelorum choros, unus enim ille non permittit dividi visionem ad multa. Qui enim in tali constitutione habetur, nescit quia et carnem habet; et quod est maximum, nec animæ suæ memor est : totus enim evacuatus in illum est quem desiderat, et universa ei sunt emortua, et illi vivit soli. Et hoc est illud insigne quod ait Apostolus : « Vivo jam non ego,

» sed vivit in me Christus[1]. » Desiderio enim totus devoratus et a semetipso discedens, illius autem affectus, bona quidem morte est mortuus, bonam autem vitam commutavit ut dicat, Vivo jam non ego. Si quis unanimis et ipsius linguæ est Paulo, audiet Paulum dicentem, « Vivo jam non » ego. » Sed quæ tua est vita, o Paule? « Sed vivit, *inquit,* » in me Christus. » In quo vivit Christus, Christum indutus est istiusmodi homo qui Christo indutus est, non tunicam, sed sicut ferrum igne totus per totum incanduit, totus per totum illuminatus est. Nullus ei jam relictus est non motus, non affectio. Sed nos qui Christi sensum habemus, non pigebit nos dicere quia talis homo Christus est factus. Quemadmodum autem sicut dictum est, miscetur affectus desideranti, et oculus lumen suscipiens efficitur luminosus, et ferrum; sæpius enim repetuntur bona; ante ignem quidem ferrum erat, in igne autem ignis magis quam ferrum est factus. Audite desiderantium verba, ne forte et vos moneamini ad desiderium. Dicit iste ebrius non vino, sed quem inebriavit Christus desiderio : « Mihi autem absit gloriari, » nisi in cruce Christi[2] : » in quibus illi confunduntur, alii gloriantur; qui enim ebrius est nescit irrideri, sed irridet irridentes, est enim totus in vino. Si ergo qui in vino est non irridetur, putas qui in Christo est scit quid est confusio? non enim ita tangit vinum hominem, quantum tangit virtus; neque ita tangit ignis ea quæ in ipsum incurrerint, quantum illuminat filius eos qui se fuerint induti. Quis putas habet Christum, qui prædicatur, ut noscat ea quæ dicuntur? cum enim non fuerit conscientia intus quæ sermoni testetur, otiosa ejus qui loquitur verba habebuntur, et efficietur qui loquitur barbarus iis qui non audiunt. Cum autem præveniens anima recondiderit sibi, et finita fuerit desiderio, forte et irascitur ad dicentem, quia non tanta in-

[1] Galat. II, 20. — [2] Id. VI, 14.

terpretatur quanta ipsam movent. Sed concedite quicumque ita proposuistis, ininterpretabilis enim est qui desideratur. Ego sane beatam dico illam quæ digna judicata est Deum portare in utero. Ego et præsepium illud diligo in quo vitæ positum est medicamen. Et Magos beatos dico ob immutationem artis. Beata et Rachel, et jam non ploret, quia ejus filii martyres extiterunt Christi; Simeon autem ille et Anna ideo gratias agebant, quia digni judicati sunt videre quem desiderabant multi quidem, viderunt autem non omnes; Joannes autem ille, qui in pectore recubuit Domini, inde hauriens nobis loquitur : « In principio erat » verbum[1]; » Petrus vero, qui a Patre dignus judicatus revelationem accipere, et videre eum quem non videbat, et noscere eum qui occultabatur. Vere beata et petra in qua sumus et positi; beati et maris fluctus qui vestigia Domini osculati sunt, et pisces qui præcepto educti sunt. Beatus et ille piscis qui dedit pro Domino censum. Beata et terra et mare; utraque enim passus Domini susceperunt. Beatus et Zachæus, qui cucurrit ad ficum et vocatus ad domum est : et peccatrix illa mulier, quæ bona importunitate ingressa est recumbentibus; contaminata enim introïvit, et mundata exivit. Ergo omnes beati ex adventu Christi, et mortui qui jam non mortui, et cæci jam non cæci, et claudi salientes, et muti laudantes, et ille qui sedebat ad pedes, qui ante a legione impulsus currebat. Beati qui in nuptiis biberunt vinum ex præcepto. Quid ergo omnes beati, aut quidam et miserabiles? Judas enim qui utinam natus non esset, putas quia apud semetipsum non dixit : Utinam non venisset, ut ego non condemnarer! Putas et Judæi si voluissent fuissent beati, et primi? Quid ergo quia noluerunt Judæi? « Num incredulitas eorum fidem Dei » evacuavit? Absit[2]. » Qui enim venit ad faciendum bene,

[1] Joan. I. — [2] Rom. VIII, 3.

venit siquidem et lumen oritur, non ut occidamus aliquem : ille enim malus est qui bono utitur male. Nam et ferrum datum est ad culturæ medelam : si quis autem ferro usus occiderit, non est culpandus qui donavit. Siquidem et ignis ad curas, ad luminaria, ad excoctiones datus est nobis : si quis autem eo ad incendendam proximi domum fuerit usus, ille malus est qui utitur male. Neque aqua mala quia præfocantur quidam : si enim ipsam quæ ad usum plurimum et ad refectionem data est, bonam quidem, male ad interficiendum utuntur, ipsi potius perniciosi sunt quam opificium. Et lapis ad constructionem est datus; Caïn autem eo ad interfectionem fratris est usus : tantum enim mali sunt qui sunt mali, quia bonum in malum convertunt. Jesus pax est, et venit pacificare quæ in cœlo sunt et in terra. Si hæc vera sunt, sicut vera, quid faciemus his quæ lecta sunt hodie ? Dicit enim ipse Salvator in Evangelio : « Nolite putare quia veni mittere pacem in terram [1]. » Numquid nix calefacere potest, aut ignis dare frigus ? Numquid pax potest non mittere pacem ? Quomodo ergo ipse pax dicit : « Nolite putare quia veni pacem mittere in terram, » de qua sane dictum est, et de quo, quia « Venit pacificare » quæ in cœlo sunt et in terra [2]. » Siquidem et alibi dicit Evangelium : « Venit non ut judicet mundum, sed ut mun» dus salvus fiat per ipsum [3]. » Qui credit salvatur, qui autem non credit judicatus est. Et iterum : « Non veni nisi » ad oves perditas domus Israël [4] ; » et certe magis perierunt. Quid ergo ista contraria sunt ? Num ut dividantur, veritas non consentiet sibi. Si igitur veritas discesserit sibi, perdet et naturam; mendacii enim natura in dissensione est, veritatis autem natura consensio est. Quomodo ergo ista sibi consentient ? Jesus pax est, et ipse dicit : « Nolite putare » quia pacem veni mittere in terram. » Dictum autem de

[1] Matth. x, 34. — [2] Coloss. I, 20. — [3] Joan. XII, 47. — [4] Matth. x, 6.

eo est : « Venit pacificare ea quæ in cœlis sunt et in terra [1]. » Quomodo ergo non venit pacem in terram mittere, qui ideo venit ut et ea quæ in cœlis et in terra sunt pacificaret, et ad oves perditas domus Israël venit, et inventæ sunt pereuntes? Non est missus judicare, et invenitur condemnare. Si quis desiderat ea quæ sunt Domini edoceri, projiciat omnia ex corde suo, et mundo oculo mentis intendat. Propositum quidem Dei qui misit Filium suum tale erat, ut salvarentur homines; obedientia autem ejus qui missus est, ea ut pax esset in cœlis et in terra. Unde ergo non pax? Ab infirmitate quippe eorum qui non potuerunt suscipere splendorem luminis veri. Ipse enim pacem prædicat, et ideo hortatur hoc Paulus Apostolus, et dicit : « Ipse est enim » pax nostra [2]. » Eorum scilicet qui credunt et suscipiunt, pax est. Quomodo ergo non pacem mittit in terram? filia credidit, pater incredulus remansit. « Quæ communicatio » est fideli ad infidelem [3]? » pacis enim prædicatio divisionem operatur. Filius fidelis, pater incredulus, ex necessitate lis est; et quæ prædicatur pax operata est divisionem, et bonam divisionem : in pace autem salvati sumus. Ut non autem ego illum interpreter, nihil enim est quod non ab eo debeamus audire, ipse dicit : « Ne putetis quia veni pacem » mittere in terram [4]. » Et adhuc vehementius addit : « Non » veni pacem mittere, sed gladium. » Quemadmodum non pacem, et quemadmodum gladium? « Veni enim incidere » hominem adversus patrem suum : » accipio enim filium ejus, et non delectatur pater. Adverte autem et ipsorum efficientiam sermonum : quia enim dixit gladium incidere, addit : « Nolite putare quia veni pacem mittere in terram. » Non suscipit terra. Non veni pacem mittere. Iterum audi in terram : Ego enim, inquit, pacem prædico, sed terra non suscipit. Non ergo seminantis propositum : ipse enim sus-

[1] Coloss. I, 20. — [2] Ephes. II, 14. — [3] 2 Cor. VI, 15. — [4] Matth. x, 34.

tinuit ut facerent uvam, fecerunt autem spinas. Neque is in causa est qui benefecit vineæ : « Veni *enim, inquit,* incidere hominem adversus patrem suum, et nurum adversus socrum suam [1]. » Isti sermones rebus ipsis firmantur. Quanti enim ex his qui hic nunc convenerunt, habent eorum quæ dicuntur experimentum ! Est enim pater increpans filios ob credulitatem, et filii monentes patres ad fidem, et filiæ docentes matres. Si enim et ex ipsa natura omnes, sed non ex eodem proposito. Denique et ex conspersione una pollinis, quædam quidem quæ in fermento sunt dissolvuntur, quædam autem quæ fermentata sunt continentur; et carnes aliter tenentur quæ salem habent, aliter quæ sine sale corrumpuntur. Nam etsi ipsa natura sit carnis, non tamen ipsa permixtio. Aliud vinum est sine aqua, et aliud cum aqua. Et figulorum ad permixtiones diversitas habetur : et in rosis habetur diversitas, in colore scilicet et odore : et in fructibus est varietas, et magnitudinis, et coloris, et gustus, et tactus : et vinum ex vite est omne, sed gustus diversi ; et oleæ fructus varificantur. Sed horum omnium varietas, et animalium, et eorum qui ex ipsa sunt specie : equus enim equo velocior, et non tantum quantum homo homini ; nullus enim equus currit retrorsum : homines autem quidam sunt religiosi, quidam sacrilegi, alii pudici, alii luxuriosi, alii diripiunt aliena, alii spargunt sua, alii stuprantur non suas mulieres, alii ne quidem suas contingunt. Non enim tanta diversitas est terræ, quanta varietas animarum : ille enim martyr existit, alius persequitur ; et natura quidem ipsa est, voluntas autem adversa. Inde est ut ille quidem ad ecclesiam currat manicans, alius ad lapides offendat exurgens ad lumen. Inde est ut ille lætetur quod est pudicus, alius gaudeat quod in libidinibus volutatur. Inde est ut ille in foro vendat et distrahatur, alius ad ecclesiam veniens

[1] Matth. x, 35.

semetipsum lucretur. Inde est ut ille aliena colat, alius sibi parcat. Inde est ut ille lapides ædificet, alius virtutes superponat. Inde est ut ille corpus detergat, alius animam perdat. Ista est non pax, sed dissensio, quia alius aliter sentit, et alius aliter sapit. Nec enim cum ortum hoc sensibile fuerit lumen, omnes similiter suscipiunt : sed illi quidem qui sanos habent oculos, et occurrunt, et attendunt, et fruuntur; qui autem infirmantur oculis, corrigunt se, et vitant, et fugiunt. Nam et latronibus onerosum est lumen, et furibus non dilectum, et adulteris odiosum. Denique et ea quæ repunt fugiunt; ortum est enim lumen, et qui sunt ebrii non libenter accipiunt, quia urget eos lumen exurgere. Sunt sane et quædam animalia versipelliones et belluæ, et quæcumque istius generis habentur, quæ in totum non sustinent luminis radios. Sunt autem et hominum multi versipelliones, et versipellionibus pejores, viperæ magis quam homines, amari, invidi, malitiosi, quos omnes fugat lumen cum fuerit ortum. Iterum autem sermo recurrit ad ipsum certamen, his quæ heri sunt dicta. Iterum enim propositus est Dominus Jesus, et proposita sunt alia multa : pater litigans, mater contradicens, soror increpans, frater exprobrans, servi exurgentes, ancillæ exaggerantes. Unusquisque enim suam voluntatem ante salutem filiorum præponens, trahit ad suum propositum ignorans proditionem. Certamina ergo pro Christo nobis sunt; Christus tantum lucrum est, ille enim venit ad Ecclesiam : alius distrahit et emit, oblitus Christi; ille audit Christum per Evangelia loquentem; alius et adest pedibus, et mente foras vagatur : ille patri donat perditionem suam; alius matri consentit, ut non Deo quod convenit restituat. Ad multos igitur convenit jurgari, ut multæ efficiantur coronæ. Ad diabolum quippe et milites ejus : multi autem sunt et isti. Urgetur sane et pater et mater, et fratres, et cognati, et amici, et servi, et

ancillæ; ex multis enim tristitia est, ideo ut et tanta habeatur lætitia, et addantur nuptiæ, et promissiones opum mortales, sed nec mortuæ : quæ enim nunquam vixerunt, ne quidem mortua vocentur, sed alia pejori nuncupatione. « Sed in his omnibus, *inquit Apostolus,* supervincimus » propter eum qui nos superdilexit[1]. » Et si quis Apostoli imitator est, qui enim imitatur eum imitatur Christum, transit ab imitatione ad principalem. Jurgentur omnia ut coronemur, in omnibus sit jurgium ad pulchritudinem, ad possessiones, ad divitias, ad cognatos, ad patrem, ad matrem, ad fratres, ad servos; et vicini impugnatores existant : sufficit enim charitas unius ut superet omnia. Ego autem et miserabiles puto qui non sunt istiusmodi experti turbelas propter Dominum Jesum; illis autem congratulor qui habent in mente et conscientia sua dicere : Ecce, Domine, propter te inimicus est mihi pater meus, expugnatrix mater, frater insistit, servi contristantur, ancillæ jurgantur; et nullus horum mihi ut inimicus est propter tuam dilectionem. Siquidem et in bellis milites quantas plagas ob amorem regis accipiunt; nonnunquam enim et gaudentes ostendunt et sanguinum fluxus, et plagarum cicatrices, per quæ experimenta fulgent amores qui ad regem sunt habiti. Et certe quærat unusquisque, et pigeat unumquemque ut alius acceptus sit. Ille quidem ita proposuit, alius aliter alacer fuit. Ut dinumerem singula, quid enim et habeo dinumerare propter eum? Quis enim me exosum habuit propter Christum? quis me castigavit propter eum? quis me pater abdicavit? quæ mater adversa mihi est? quis frater adversum me exurrexit? O miserabilitas eorum qui non habent ista! alius autem dives et spissus in opibus, lætus est mente, quia a civitatibus et nationibus decantatur, quia theatrum est factus et Angelis et hominibus. Dignus

[1] Rom. VIII, 37.

enim est qui desideratur, et quia increpatur et oditur, quia inimici hominis domestici ejus; et quia abcisus est ab eo pater, et non consentit mater; quia noctibus expugnatur, et per dies coronatur. Mihi et meis visceribus et ossis bella quæ pro Christo sunt! Et unde mihi hoc supra dignitatem est meam, ut vel injuriam pro Christo sustineam? Cruci autem figi et inverso capite, Petri magis est quam aliorum hominum. Ebrietate opus est et fervore; ebrietate non a vino, sed ea quæ ob amorem est Christi. Qui enim amant, nihil vident nisi eum quem diligunt; nesciunt quia est alius in terra : ubi enim thesaurus fuerit mentis, illic et anima habetur; alia autem mortua sunt ei. Si increpas, nonne eum qui audit? Si castigas, nonne eum qui sentit? Qui Christi enim sunt, crucifixi habentur. Quid sine causa laboras? mortuus si torqueatur non sentit, etiamsi increpaveris non audit : mortuus enim est. Timet autem ne quis malam vitam ducat : mortui enim sumus. Nam et qui mortuis sepultis mensas apponunt et escas, delirant. Si igitur mensas apponere mortuis deliramentum est, et comminari mortuos irrisio est : et certe adveniant et minæ, acuantur gladii, et exercitus et leges, et civitatibus appareat Jesu Christi Domini virtus, et amor est flamma. Audite igitur, qui Domini Jesu participes mysteriorum estis : audite Christum, cultores ejus. Quid dicit lumen verum, quid loquitur via, quid clamat janua, quid vociferatur vita? « Qui diligit, *inquit,* » patrem aut matrem super me, non est me dignus [1]. » Et non sufficit hoc; iterum enim dicit : « Et qui non accipit » crucem suam et sequitur me, non est me dignus [2]. » Ista est vocatio eorum qui militare desiderant in Christum. Si quis igitur paratus est crucifigi, veniat; si quis lacer est ad mortem, si quis potest ad gladium, si quis ad flammam, si quis ad ignem, si quis ad exercitus, si quis ad concupiscen-

[1] Matth. x, 37. — [2] Ibid. 38.

tias, si quis ad libidines, si quis ad iram, si quis ad indignationem, si quis ad opes et divitias et possessiones et ædificia et mercaturas, et ad principatus et potestates, ad visibiles et invisibiles inimicos, ad spiritus nequam, ad carnem, ad cogitatum animæ, ad nocturnas ambitiones, ad motus meridianos, ad juventutis fervorem, ad impetum, ad famem et sitim, ad homines, ad languores, ad sanitates, ad divitias. Per hæc enim omnia vincitur desiderium; magis autem desiderium neque vincitur neque deflectitur, sed per ista omnia vincit, et iterum abundans in prædicatione est. Non enim tacet Verbum, Verbum Deus, non tamen vox verbum, quia nec Joannes, qui vocatus est vox, vox erat, sed Joannes. Quid autem dicit qui venit salvare? « Qui invenit animam suam, perdet eam[1]. » Forte obscurum tibi videtur quod dictum est : quia enim non habes sacramentum, neque omnes omnia intelligimus, neque omnes ab omnibus movemur, ideo putas obscura : « Qui invenit animam suam perdet eam; » hoc est, qui vult invenire perdet. Quomodo? Quæ inventio est, et quæ amissio? De ipsa eademque anima qui martyrium patitur, tollit hominibus, Deo autem invenit. « Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam[2]. » Interpretatione non indiget sermo; qui desiderat, jam audivit. Ego autem compatior nostræ naturæ, qui ita sumus egeni ut non possimus invicem nostro debito dare aliquid. Quid autem et possumus retribuere Christo Domino? animam quam creavit, corpus quod figuravit, pudicitiam per quam beneficium tribuit, martyrium per quod sanctificat, justitiam per quam honorat? Quæ videmur ei reddere, magis accipimus. Adveniat igitur flamma ad medullas, penetret ignis ad viscera, et accendatur anima ad martyrium, ad confessionem, ad pudicitiam, ad justitiam, ad misericordiam, ad jejunia; ut et diabolus supere-

[1] Matth. x, 39. — [2] Ibid.

tur, et dæmones destruantur, et homo pro Christo salvetur et semper gratias agat Deo Patri per unigenitum ejus Filium, per quem est ei gloria, honor, imperium, majestas, cum Spiritu sancto, et nunc, et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EUSEBII PAMPHILI

DE MANDATO DOMINI QUOD AIT :

QUOD DICO VOBIS IN AURE, SUPRA TECTA PRÆDICATE.

LIBER SEPTIMUS.

Verba hæc quæ lecta sunt Domini martyres produxerunt ad passionem : per hos enim sermones flammam in eorum præcordiis accenderunt; per istam doctrinam erexit eos, ut contemnerent præsentia, expectarent autem futura ; per istam eruditionem armavit eos ad mortem. Utitur autem et hoc ordine servans officium : præcedit autem passionem martyrum constantia; qui enim non prædicat nec tenebitur, qui non cum fiducia fuerit locutus nec tristabitur; sed præcedit constantia passionem. Cum enim anima de adventu Dei sat habuerit, aderit enim Deus in anima, quæ dum capiet omnia non potest desiderium tacere suum ; sed sentit quod habet, quodque non habet, qui sese fraudaverunt a bono. Ille autem qui amator Dei est constitutus, et humanitatem servat, statim propter Deum quidem lætatur, propter humanitatem autem non tacet : homines autem beneficium non ferentes, ignorant quis inhabitat in loquente; non ferunt sane nec constantiam. Sed sicut Judæi Stephano primo inter homines martyre Christi loquente obstruxerunt aures suas, ne ingrederetur Deus; ita et nonnulli hominum : quia enim constantia antecedit passionem, unde deberet istinc et incipit Dominus, qui producit martyres ad passionem. Dicit enim : « Quod dico vobis in tene- » bris, in lumine dicite; et quod in aure audistis, in tectis

» prædicate[1]. » Assumite, inquit, constantiam; exeant verba vestra usque ad terminos terræ : ne taceatis id de quo ipsi certi estis effecti. Nolite abscondere talentum, mittite pecunias in mensis : exigam enim mea ad salutem illorum qui fuerint operati. Sed dicet quis : Si bonum est in lumine dicere, cur ipse in tenebris est locutus? et si bonum est supra tecta prædicare, cur ipse in aure locutus est? Si enim ipse de semetipso dicere frau....is utique quæ jam dixere Judæi, tu de temetipso testificaris, et testimonium tuum non est verum. Ne igitur ipse videretur honorem sibi vindicare, et non veritatis causa loqui, et ne prævenirent statutam a Patre passionem Judæi qui omnia sunt ausi, ipse quidem opportune tacet, Discipulis autem loqui ea et clamare præcepit; non timens quippe, hoc enim ignorantium hominum est dignitatem Domini Jesu, sed dispensans ut ipse quidem taceat in tempore, loquatur autem in tempore. Neque enim per omnia tacuit Dominus, ne putarentur aliena aliqua a se dicere Discipuli; neque semper locutus est, ne putaretur quod de se ipso testatur. Quid enim erat necesse et Joanne præcursore? « Ego, *inquit,* non ab homine accipio testimonium meum, sed habeo testimonium majus a » Joanne[2]. » Non enim quæro, inquit, quemadmodum ego suadear, sed quomodo vos non sitis religiosi; siquidem non lucerna debet testari de sole, sed sol firmare lucernam. Et ne quis miretur, putas, obscuriores effici lucernas ex adventu solis. Non enim quod putamus hoc et provenit, sed hoc quod non intuemur superat; lumen enim minus a majori lumine, non minus dulcibus immissum minuit dulcedinem eorum : neque cum stellæ non parent tanquam obscuratæ a lumine non videntur, sed in pelago luminis positæ discretionem non præbent. Non indigebat igitur sol justitiæ lucerna ad testimonium; dicit enim Joannes :

[1] Matth. x, 27. — [2] Joan. v, 34 et 36.

« Ego a te debeo baptizari[1]; » sed indigebat quidem ille qui lucerna erat ardens : lucerna immissum habet lumen, non tamen ab intus efficientiam sicut sol. Vos, inquit, modice voluistis gloriari in lumine lucernæ, vobis lucerna est utilis : illi autem ita erant cæci, ut ne quidem lucernæ viderent viam, neque in lumine ambularent recte. « Quod dico » vobis in tenebris, dicite in lumine; » hoc est, absconsa quæ dicuntur clamate : « Et quod in aure audistis, prædi» cate in tectis; » assumite constantiæ fiduciam. Assumamus et nos constantiam. Sed quid est quod insequitur? Timemus ad insequentem suspicionem, sed ait Dominus : *Nolite timere.* Non igitur timeamus cum interficimur; ipse enim Dominus dicit : « Nolite timere eos qui occidunt cor» pus, animam autem non possunt occidere[2]. » Divisit timorem, et hominibus quidem dedit potestatem adversum corpus; habent enim : Deo autem conjunxit virtutem, timore timorem ejiciens, et majori metu quod erat minus repercussit. Si enim, inquit, timere oportet, non hominem; major enim est Deus; sed pœnam mortis adversum corpus times : « Timete magis, *inquit,* eum qui potest et animam » et corpus perdere in gehennam; » hominibus enim potestas adversum corpus, et hoc semel, est data : Deo autem potestas est et adversum corpus quod figuravit, et adversum animam quam creavit, et perdere non simpliciter, sed in gehenna. Major enim timor est gehennæ quam mortis. Cur major? quia duplex est perditio, animæ et corporis; simplex autem et corporalis, quæ in morte habetur. Primo enim et si dividatur periculum, et homines quidem corpus, Deus autem et animam. Neque ita æqualis est timor; sed quantum anima honorabilior est, tantum et major timor est a timore. Quia enim et corpus adversum quod homines habent potestatem comprehensum est, et hoc in manibus

[1] Matth. III, 14. — [2] Id. x, 28.

Dei est, et anima quam homines etiamsi vellent occidere non possent; et utraque hæc non ad mortem, sed ad gehennam dicuntur abire. Multiplicatus igitur timor est, et multitudine et magnitudine; ideo ergo timor timorem vincit. Sed dices : Quemadmodum possibile est perire animam in gehenna? Si enim perit, corrumpitur ejus immortalitas. Quemadmodum autem et corpus? Si enim vermes illic et stridor dentium habetur, non solum anima immortalis non perit, sed nec corpus; induitur enim immortalitatem et corpus. Si hæc quidem quærunt, intenti esse debent ad sermonis virtutem, quia quod nunc ait perdere, pro eo ut dicat punire acceptum est; si enim periret, non esset in gehenna : gehenna enim viventium pœna est, non tamen interemptio perditorum. Quia enim perditionem timebant qui mortem hominum pertimescebant, ideo ipso timoris sermone utitur Dominus, et dicit : « Timete autem eum qui potest et ani» mam et corpus perdere in gehenna. » Neque enim convertitur anima ad mortalitatem, sine pœnitentia enim sunt Dei dona. Neque iterum resurrectionis promissione infringitur; sed sicut per Adam omnes morimur, ita et per Dominum nostrum Christum omnes resurgimus. Communem enim istam mortem Adam introduxit ob peccatum : erexit autem is qui assumpsit Adam ad resurrectionem. Ille enim qui de terra est introduxit mortem, qui autem desursum venit introduxit resurrectionem. Et resurrectio quidem communis est omnibus, hæreditas autem eorum qui ex viaticis aliquid proferunt suis. Præcesserat igitur adventus, sed repercussit eum timor; solutus est timor a timore. Necessaria autem erat et adhortatio. Quæ adhortatio? Dicit Dominus : « Nonne duo passeres [1]? » Duo et non multi : et passeres et non majores aves « uno assario distrahuntur, » neque uno assario unus passer; ut quod minus est ex pretio ostende-

[1] Matth. x, 29.

ret. Quæ enim pretiosa sunt in distractione unum et unum venditur, et ampliore pretio : quæcumque autem frivola aut olera habentur, multa simul assario venundantur. Volens ergo frivolas passeres ostendere, Assario, inquit, uno duo passeres distrahuntur. Accepit quod erat minimum, ut hortaretur eos qui in honore habebantur. « Et unus ex » ipsis, *ait,* non cadit in terram sine Patre vestro qui est » in cœlis. » Si igitur passeres qui parvo pretio distrahuntur, umbræ, ut ita dicam, et necdum carnes, non capiuntur neque accipiuntur : non dixit sine Deo, sed sine Patre vestro inquit, ut propositio paternæ dilectionis protenderet defensionem, et radicaret adhortationem. Ita et in alio loco adhortans frugalitatem, et cupiens superfluas sublevare sollicitudines, ait : « Si fœnum agri quod hodie est, et cras- » tino in clibanum mittitur, Deus ita vestit, quanto magis » vos modicæ fidei[1]. » A minimis admonet eos qui meliori sunt dignitate : ita et nunc quia nullius pretii sunt passeres quantum ad comparationem hominum, parvo autem pretio, ut nullius pretii distrahuntur, cupiens nos admonere dignitatem nostram, producit constantes fieri debere. « Nonne » duo, *inquit,* passeres assario distrahuntur? et unum ex » ipsis, » non duo simul, sed unum ex ipsis « non cadit in ter- » ram. » Propter volatum ait, pro eo ut diceret, non capietur, sine Patre vestro. Si igitur quorum non est Pater, nec minimum proditur sine ipso, multo magis vobis, quorum est Pater, præbebit defensionem. « Vestri autem, *inquit,* et ca- » pilli capitis numerati sunt[2]. » Timor de anima erat aut de corpore; sed de anima, inquit, nolite timere : Non poterunt enim, ait, ne quidem qui voluerint occidere animam. Sed de corpore timetis? Nec de capillis capitis vestri timere debetis; numerati sunt. Si igitur neque de anima neque de corpore timere oportet, quantum ad nos spectat, ablatus

[1] Matth. VI, 30. — [2] Id. X, 30.

est timor : « Vestri enim, *inquit,* et capilli capitis numerati » sunt. » Num nostri tantum capilli? Sabulum enim maris latet scientiam Dei? aut enim semina fœni aut pennæ passerum ignorantur? Quantum enim ad sermonem spectat, videtur dicere, quia vestros etiam capillos novit Deus. Alia autem quæ putantur contemptibilia esse non contemnit, sed habet scientiam omnium. Nam et illud quod dicitur in Scripturis : *Omnia ei nota sunt,* non frivole quippe, neque cum labore aut cum dolore, sed inenarrabiliter omnia prævenit scientia. Quid ergo est quod accepit dicens : « Vestri » autem et capilli capitis numerati sunt? » quia provisor est vestri usque ad capillos. Si igitur animam jam armavit immortalitate, carnem autem ex eo quod provideat et defendat usque ad capillos, quid relinquitur ad timorem, quid ad timorem relinquitur, ut hominibus casus, utpote opum, divitiarum, amicorum, parentum, propinquorum, patriæ ipse affectus. Inde est ut dicat : « Qui diligit patrem aut matrem » supra me, non est me dignus [1]. » Tria enim ista sunt quæ circa nos et in nobis et nostra sunt : quod enim sumus, anima sumus. Si quis autem et semetipsum agnoscit intentius, et veluti in secundo loco nos corpus sumus. Tria ergo sunt quæ in nobis sunt. Quæ autem circa nos, possessiones, amici, parentes, et patria. Sed de anima nullus timor est, quia immortalis est. De corpore ablatus est timor, quia et capilli numerati sunt. De his autem quæ extra sunt, dicit Dominus : « Si quis reliquerit propter me et regna cœlorum » patrem, aut matrem, aut fratres, aut filios, aut uxorem, » aut cognatos, aut domum, habebit et in hoc mundo cen» tuplum, in futuro autem vitam æternam [2]. » Ergo nulla occasio derelicta est timori. De anima enim timere non debes timorem insensatum, ne puteris mortalem dicere immortalem. Sed de corpore times, possunt enim occidere;

[1] Matth. x. — [2] Id. xix, 29.


defendit usque ad capillos qui creavit. Sed amicitiam quæris, et patrem, et matrem; esto memor ejus qui ait : « Qui » diligit patrem aut matrem supra me, non est me dignus. » Sed divitias et quæ his sunt similia desideras : Quicumque reliquerit patrem aut matrem, aut domum, aut quæcumque sunt supra terram, propter me et regna cœlorum, centuplum habebit : sicut hi qui seminant in bonam terram, in isto quidem sæculo centuplum, in futuro autem vitam æternam. Nolite ergo timere. Si enim unus passer non cadit in terram sine Patre vestro qui est in cœlis, multis autem passeribus vos meliores estis, non habet locum timor. Quia igitur interemit timorem, reperit constantiæ fiduciam cum confessione, et dicit : « Omnis quicumque me confessus » fuerit ante homines, isti enim sunt qui persequuntur, con» fitebor et ego eum ante Patrem meum qui est in cœlis [1]. » Et primo quidem intercipit timorem, secundo autem immittit spem : Quicumque me confessus fuerit ante homines, confitebor et ego eum : puta quia hominibus conveniens est Deum confiteri, Deum homines quomodo convenit confiteri ? De hominibus ut non dicat ad eos : « Recedite a me, » nescio vos [2]; » sed ut magis dicat ad eos : « Venite, bene» dicti Patris mei [3]. » Intueris abnegationem Filii de hominibus, et confessionem Dei de hominibus ? Num possibile est ei dicere, Nescio Patrem? Scit quippe et homines, et hos peccatores ignorat : additamentum enim hoc solutionem quæstionis præbet ; quia enim peccatores ignoti sunt, non quia ignorantur, sed quia non ab eo confitentur : eos enim qui malæ sunt vitæ nescit, sciens eos qui sint. Si enim computarentur inter vivos mali, non venisset diluvium sub Noë : et alios quidem connumeravit quos salvat, quos autem nescit perdit ut purget terram. Non ergo debuit eis parcere qui ante sibi parcere noluerunt. Quid enim defuit illic ad

[1] Matth. x, 32. — [2] Idem, xxv, 12. — [4] Ibid. 24.

patientiam Dei? Nonne præconem pœnitentiæ constituit eis Noë per annos centum, quantum autem ad suam promissionem per cxx? Nonne arca fiebat, ipso opere ad pœnitentiam hortans homines; aut modicum erat vas, quod posset etiam sub tecto fabricari? nonne tantæ quidem altitudinis, tantæ autem longitudinis et latitudinis secundum mensuram? Fabricabatur autem arca ut tuba maxima, jam diluvium prædicans futurum, et ante diluvium pœnitentiam clamans. Si igitur cxx annis revocati a malitiis non sunt suasi, ipsi vim fecerunt ut supra eos diluvium adveniret, qui suaderi noluerint. Sed Sodomam evertit Deus, quia prius Sodomitæ naturam suam corruperant. Et certe nequidem istic despexit Deus, sed passus est Loth ob contentionem pastorum ab Abraham separari. Forte autem et continentiæ sales misit ad Sodomam Loth, ut ejus justitia continerentur ut a sale, et non corrumperentur. Illi autem et sales calcaverunt, et dixerunt ad eum qui insalabat, Habitare venisti, non tamen et judicium judicare. Et hæc dicentes justum adversum se judicium excitarunt, qui non fuere contenti adversus homines indignis, sed et insanierunt adversus ipsos sanctos Angelos qui venerant vindicare injuriam hominum ab eisdem admissam. Sed neque Noë despexit Deus in diluvio; numerati enim erant ejus capilli: neque Loth apud Sodomam. Alii autem Deum, non tamen homines offenderunt, quia immutaverunt humanam naturam. Non est ergo increpandum Deo, quia nec si tauri occiduntur ad usum; neque quia oves et columbæ; verificatum enim est omne hoc, et abundantia est multa, et alia aliis necessaria sunt, et alia aliter creata sunt. Sicut igitur pro tauris qui occiduntur ad usum non increpatur Deus, et certe tauri non peccant, neque est irreligiositas in tauris; non solum non est increpandum de peremptione irreligiosorum, sed et mirandum. Debet enim laudari Deus, quia terram aquis abluit


a spurcitiis habitantium : debet probari, quia per ignem conflavit nostram naturam, ut evocaretur nostra legitima. Ita nescit Deus quos non vult nosse; ita ignoravit eos qui sub Noë; ita nescivit eos qui sub Loth, et eos qui negaverunt eum ante homines, de quibus et dicit : « Quicumque » me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram » Patre meo qui est in cœlis[1]. » Negant autem Christum non solum hi qui in persecutione negant, siquidem nec qui confitentur in persecutionibus ipsi soli sunt qui confitentur; sed descendamus ad negotia et fugiamus irreligiositatem. Qui sunt ergo qui negant Filium, et ubi, et in quibus, advertamus. Cum quis ingreditur civitatem Gentilium, et religione exposcente fronti imponere signaculum crucis confusus fuerit; qui ingreditur suam glorificationem, et virtutem crucis in fronte non ostenderit : iste etiam sine tormento negabit et sacrificabit. Quis autem et alius negabit Christum? Cum aliquis vocatus fuerit ad cœnam Gentilium, et perrexerit; necdum enim hoc est prohibitum; vinum autem viderit a cœnante in terram effundi et libari, et accenso blasphemio ab his qui ea quæ sunt Domini ingrate manducant, cœperint blasphemare in Deum; ille autem ut Herodes propter discumbentes fuerit confusus et tacuerit, non ponens ante oculos suos Christum : negat profecto quem non respondens confitetur. Et ideo dicit Dominus : « Quicumque » negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum ante » Patrem meum qui est in cœlis[2]. » Negat enim eum omnis quicumque audierit blasphemantes et tacuerit : negat omnis quicumque audierit crucem, et deposuerit oculum suum erubescens qui dicunt, ad quos dicunt a parentibus accepit, tanquam propellentes a se bonum, et ut in malam hæreditatem incidentes; qui occurrunt quibusdam venientibus ad ecclesiam, et trepidant pedibus, quia et mente; qui oc-

[1] Matth. x, 32. — [2] Ibid.



cultant jejunium tanquam ad opprobrium; qui confunduntur exire ad martyres, quia audierunt quosdam dicentes sibi, Debuerant adjuvare martyres Christi; qui nolunt irrideri ab hominibus, sustinentes utpote illud quod ait Propheta: « Qui habitat in cœlis irridebit eos[1]. » Semper persecutio est, semper invisibile bellum habetur, semper coronæ, semper abnegatio. Vultis videre certamina religiositatis? Nonnunquam efferbuit quis ira adversum subditum sibi; rememoratus autem Domini, deposuit acerbitatem : pejus enim est fervori incensæ iræ resistere, quam flammæ ignis quæ a foris habetur. Quia igitur martyr est qui propter Deum ad exteriorem flammam resistit, martyr et valde martyr, qui extinguit interius incendium invidiæ propter Dominum Jesum; nonnunquam enim videtur aliquid bonum aut malum, et exurgit invidia, et nemo videt; latent enim quæ intus sunt. Quia autem testatur Deus adversum invidiam ad illum respiciens, sicut Joses non vidente Domino qui erat in terra, ad invisibilem respexit, et mercedem propositi sumpsit. Iterum qui refrenat invidiam martyr existit; et qui alacritate judicaverit male de fratre loqui, et meatum usque ad linguam protulerit, os autem suum propter Dei timorem non aperuerit, iste invisibiliter confitetur Deum. Et cui licitum est fraudare et non fraudat, et cui licitum est furari conjugium alienum, et parcit in omnibus his quæ oculus sensibilis non videt, invisibilis autem intuetur, martyria et confessiones habentur. Negant autem reipsa et opere illi quos cum tenuerit concupiscentia, et post hæc venerit Scripturæ memoria quia est Deus qui videt et judicat, et quia est æqui judicii; concupiscentia autem cœnosa turpi meatu jurgetur, et incipiat suggerere et dicere : Quando erit judicium, quando futurum est? num hoc pertinet ad Deum? iste reliquit cœlum, et ea quæ circa me

1 Psal. II, 4.



sunt videt? Suggerit enim talia concupiscentia. Qui igitur consentiunt his, negant Deum. Quid autem hi qui perjurant? non enim tantum peccant in homine quem spernunt, quantum in Deum quem contemnunt; qui enim juramentum contemnit, Deum negat. Unde et parcens nobis Salvator, de aliis quidem mandat quantum et deberet mandare. Ad juramentum veniens ob facilem linguæ lapsum, non dixit Vere jurate, sed in totum ait, *Jurare nolite;* ne forte lingua assuefacta vere jurare, ob facilem lapsum sui, oberrans periclitaretur et irreligiositatem incurreret. Certamina igitur quotidiana sunt ista, quæ per dies ac noctes sunt nobis : pulchritudo enim proposita est mulieris, et effulgens effigies Jesu. Et ille quidem deorsum inspexit et perit; alius autem sursum respexit, et assumptus : ubi enim cor, illic et oculus habetur. Propositum est sane et aurum et Jesus, et non est quidem propositio æqualis. Quid autem, quia nec æquali utimur, sed decliviores efficimur ad minora, et adeo fraudamur ob ea quæ non vivunt. In unoquoque igitur istiusmodi actu certamina sunt posita, et certamina domestica; quia ab intus mulier videtur, et pulchritudo ex concupiscentia exardescit, et nox provocat, et ambitio delectat, et sermo hortatur, et lis et colluctatio ex rixa efficitur, et non adversus sanguinem quippe et carnem, sed adversum invisibiles inimicos invisibiliter et in his omnibus certamina sunt et agones : cum jejunium et esca proponitur, cum sitis et jejunium, cum pudicitia et libido, cum ecclesia et theatra, cum dies Domini et dies dæmoniorum, cum affectus ad homines et charitas ad Deum. Et in his omnibus quidam quidem negant, quidam autem confitentur; et unusquisque sibi procurat bonum aut malum, judicium aut requiem, gehennam aut regna cœlorum. Quid autem hi qui sortiuntur, qui ad vates idolorum pergunt? Isti occulte sacrificant idolis, et negant Deum. Quid hi qui credunt quia a stellis

eis mala proveniunt, et fatum esse fatentur? Quid hi qui auspicantur? qui dies et voces et passus vitantes custodiunt? Aut non plenæ sunt his omnes maxime mulieres observantes talia : quis locutus est? quis per nares spiritum protulit? quis motus est? quæ avis volavit, et unde, aut quomodo, aut qualiter? quis ululavit? Canes debemus recludere tales, ne procedant e domibus; fieri enim non potest ut non aliquid tale occurrat. Vosmetipsos probate, et videbitis quoties ad istiusmodi certastis auspicia, quoties mota est concupiscentia, sed et memoria Dei; et erat certamen, et contentio, et cursus. Et sicut in palæstris alius aliquando superior efficitur alio, et aliquando inferior jacet, et in ipsa colluctatione frequenter conversio est facta : ita et sensus sæpius cum concupiscentia luctatus est in lectulis, in foro, in domo, in theatris, in lupanaribus. Et hæc facit quæ et oculis videmus : visibiliter tenuit concupiscentia, et pepulit sensum, et occidit cogitatus, et superposuit se concupiscentia; iterum autem vim faciens sensus correctus est, et superbior factus est, superavit desiderium libidinosum : horum omnium experimentum apud vos est. Scitis enim quoties ad concupiscentiam, quoties ad libidinem illecti estis, quoties ad avaritiam, quoties ad fraudem, quoties ad iram, quoties ad indignationem; declivis enim caro ad ista est vitia, et ipsius carnis meatus : vincit autem hæc cogitatus colluctans per spiritum. Ita nonnunquam videmus pauperem, et misericordia quidem flectit, avaritia autem revocat, et volumus agnoscentes cum egenus est misereri; id autem quod alienum est non sinit. Ita certamen est maximum in istiusmodi actibus : de Deo enim et mammona certamen habetur, quia et Dominus ipse dicit : « Nemo potest duobus dominis servire[1]; » et opponit mammonam animæ in Deo viventi, non quia commutatione ali-

[1] Matth. vi. 24.

qua, sed quia efficitur id quod fieri non deberet. Ergo martyres efficiamur Dei, et non parum putemus quod ait: « Confitebor et ego eum coram Patre meo qui est in cœlis[1]. » Ista enim quæ hic sunt nobiscum non pergent; si autem vadunt, convincatur sermo: verum istic manent; quæ autem ex ipsis sunt peccata, nobiscum et ante nos pergunt. Quid ad damna properamus? Venimus in hanc vitam; utamur lumine. Quid autem præbet lumen his qui habent oculos? discretionem utique negotiorum. Si quid igitur honestum est, cum festinatione petatur: non enim ut decipiamus vos præsidemus, non ut pauperes vos faciamus monemus, sed divites potius in regno cœlorum; non ut dejiciamus corpus vestrum jejuniis, sed induamus vos immortalitate; non ut occidamus in martyrio, sed ut non eatis in gehennam corpore et anima. Non sumus igitur inimici vestri; non enim ut fraudemus vos patribus et amicis hæc loquimur, sed ut non excidatis a Deo Patre, lucremini autem vosmetipsos: hoc enim solum est lucrum, alia autem omnia dispendium obumbratum. Ubi est hesternus dies, ut sis sollicitus de hodierno? ubi sunt quæ heri in ventrem missa sunt, ut iterum præpares multa? figura est præsens sæculum, et non veritas; umbræ volantes sunt. Quid velocius sole in quo mensuratur vita? Evigilate justi et nolite peccare. Peccatum autem efficitur ob ignorantiam Dei. Si enim agnitus fuerit Deus qui omnia intuetur, repercutitur omne peccatum. Deo enim præsente et vidente, quis velit furari? Qui autem furatur, prius irreligiositatem admittit, et ita nocet. Si enim cogitasset Caïn quia vidit Deus, nunquam occidisset Abel, quem et abnegavit fratrem. Si vidisset Eva et Adam Deum, non vidissent arborem. Numquid possumus in duas facies simul visum intendere nostrum? Sed non suscipit oculus. Non possumus ergo in Deum et in mulierem

[1] Matth. x, 32.

simul videre : sicut enim nemo potest duobus dominis servire, ita nemo potest duos vultus simul inspicere. Tantum proponatur ante oculos Deus, et omnia in tranquillitate sunt; sed nec labore est opus, sufficit enim qui adest. Qui respicit ad Deum, primum quidem habet adjutorium a præsente, posthæc autem et possibilem sibi imitationem et timorem boni; et in tutela est, et non accedit peccatum in isto. Unum ex his opus est, ut credatur quia est Deus, et adest, et videt, et scrutatur, et nihil est quod eum possit latere; et omnia facilia erunt. Si autem subduxeris fundamentum, nihil stabit ex his quæ superposita sunt. Si quis ergo irreligioso proposito subduxerit Deum, jam ut sine lumine agens ubique offendit. Sed nos fratres ad Deum viventem, ad eum qui est, qui fecit omnia, qui salvat universa, convertamur; alia enim « omnia vanitas vanitatum sunt[1] : » sapiens enim erat qui hæc proclamaverat. Et omnia vanitas, et unum est verum. Non igitur sine causa erogemus nostram vitam; erit enim tempus, cum quæremus dies hos in quibus Deo debuimus vivere. Ipse autem qui bonus est Deus, omnium vestrum erigat animas ad agnitionem suam, cui est per unigenitum suum Filium gloria, honor, imperium, majestas cum Spiritu sancto, et nunc, et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Eccles. I, 2.

EUSEBII PAMPHILI
DE OPERIBUS BONIS ET MALIS.

LIBER OCTAVUS.

Multorum hominum vita in terra est posita : edacitatibus enim et libidinibus et concupiscentiis gravati neque respicere sursum ad Deum possunt quia nolunt, neque opera ejus videre, neque ex operibus opificem agnoscere : ubi enim declivis fuerit anima, illuc, ut ita dicam, et efficitur quod desiderat. Sicut enim ea quæ ab igne calefiunt efficiuntur, ut ita dicam, ignis; et quæ odoratis juncta fuerint efficiuntur odorata; et quæ contrariis contraria : ita et anima ubi declivis extiterit, ad hoc deducitur et natura. Tingitur enim alacritatibus, et similis motionibus efficitur suis, et dignitatem utpote naturæ non salvans, in malis efficitur mala : si autem ad ea quæ supra se sunt respexerit, sursum effecta, constituitur ad ea quæ et desideravit : multorum enim conversatio non hominum, sed pecorum est; nihil enim aliud cogitant, nisi ut manducent aut bibant, aut rapiant, aut fraudentur; in his enim et vivunt, si tamen et vitam istam oportet jam dici : non sufficientes enim malis his quæ a foris sunt, jam et carnem suam contaminare student, sic gaudent enim in malis ut inimici sibi; et cum deberent lugere quia non bene vivunt, lætantur in malis, et tristantur in bonis, duplicem utpote cæcitatem habentes, et quod malorum non intelligunt malitiam, et quod bonorum non assumunt fruitionem; concurrunt enim adversum se, et sibi contraria operantur. Plurimi enim nonnunquam

procedunt læti, quia ventrem replerunt suum et mente exierunt sua, et beatum diem dicunt in quo non vixerunt. Vita enim hominum ista est ut ratione utantur, quia et rationabiles habentur. Cum autem obrutus fuerit sensus, transiit sine causa dies, et non debet computari in vita, in quo sensus non respexit ad superna. Utinam autem neque ad vitam, neque ad malam videret ! Aliud est enim otiosum esse a malo et bono, et esse tanquam dormientem aut mortuum; et aliud bono quidem mori, malo autem vivere. Et neque natura hominis suadet eos, neque Scriptura, et errant; neque præsentia neque futura suadent. Quædam enim reprehensionem præbent, quædam autem propter spem sursum adducunt; videmus enim et morientes, videmus et sepultos et non sepultos, et eos qui deflent et dolent et lamentantur; vere ita sumus ut non videntes eos. Ita enim putamus vitam esse eam, quæ non est vita : nam et manducantes lædimur, et iterum desideramus. Qui libidinibus corpus maculant et animæ nocent, non recedunt a noxa, sed et accedunt ut aucupes malorum, multum vigilantes per noctem male : aut enim ambitionibus inquietantur, aut a concupiscentiis alliciuntur, aut a cogitationibus malis excitantur. Si autem et oportet cogitatus vocari, et meditata per noctem festinant procedere, ut ea quæ per noctem cogitarunt admittant tanquam ignorantes, quia qui facit malum amplius habet malum, quam is qui a se patitur malum. Sicut enim ignis alia quidem comburit, in semetipso autem ardorem incendii primus habet : ita et malitia primum possidentibus nocet. Denique et diabolus non cum nocet tunc solum et malus est; sed quia proposuit nocere, habet malitiam et antequam efficiat. Et maligno sufficit malitia sua. Siquidem et ægrotans etiamsi non castigetur, tamen habet malum languorem : ita et qui languet anima, etiamsi non missus fuerit in gehennam, tamen pro-

curat sibi malum. Quis autem et exhortatur? Tantum est enim malum malum, cujus tentamenta gehennam parant. Et cum hæc ita sint, nos tamen ut inimici proprii ita videmur vivere. Ille enim lætatur quia mentitus latuit; alius gaudet quia provenit ei decipere. Et avaritia lucrum putata est, cum sit damnum; et libido voluptas, cum sit luctus his qui sapiunt bene. Et conversa sunt nobis omnia, quia circumscriptus a nobis est cogitatus. Et certe cogit et contendit sensus ut non ejiciatur a possessione sua. Nam etsi unusquisque nostrum obruatur a passionibus vitiorum, tamen ad alia sensus dignitatem suam vindicans apparet; ut puta non video mea mala, sed aliena mala irascens, consentio interiori hominis legi utpote Dei. Et quia anima natura magis juncta est bonis, quia odit malos et laudat bonos, duplex testimonium habet ad utrumque et malorum et bonorum : duplex ideo, quia odit etiam ipsa, non commodum suum amat : et ex hoc ostendit quia non delectatur natura ejus ad malum. Si igitur anima, ut ostensum est, ad bonum proclivior est, cur non in suis manet? propter placibilitatem quippe sui, sibi enim placere tenebræ sunt animæ; sed quæ apud homines putantur placida contrariam habent virtutem. Odium enim et non placibilitas est. Si enim vere amemus, non contraria quæ nunc nobis donamus donaremus : non ebrietatem quippe, sed jejunium; non theatra, sed ecclesiam; non lapides, sed Deum; non lites, sed pacem; non homicidium, sed tutelam salutis; non fornicationem, sed pudicitiam. Si enim nosmetipsos amaremus, vere donaremus nobis bona. Quia enim odimus, donamus et procuramus nobis mala. Sed sicut matres, ita et mens habetur. Quæcumque enim matres parcent suis filiis, non mittentes eos ad studia, ad utilitatem quippe dum videntur donare, nocent : ita et nos per cæcitatem mentis putantes aliquid nobis donare, decipimus nos et nocemus. Et certe incurrunt nobis et adveniunt nonnunquam et ves-

tigia bonorum, et gustamus aliquoties et nos delectationem ex pudicitia. Si autem et voluerimus perseverare in gustu, et comparare quantum vehementior est suavitas ex pudicitia, quam ea quæ a libidine venit. Suavitas enim ex pudicitia sine pœnitentia est, immaculata est, immutabilis, munda, pura, sancta, et nomine, et opere, et actibus : ex libidine autem suave, turpe, absconditum, sine fiducia contaminatum, turbidum et corpore et anima, cum timore, cum turbela, cum sanguine, cum tremore suave est. Quemadmodum ergo suave? Si quis autem suaviter delectari cupit, vere secundum Apostoli vocem habet viam. Suave est enim si liberetur quis a confusione, a turbela, a suspicione : isti enim oculus non lætus est, sed sapientia gaudens, et visus, et purus, et mundus. Ubi autem conscientia fuerit, circumspicit oculus ne quis videat, sitit cor, propter ea quæ suspicatur, et in plurimis tutela est : et non est iste suavitatis gustus. Quid enim suave est in ira? et certe contendimus et iræ adversum nos donare. Quid suave est in invidia? tabescunt enim et ossa, et mens, et medulla invidentium. Sed si apparerent passiones cum fierent, non essent passiones. Sicut enim dolens oculus non vidit, et in quantum dolet tantum et a visione impeditur : ita et anima quæ passiones incurrit non intuetur ignominiam suam, siquidem nec ebrius sentit cum irridetur. Evigilate igitur et resipiscite, confundimini quia ab aliis ediscitis. Quicumque enim post passionem percusserunt cor pœnitentes, liberati sunt : si autem non percusserunt, necdum liberati ab ebrietate sunt. Sed allicimur visu ad pulchritudinem vultuum. Quid cœlo est melius quid? Melius est credere Deo dicenti : « Respicite in altum Deum oculis vestris, et » videte quis condidit omnia ista. » Quid ita pulchrum in oculo est mulieris, quantum sol habet in fulgoribus suis? quid ita floret in fronte mortali, quantum in omni cœlo splendet quod videtur? quia et aliis varietas vestigium al-

licit ut stellæ. Sed forte si essent in medio, ut ad comparationem dico, alimoniæ diversæ, et si possibile esset et artium pulchritudines poni, adunarentur autem et omnia animalia, et proponeretur lectio; statim porci ad stercus currerent, mures ad alia istiusmodi convenientia sibi et amica; asini autem, et alia quæ ita tarda sunt animalia, illa quidem fœnum peterent, alia ad ea quæ consuerunt se jungerent : homo autem dignitatem hominis salvans ad artes curreret, et ad spectacula artium properaret. Si quis autem esset homo vere et hominis salvans sensum, despiciens et deridens relinqueret utique sollicitudinem propositam; respiceret autem sursum ad cœlum, et videret quæ in cœlo et superior cœlo habentur, non oculis sed mente; et non pateretur deorsum in cœno volutari. Sed quid faciemus? Deus superior cœlo est et ubique. Mortalia autem circa latus alliciunt; et neque dicentes neque audientes excitamur a somno, sed sicut cera aut plumbum infusum auribus nostris obturat sermonis ingressum, et clamamus sine causa; trahunt enim quæ attrahunt non cum vi, siquidem nec pisces a laqueis cum vi trahuntur quamdiu et capiuntur. Neque diabolus vim facit hominibus, sed hortatur : non enim scriptum est quia accepit diabolus manum mulieris, et decerpsit de arbore fructum, et vi in ejus ore imposuit; sed scriptum est quia mulier suasa protendit manum ad arborem, et os aperiens suum, immittit fructum : utinam autem fuisset vis! vis enim non procurat mortem, sed dat ut ignoscatur. Sed quemadmodum scriptum est videamus, ut edoceri possimus quantum potest diabolus. Amicitiam finxit, ostendit pulchritudinem, suasit, promisit, ideo quia vim facere non valebat. Et nunc multi suadent sibi quia trahuntur a quibusdam. Illi enim qui foris sunt, forte autem aliqui et ex his qui intus sunt, putant se a stellis attrahi, malum male curantes; et cum deberent suam malitiam confiteri, aliud majus malum præcedenti

malo supraponunt : creaturam quippe propriis malis contaminantes, aliud autem cum superati a concupiscentiis fuerint, remiserint autem frenum cogitatus sui, putant infirmitate frequenter se vinci, et non suo proposito negligenti. Si quis autem vult naturam agnoscere, non his quæ præscribit agnoscat, quia nec debet accusari regalis nummus ab adultero. Illam fortitudinem naturæ et cogitatum videat cum concupiscentia hortatur, cum libido rogat, et nox occasionem præbet; quomodo cogitatus e contra obstruit : quia et in passionibus martyrum manus quidem radunt, oculi autem minantur, et dentes dum stridunt terrent, et tyranni, et gladii, et ignis et mille species mortis apponuntur; et cogitatus non flectitur. Sed alius victus est, sed non a victis debent agmines militares judicari : ille enim qui victus est ordinis aciem dimisit; ab his autem qui superant debent agnosci agmines militares. Quia nec a cæcis oculus judicatur, neque a surdis auris, neque ab ægrotantibus natura : nec ab infructuosis arboribus culpa naturæ debet ascribi, quia nec mortui homines homines sunt, nec in vivis irreligiosi et impii, neque assumpta delectatio libidinosis reputatur. Hæc enim est noxa. Et utinam expediret aliquid sermo, ut et iterum fieret. Quia enim nonnunquam putantur sermones contrarii ob spectationem fructus afferre, sicut Deus Israël culpans dicit : « Sustinui ut faceret uvam, fecit autem spinas[1]; » exhortatio quædam efficitur ad docendum, eo quod non fructificant verba : siquidem et illic dicit Deus : « Omnia quæcum» que debui facere, feci vineæ meæ. » Quia enim contrarios expectationi attulit fructus, ait : Subducam imbrem ab ea; utquid enim pluvias ei vineæ in qua non exurgunt fructus? Et alia, inquit, omnia quæcumque feci ad fructificationem ejus, quædam quidem auferam quædam autem evertam, ut non custoditæ spinæ et imbre rigatæ florescant.

[1] Isai. v, 4.

Aut ex negotiis aut ex Scripturis condiscamus religiositatem. A negotiis quidem videamus mortalia ut mortalia, transeuntia ut transeuntia; non vides honesta aut inhonesta, vel a negotiis et a litteris vide. Deus propter misericordiam sui scribit homines inobedientes esse non debere. Putas fatigantur quidam esse pudici ? Non mirum autem si libidinosi non satiati jam cessant. Si enim his qui bene currunt labor est, his qui male currunt cur satietas non habetur? Fatigatur quis faciens bene, male autem faciens non satiatur? Equus in cursu efficitur sudans, et malus currens putas non fatigatur in sudore? Non enim tantum exprimit cursus equum, quantum eos qui malitia utuntur. Cessate a malitiis vestris, et iterum odientes malum jungimini bono. Non prodest malitia malo; malum enim est, etiamsi sentiamus aut non sentiamus. Magis autem sentientibus simplex est, non sentientibus autem duplex. Respicite in altum oculis vestris, et videte quis constituit omnia ista. O bonæ adhortationis visio! ubi sunt oculi? o bonæ adhortationis sensus! ubi sensus, ubi cogitatus? Quid reprehendisti illa? quid agnovisti in istis? ubi annotinus cursus, ut perseveres in præsenti anno in cœno te volvens? ubi sunt quæ manducasti ante istum diem, ut festines et hodie? quem fructum a libidine accepisti, ut iterum ad ipsam injuriam curras? Si autem nos hortari vestra obedientia vultis, ostendite ipso opere fructus sermonis. Nunc autem et vos adhortamini, sed tempus non permittit. Deus autem liberet vos ab omni malitia, et repleat vos suis bonis, ut afferatis fructum in centesimo et sexagesimo et trigesimo numero, per Christum ejus, per quem est Deo Patri gloria, honor, imperium, majestas, cum Spiritu sancto, et nunc et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.



EUSEBII PAMPHILI

DE OPERIBUS BONIS;

EX EPISTOLA PAULI AD CORINTHIOS SECUNDA.

LIBER NONUS.

Resurrectionem Domini et regressum ejus ad cœlos ipsis oculis videntes Apostoli, dubitationem quam ante passionem habebant deposuerunt, et omnem incredulitatem a se pepulerunt. Ipso enim visu sibi satisfacientes quia resurrexit et assumptus ad cœlos est Dominus, alii pro aliis effecti noscuntur. Petrus enim pro juramentis et abnegationibus præco mundi effectus est; visio enim eum firmissimam petram effecit, ita ut in eum et Ecclesia ædificaretur, et ipse martyr existeret Christi. Thomas quoque, qui et post resurrectionem antequam experimentum acciperet dubius erat, quia misit digitos suos in foraminibus clavorum, et sibimet ipsi satis fecit, Dominum eum et Deum confessus est. Erat enim incredibile Deum advenisse in corpore, et hominem videri cœlestem erat non credendum, quia ex virgine erat nativitas ejus secundum carnem: istius enim conscientiæ satisfactionem sola habebat quæ pepererat virgo. Necdum autem natura testabatur, neque mater habebat aliquid tale in semettipsa, neque de his quæ deorsum; sed omnia erant incredibilia. Gratia enim erat inenarrabilis, et indulgentia incredibilis. Alia enim erant quæ videbantur, qui enim videbatur vere et hominem ostendebat. Nihil enim differebat ab alio homine quantum ad visum: quia continebat virtutem quan-

tum ad eum qui videbatur. Et xxx totis annis non fecerat signum, ut primo suaderet nobis quia carnem assumpsit, et concederet carni proficere in ætate, et non de se suspicari quod et suspicavere quidam hæretici : et ista dispensatione facta præbebat et hoc incredulitatem. Nihil enim amplius putabatur esse, quam is qui videbatur. Nam et ad baptismum Joannis veniebat, baptismum autem non erat simplex. Pœnitentiæ enim erat baptismum, quodque adhuc magis hominem ostendebat, quam eum qui occultabatur in homine. Erant igitur ista impedimenta fidei quæ videbantur, quæ fiebant, esca, somnus, provectio ætatis, in terra deambulatio. Si autem vellet et mater dicere, Quia virgo manens eum enixa sum, unius mulieris contra naturam testimonium minus valeret, et maxime apud Judæos. His igitur tantis impedimentis constitutis ad fidem, arduum erat suscipi prædicationem, et maxime quia qui videbatur non erat qui et dicebatur : prædicationem præbebat nihil suscipi debere quæ videbantur ; credere autem quia in principio erat Verbum, et Verbum erat vivens, et Deus erat Verbum, hæc ad illa quæ inspiciebantur nullam videbantur habere consensionem. Quemadmodum ergo id quod incredibile est efficitur credibile, ipse dicit Dominus : « Si opera non facio » quæ nullus alius facit, nolite credere mihi [1]. » Sicut enim quod videbatur dabat fidem quia homo erat, ita dum operaretur præbebat agnitionem quia Deus. Dormiebat, describebatur homo; suscitans autem mortuos ostendebat Deum. Non enim somnus quidem suggerebat hominis naturam, resurrectio autem mortuorum non ostendebat Deum vivum ex vivente Deo. Neque manducans quidem exhibebat hominem, ex paucis enim panibus pascens millia hominum non exhibebat Deum. Neque navi quidem navigare ostendebat hominem, in summis autem fluctibus ambulare non

[1] Joan. x, 37.

ostendebat Deum maris. Sed sicut humanæ naturæ formabatur ut diceretur homo, ita divinitatis ejus opera abscondebant et hominem. Sed admirabilia quidem quæ ante passionem suam faciebat, ostendebant quia divinæ virtutis esset adventus : de resurrectione autem ejus signa quæ præcesserant, non omnibus exhibebant virtutem et fidem resurrectionis ejus, sed opus erat aliis signis quæ ea firmarent, quia non solum præsens antequam pateretur operatus est mirabilia, sed quia et mortuos suscitavit, et ipse resurgens mirificatur. Ubi ergo ista sunt mirabilia quæ post resurrectionem erant facienda? Neque enim semetipsum mundo ostendit, neque Judæis. Si igitur non ostendit semetipsum, quomodo potest quis dicere, quia faciens mirabilia credibilem fecit resurrectionem suam? Judæis enim semetipsum non demonstravit, ne duplex ab eis irreligiositas tentaretur. Sed non poterant nolente Deo, et non concedente Unigenito, secundo eum affigere cruci, siquidem nec primam audaciam perfecissent, nisi Pater concessisset et Filius permisisset. Sed interim alacritas mala duplex habuisset malitiæ fructum : sive enim affigerent iterum, sive non affigerent, vellent autem, interim ipsi duplicem haberent iniquitatem. Erat autem et quod fiebat secundo superfluum; semel enim reconditum erat ut dispensatio compleretur : siquidem nec possibile erat post resurrectionem corpus quod jam immortalitatem fuerat adeptum, iterum incurrere mortem. Sed sicut animam nullus potest occidere quia est immortalis : ita et corpus cum indutum fuerit immortalitate, istam habet post resurrectionem promissionem. Quod enim immortale indulgentia factum est, non potest jam interemptionem ab hominibus pati. Judæis igitur post resurrectionem non se ostendere Dominum, parcentis est Judæis. Qui enim Hierosolymam deflevit procurrere duplicia mala, non facere autem signa, aut modicum quid Discipulis ostendere, ut

puta piscium subito multitudinem captam, aut aliud aliquid tale, non erat ostentationis tempus, neque semetipsum ostendentis. Neque enim cum faceret ante passionem mirabilia Dominus, ostentans se faciebat, qui etiam mandabat curatis ne dicerent alicui quæ passi fuissent bene. Conservabat enim dignitatem resurrectionis et regressionis suæ ad Patrem, et adventus Spiritus sancti. Quid enim magis suadebat Discipulos ejus si ipse faceret signa, aut si et ipsis præberet virtutem facere majora quam ipse faciebat? Ipsum enim facere signa, utputa ejicere dæmonia a corporibus possessis, suspectum a Judæis est quia in Beelzebub hoc facit. Cupiens autem arguere quia Dei opera principi dæmoniorum ascribunt Judæi, et maxime ea quæ adversum ipsum principem dæmoniorum et ejus exercitum fiebant, adduxit in medium de Discipulis suis, et dixit : « Si ego in » Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt[1]? » hoc est, isti mei Discipuli, qui ex vobis sunt, in quo ejiciunt? Quia igitur ea quæ ab ipso fiebant propter malitiam suscipientium aliis dabant suspiciones, Discipulis suis omnia conservabat, ut præcones resurrectionis mortuos suscitantes, cæcos facientes videre, claudis donantes ambulare, et leprosos emundantes, sermonum dignitatem per mirabilia ostenderent. Quid enim ita poterat Lazarus post quatuor dies resurgens a mortuis præbere ad fidem his qui viderant, quam ut et ipsi Discipuli cum alios suscitarent per semetipsos mortuos præbebant? Et quid tale ad fidem valuit, ut Dominus non edoctus Litteras legeret, quantum Petrus non edoctus linguam ullam, forte ne quidem et patriam, bene omni loqueretur lingua et omnem audiret? Unde et Lazaro resurgente, et aliis aliquantis mortuis suscitatis, multis etiam cæcis videntibus, sed et illo qui ita fuerat natus recipiente visum, imo accipiente, emundatis etiam plurimis leprosis,

[1] Luc. XI, 19.

et sanatis millibus hominum, negabat Petrus, et jurabat ne quidem ut hominem se scire. Quia autem venit Spiritus sanctus missus a Filio, et coëffecit intus sanctificans virtus, alius pro alio factus Petrus, et jam spiritu baptizatus, non solum non negat ad vocem puellæ, sed et omni populo resistit ; et qui antea se abscondebat, nunc cum fiducia ad terminos usque terræ prædicat et docet universos. Ita adventus Spiritus sancti, qui ingressus est in Discipulos, et effecit, resurrectionem Domini et assumptionem visam prædicavit, et ejus virtutem annuntiavit. Cum enim coëffecit Spiritus, transmutatus est Petrus, totus clamat jam non negans, sed prædicans Salvatorem. Stephanus autem et ipse silet ad lapides, et Dominum annuntiat, quem ad dexteram Patris stantem conspexerat : et alius aliud eloquebatur, et sine solatio erant negotia Judæorum. Sicut enim in diluvio interim quidem Noë non credebatur dum faceret arcam, cum autem subito totum cœlum emitteret fluvios, terra autem eructaret aquas, et inde arctaretur incredulitas, et de cœlo et de terra ab aquis ut præfocaretur : ita et per Apostolos Judæi angustiabantur non credentes, et admirabilia indignantes ; videntes enim isti nequidem mortuos suscitatos ab Apostolo exurgentes, per alium claudos ambulantes, per alterum alia signa completa, et per alium et alium linguas audientes plurimas, arctati meatibus istiusmodi signorum quæ de sursum Apostolis fuerant donata, eadem quæ in terra videntes mirabilia, qui ausi fuerant Magistrum affigere cruci, incerti erant quid facerent Discipulis ejus. Qua igitur de causa sub præsentia quidem Domini, et Apostoli dubitantes, fuerit aliquoties oblatos sibi non potuisse curare, post resurrectionem autem et majora quam Dominus fecit signa fecere Discipuli ; sub ejus enim præsentia ideo nihil facere potuerunt, quia oportebat ampliora signa ad satisfactionem resurrectionis servari. Si enim anticipantes sub

præsentia Domini fecissent quæ post resurrectionem ejus fecisse videntur, habebant et ista destruere Judæi, quantum ad ipsos et aliis ea valere suspicionibus. Nunc autem non possunt; sub præsentia enim Domini unum dæmonem ejicere non poterant Apostoli, post resurrectionem autem ejus, non solum illi, sed et hi qui ab illis istius virtutis semen acceperunt, ejiciunt. Si enim et dubia erant quæ ante passionem prædicabantur, protensionem habuit incredulitas majorem post passionem. Incredulissimi enim Judæi ponentes sibi scandalum in ipsa passione Domini dicebant : « Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce. » Si enim non descenderit, sed mortuus fuerit, inquiunt, mortua erit et virtus. Quia ergo passio protendit eorum incredulitatem, majora autem signa efficiuntur per Discipulos ad confirmationem adventus ejus, magis autem ad confirmationem incredibilis resurrectionis, accipientes satisfactionem ex adventu Spiritus sancti, et Apostoli fuerant vocati, statim operibus ipsis ostendebant quantum posset præsentia Spiritus sancti. Primo quidem quia dum essent multi unum erant spiritu et anima, quia unus et idem erat Spiritus qui has efficientias dividebat. Sicut enim lapides et lateres multi conjuncti et compositi in ædificium unum et membra plura præcepto ædificantis in unam compaginem adunantur, ita et Apostoli uno baptizati spiritu separationem multitudinis deposuerunt. Conjunctione autem Spiritus arctati unum erant omnes et spiritu, et anima, et consensione, et concordia : et non solum in his quæ ab intus sunt unum, sed etiam et ab his quæ a foris sunt prædicabatur eorum anima et concordia. Quicumque enim, inquit, agros habebant aut alias opes, jam non sua putabant quæ aliquando erant sua; sed in commune proferentes, et ipsis operibus spem confirmantes, distrahebant agros, venundabant opes, distrahebant omnia quæ possidebant. Non enim insomnia erant

regni spes, sed suspecta fuisset prædicatio si regna quidem prædicarent cœlestia, de his autem essent solliciti quæ in hac vita habentur; sed statim operibus formantes suasionem, undique ad unam concordiam confluebant. Apostoli quidem per mirabilia firmabant prædicationem, credentes autem ex eo quod distrahebant sua, ex eo quod omnia dabant præsentia, ex eo quod omnia ad regna cœlorum transferebant, ante adventum ipsius regni testabantur. His itaque gestis repetamus sensum, et videamus quis erat tunc apud Hierosolymam status, quæ turbela, quis fervor insanientium Judæorum : siquidem et filii a patribus recedentes sibilant ad fidem, et filiæ e sinibus matrum ad fidem currebant Christi, et turbela erat apud infideles ubique. Ille enim irascebatur filio, quia sapientior patri suo apparuit; illa autem abjiciebat filium, quia matris incredulitas non consentiebat fidei; et frater minabatur fratri; jam autem et dominus servo. Ignis enim ille quem misit Dominus Jesus aliquos quidem tetigit, aliquos autem despexit, et implevit turbela civitatem, vicos, regiones et domos. Erat autem turbela quibusdam quidem ad bonum, quibusdam autem ad duplex malum. Illi enim qui figurabantur et persecutionem sustinebant, et cum lætitia omnia ob spem regni cœlestis patiebantur, mala quæ putabantur in bonis sibi thesauris recondebant. Quicumque enim videbantur Legem vindicare, Moyseæ legis sermones ignorantes, contraria Legi operabantur; per ea enim quæ gloriabantur, per ipsa et arguebantur. Erat igitur Judæis ipsa veritas nox. Interfecerunt enim et objurgarunt, et descendenti de cruce dixerunt ei, Non descendit. Descendit autem ad inferos, et majora est operatus. Si enim descendisset de cruce, poterant dicere, quia moriturus est in eo, cum non esset mortuus : malitiose enim et Judaïcæ machinationis erat suspicari, ut etiam hæc fingerent et audirent. Nunc autem quia

neque diabolo proponenti possibilia obediunt, neque ejus filiis qui voluntate ejus filii habebantur, præbuit quod locuti sunt. Cum enim posset descendere, non descendit, ne intercideret dispensationis curam, neque præberet Judæis ut iisdem obedisse videretur. Quid enim erat difficilius e cruce descendere Deum, aut ab inferis ascendere viventem? Ergo non propter impossibilitatem excusatio extitit, sed propter dispensationem permissio morti fuit ut majora ostenderet quam illi precati sunt. Ego autem libenter mente recurro ad illud cum adhuc recens erat passio Christi, recens etiam et Judæorum audacia. Petrus enim loquebatur non ea quæ ante passionem dicebat, et Apostoli testabantur; et Judæi dolebant, et jam non habebant cui erogarent pecunias ut resurrectio occultaretur, milites enim custodientes acceperant ista, sicut et proditor Judas. Sciebant enim Judæi adversum se duplas dare pecunias. Dederunt et ad negandam resurrectionis fidem : sciunt quippe et dare male et accipere non bene; siquidem et Joseph distrahentes acceperunt non bene, et Dominum causa proditionis emerunt, et abnegatione resurrectionis adversum se compararunt. In mala enim mercatoria meditati perditionem, sibi procurarunt perpetuam. Sed ad Judam quidem furem vim habebant pecuniæ, ad eum autem qui dicebat, Pecunia et aurum non est mihi, nullam habebat malitia virtutem, sed angustabantur sacerdotes et populus, et turbela erat bonorum; neque enim quem comprehenderunt jam habebant, neque quem detinuerunt. Undique enim Spiritus scaturiens fonticabat. Et Petrus quidem istinc, aliunde alius, et alter ex illa parte, et qui necdum crediderat, initiabat clamare; et illius quidem filius, alterius filia, alterius conjux; et illius domus ipse paterfamilias et servus et famula : undique Spiritus fructus scaturiebat suos. Non tantum enim permittebat Judæis visionem, quantum perditionem agnoscere.

Hæc cum ita fierent apud Judæam, oportet enim ostendere nos unde ad hos sumus conversi sermones, jam non erat possibile his qui crediderant Christo apud Judæam pasci; siquidem si esset quis filius, ejiciebatur e domo quia factus fuerat fidelis; si frater, non habebat portionem hæreditatis, quia jam habebat partem regni cœlestis; et filiæ abdicabantur et servi emendabantur, sustinentes pœnas quia fideles. Hæc cum ita agerentur, et jam non sufficerent fideles apud Judæam pascere multitudinem credentium Christo, Apostoli prædicantes gentibus complacuerunt et hoc donare fidelibus qui in gentibus habebantur, ut colligerent quasdam pecunias et opes et mitterent ad Judæam credentibus Christo, ut eos quos abdicaverant parentes ob fidem, eos pascerent gentes necessaria destinantes; et colligebant pecunias qui ex gentibus, ob alimonias scilicet sanctorum qui apud Hierosolymam morabantur. Et ista nunc pars est quæ hodie lecta in Epistola Pauli videtur, non valde clara sicut facta sunt quæ ante prædicata sunt. Evangelizans igitur Apostolus Corinthios per aliorum sollicitudinem, eosque ad similem imitationem adhortans ut alacriter impertirent fidelibus qui apud Judæam erant, quique abdicati a suis necessariis indigebant, ne ullas promissiones Judaïcas aut hæreditates haberent. Ideo scribens ad eos Paulus ita dicit : « Notam autem vobis facio, fratres, gratiam Dei quæ data » est in Ecclesiis Macedoniæ, quia in multo experimento » tribulationis abundantia gaudii eorum et altissima pau- » pertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum[1]. » Scribens Corinthiis probat Macedonas : quæ autem probatio? quia tribulati non cesserunt charitati. Qui enim non tribulatur, si subministraverit, similis est illi qui, dum manducat, ea quæ superaverint donat. Qui autem adhuc esurit et compatitur e pane suo, ille est fratris amator; siquidem et

[1] 2 Cor. VIII, 1.

sub Domino Jesu, cum quidam mitterent multa in templo ex his quæ habebant, vidua duo mittens minuta omnes superavit in donis. Et certe quid erant illa duo minuta quæ vidua misit? quantum ad rem quidem satis parva, quantum ad alacritatem autem valde magna. Non enim ad id inspicere debemus quod datum est, sed si quid eidem derelictum est. Et ita admirabilis ille qui superat. Non quippe quærendum est si modicum est quod a vidua datur, sed si aliquid ei relictum est. Si enim facta fuerit comparatio de eis quæ relicta sunt, invenies divites quidem nihil dedisse, plura enim sunt quæ relicta sunt eis, viduam autem totam substantiæ facultatem dedisse. Ergo nihil magis est si quis habens donat; sed si quis non habet, urget charitatem ut faciat. Ita et illa vidua quæ suscepit Heliam infamem a pugillo pollinis primitias offerens Prophetæ, et ipsa pasta est, et plus cæteris habuit. Ita et Macedones, qui jam multo experimento tribulationis, quia enim multa erat apud illos tribulatio inediarum; incurrunt enim nunquam tales hominibus tribulationes, altissima tribulatio summam charitatem ostendit; quia « In multo experimento, *inquit,* tribulationis » abundantia gaudii eorum[1]. » Quantum enim ad opes spectat, tribulatio erat eis; quantum autem ad charitatem, gaudium. Dare enim ex his quæ ipse non habet, et cum gaudio dare, hæc est summa credulitas de cœlestibus regnis. Cupiens ergo ostendere Apostolus quanta eis erat angustia, et quantum gaudebant dantes ex eo quod non habebant, In multo, dicit, experimento tribulationis abundantia gaudii eorum, et altissima paupertas eorum. Altissima paupertas radicitus eos nihil habere significat : « Abundavit, *inquit,* in » divitias simplicitatis eorum. » Multa probatio tribulationis, sed abundans, inquit, gaudium eorum, et altissima paupertas eorum ; et abundantia, inquit, divitiarum simplicitatis

[1] 2 Cor. VIII, 2.

eorum. Ab adversis accepit comparationem, ostendens quia multa quidem tribulatio erat apud eos inediarum, non tanta autem quantum et gaudium. Et altissima quidem paupertas, sed divitiæ simplicitatis : « Quia secundum virtutem » testimonium perhibeo, et super vires[1]. » Hoc enim est : ex tribulatione voluntarii fuerunt, non vim passi, sed cum multa exhortatione, obsecrantes. Non solum enim a nobis non sunt obsecrati, sed et ipsi obsecrarunt. Sed « cum mul» ta, *inquit*, exhortatione obsecrantes rogantes nos[2]. » Quia enim cum multa obsecratione dictum dubium videbatur utrum Macedones rogassent Apostolos suscipere ab ipsis quæ offerebant, aut Apostoli Macedonas ut sese panderent ad dandum, ideo dicit: « Cum multa exhortatione obsecran» tes vos, offerentes gaudium et communionem ministerii » quod fit in sanctos[3]. » Non enim rogari quis debet ad misericordiam, sed rogare potius ut communicet aliis : « Et non » sicut speravimus; » superarunt enim et nostram expectationem. Quid ergo senserunt Apostoli inopiam Macedonum, et pigebat eos dicere aliquid. Apostolis autem tacentibus, non tacebant qui obsecrabantur : « Sed semetipsos, *inquit*, » dederunt primo Domino, dein et nobis per voluntatem » Dei : » hoc est, donum Dei venit ad eos, hortans eos ad opera bona : « Ut exhortemur Titum ut, quemadmodum » cœpit, ita et perficiat in vos gratiam istam[4]. » Quid sibi vult ut exhortemur Titum? Quia enim, inquit, vidimus Macedonum divitias simplicitatis, ut non vinceremini in bonis, rogavimus Titum venire ad vos, et pares vos efficere ad Macedonas, et exhortari ne relinquamini a divitiis gratiæ hujus : « Et sicut in omni abundatis fide, et sermone, et » scientia, et omni sollicitudine, et insuper vestra in nos » charitate, ut et in hac gratia abundetis[5]. » In aliis, inquit, omnibus circumvenitis; ut non autem circumvenientes in

[1] 2 Cor. VIII, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. 7.

aliis, derelinquamini in quibusdam et exuamini, rogavi Titum ut in omnibus primatum teneatis : « Non quasi imperans dico, sed propter aliorum sollicitudinem[1]. » Hoc est Macedonum alienum : si secundum imperium fiunt, videbuntur ex necessitate fieri, et non habent fructum; sed propter aliorum sollicitudinem : « Et vestræ charitatis ingenium probamus; » hoc est, admonemus vos Macedonum charitatem, ut audientes ad similem veniatis zelum. Quia ergo de pecuniis propositio erat, et de operibus bonis, cupiens eos docere Apostolus, quia nihil digni atque recepturi estis. Et quia in his Dominus prior cœpit, et debitum reddimus et non gratiam præseminamus, dicit : « Scitis enim » gratiam Domini nostri Jesu Christi, quia propter nos inops » factus est cum dives esset[2]. » Quia enim de pecuniis dandis erat ei sermo, pigebat autem divites aperiri; opposuit Dominum, qui vere dives inops pro nobis factus est, ut ad imitationem Dei suscitaret homines : « Scitis enim, *inquit*, » gratiam Domini nostri Jesu Christi, quia propter nos inops » factus est cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. » Si hæc Deus propter homines, nec æqualia, si tamen est aliquid æquale. Quis enim nostrum potest a Deo homo fieri? Ita enim fieret æquale, si tamen et crux sequeretur tali natura. Et teneri enim et sputum accipere, et illud et condemnari et mori, debitum quidem tantum poterat esse; hæc autem dimittens et suam gloriam abscondens assumpsit nostram ignobilitatem, nobiscum ambulans, nobiscum manducans, nobiscum dormiens. Ex nobis sputatus, a nobis est tentus, a nobis condemnatus, quantum ad naturam humanam. Proficiat autem sermo ad cætera. Injuriam passus est, cæsus est, sputum accepit, illusus est, affixus est cruci, fel et acetum bibit. Quid invenietur in commutationem tantæ gratiæ? Istam igitur gratiam nos admo-

[1] 2 Cor. VIII, 8. — [2] Ibid. 9.

nens Apostolus hortatur ad opera bona : « Scitis enim, » *inquit,* gratiam Domini nostri Jesu Christi, quia propter » vos et non propter se inops factus est cum esset dives, ut » vos illius inopia divites essetis[1]. » Si hæc fecit Magister, ista condiscant discipuli : « Et consilium, *inquit,* in isto do ; » hoc est, ad imitationem Christi provoco. « Hoc enim vobis » est utile : » illud enim non Christo erat utile. « Quique non » solum facere, sed et velle cœpistis ab anno priore[2]. » Facere non est majus aut velle. Ille autem majus esse dicens velle quam facere, ita cum eis loquitur per epistolam. Quid est ergo quod dicitur ad eos quos hortatur ad opera bona? Quia enim faciebant quidem, non habebant autem e sua lectione ut ultro facerent, hortatur eos ut ultro proponerent, hoc est ut non admonerentur, sed ut ultro complerent : « Qui non solum facere, *inquit,* sed et velle cœpistis » ab anno priore. Nunc vero et facto perficite, ut quemad» modum promptus animus est voluntatis, ita et perficiatis » ex eo quod habetis[3]. » Præcedit promptus animus perfectionem. Qui enim nolebat dare sua, necessitatem non habebat compulsionis, siquidem non exactio, sed admonitio erat ut, quemadmodum promptus animus est voluntatis, ita et perficiatis ex eo quod habetis. Quod enim si promptus est quidem, non habeat autem, et defuit ut perficeret, non derelicta est ejus voluntas : quæritur enim non quis quid habeat, sed quis quid velit. Quid autem si non habet quis, descripserit autem sibi et dixerit, Quia si possiderem tantum, totum darem pauperibus? quantum ad alacritatem quidem spectat, et possidet, et dedit : omnis enim fructus in alacritate est positus. Nonnunquam enim qui dant mercedem non habent tanquam dederint; qui autem proposuerunt, super dantes. Quid enim si dat aliquis et murmurat, quid si præbet, pigrior autem est. Quid autem si non ha-

[1] 2 Cor. VIII 9. — [2] Ibid. 10. — [3] Ibid. 11.

bet quis, vult tamen; ut quemadmodum promptus est, inquit, animus voluntatis, ita et perficiatis ex eo quod habetis. « Si enim alacritas proposita est, ut ex eo quod habet » det, accepta est[1] : » tantum promptus animus sit, et cætera sequuntur non ex eo quod non habet. Nemo enim, inquit, quærit quod non habes, sed ex eo quod habes. Non enim hoc est, inquit, quod quæritur a nobis, ut vos quidem evacuemini, alii autem ditentur : « Non enim ut aliis réfrigerium, vobis autem tribulatio sit; sed secundum æqualitatem, *inquit,* in præsenti tempore[2]. » Non, inquit, hoc dico, Date omnia quæ habetis, et vos efficimini pauperes, et alios ditate. Sed quid aio? Qui habet duas tunicas habeat unam, det autem non habenti unam, et fit æqualitas. « Sed ex æqualitate, *inquit,* in præsenti tempore[3]. » In præsenti, inquit, vita vestra abundat ad illorum inopiam. Qui habet, inquit, duas tunicas, unam superfluam his qui nec unam habent non fraudet, ut una tua superflua non sit tibi inutilis, sed fiat alii utilis : « Sed ex æqualitate in præsenti » tempore vestra abundantia suppleat illorum inopiam; » hoc est : abundat his qui ex gentibus sunt, mittatur his qui sunt apud Judæam, qui propter Christum persecutionem sustinent; « ut et illorum abundantia, » spiritus utpote gratia sit ad vestræ inopiam fidei, ut fiat æqualitas, vos ex his quæ habetis pecuniis, illi ex quibus habent donis. Et illorum inopia replebitur vestra abundantia, vestra autem inopia abundantia sit illorum, ut fiat æqualitas, pecuniarum quidem a vobis in illos, donationum autem ab illis in vos : « Sicut scriptum est : Qui multum, non abundavit, et qui » modicum non defuit illi. » Scriptum est quia populus dum transisset mare et esset in deserto, et neque seminaret neque meteret, Deus reddens vicem patri eorum Abraham, pro mensa scilicet illa quæ susceptos Angelos pavit, pro

[1] 2 Cor. VIII, 12 — [2] Ibid. 13. — [3] Ibid. 14.

pane quod Angelis apposuit panem Angelorum præbuit filiis Abrahæ, pro eo quod ipse Angelis panem hominum in susceptione apposuerat. Isto igitur fructu mannæ advenientis de cœlo, exibat populus colligens parata pro cursu Abrahæ et sudore. Colligentes autem ut Judæi non sufficiebant in mensura quæ fuerant præcepta colligere, sed quidam amplius, alii minus colligebant mannæ, venientes autem ut mensurarent ad æqualitatem adducebantur inviti : qui enim plura collegerat, in mensura amplius non habebat; qui autem minus, nihil minuebatur cum mensurarent. Ista igitur comparatione opportune usus est Apostolus dicens : « Sicut » scriptum est : Qui multum non abundavit, et qui modicum » non defuit illi[1]. » Qui enim multum collegit mannæ non abundavit, mensurando enim ad æqualitatem venit; et qui modicum collegit non defuit illi, dum mensuraretur enim replebatur ei quod deerat. Ita et nunc fiat æqualitas ex manna isto fidei, et quibus abundant opes mittant his qui indigent, quibus autem abundat gratia communicent his qui non habent gratiam. « Gratias autem Deo qui dedit » eamdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi, quoniam » exhortationem quidem suscepit, sed cum sollicitior esset » de vobis ultro profectus est ad vos[2]. » Omnia ultro : Macedones ultro, Titus ultro. Efficimini, inquit, et vos ultro. Post hæc autem dicit et quem cum eodem miserit, et laudans eos testimoniis commendans quos miserat addit : « In » hac gratia ministratur per nos in gloriam Dei et sollici- » tudinem nostram[3]. » In qua re sic nos arctavimus, ne quis nos vituperet in hac amplitudine quæ ministratur per nos. Quia enim colligere pecunias a fratribus acceptas videbatur malis suspicionem dare, dicit ideo quia sollicitiores eligentes misimus, quia circumspecti fuimus ne quis reprehenderet id quod fiebat, ne quis Judas inventus furaretur et vitu-

[1] 2 Cor. VIII, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibid. 19.

peraret ministerium nostrum : « Providemus enim quæ bona » sunt non tantum coram Deo » qui novit conscientiam, « sed et coram hominibus[1] ; » ut ne quis, inquit, occasionem acciperet vituperandi. Misimus autem cum illis et fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse. Statim enim qui dedisset pecunias poterat esse suspectus, quia qui accipit lucratur et non perfert ad rem ad quæ dedit, et pigrior efficiebatur ad dandum. Ideo commendat eos qui missi sunt ut non destrueretur donantium alacritas : « Misimus autem, *ait,* cum illis fratrem nostrum quem pro» bavimus in multis sæpe sollicitum esse, nunc autem solli» citiorem confidentia multa in vos sive pro Tito qui est » socius meus et in vobis adjutor » ad præsens ministerium, sive fratres nostri Apostoli Ecclesiarum gloriæ Christi. Ergo non vos pigeat ad ostentationem quæ sit charitas vestra et nostra gloria pro vobis. Prævenientes enim, inquit, gloriati sumus in illos, ostendentes in faciem Ecclesiarum : et homines quidem commendavit. De ipso autem negotio exhortans eos dicit : « Nam de ministerio quod fit in sanctos ipsos » qui erant apud Hierosolymam, ex abundanti est mihi scri» bere vobis[2]. » Cur ex abundanti? « Scio enim promptum » animum vestrum. » Quem non solum scio, sed « et de quo » glorior de vobis apud Macedonas, quia Achaia præparata » est ab anno priore. » Et non dico quia secundum æmulationem Macedonum debetis vos adhortari, sed « æmulatio » vestra provocat plurimos. » Ergo nolite fieri secundi, sed primi, habentes secundarios. Si igitur non est necesse scribere, quid mittis? « Misi autem fratres, ne in eo quod glo» riamur de vobis evacuetur in hac parte, ut quemadmo» dum dixeram parati sitis[3]. » Dubitas enim ? « ne si venerint, » *inquit,* mecum Macedones, et invenerint vos imparatos, » confundamur nos; » quomodo nos? qui fuerit gloriatus,

[1] 2 Cor. VIII, 21. — [2] Idem, IX, 1, 2. — [3] Ibid. 3.

aut dicatur ita, « ut non dicamus vos in substantia ista, » Glorificationis dico. « Necessarium ergo existimavi rogare fra-» tres ut pergant ad vos, et præparent ante promissam be-» nedictionem non quasi avaritiam[1]. » Qui enim dat accipit magis, et qui videtur donare benedicitur. Præparatam autem esse inquit, ita ut benedictionem non quasi avaritiam. Ne quis putet, ait, avaritiam esse quod accipitur ad necessitatem sanctorum. Hoc autem dico quoniam « Qui parce » seminat parce et metet, qui seminat benedictionem be-» nedictionem et metet : unusquisque sicut proposuit corde, » faciat[2]. » Non enim virtute opus est, sed animo prompto. Quemadmodum ergo debet quis promptus esse, « non ex tri-» stitia aut ex necessitate, » ne fiat fructus non fructus; intueris enim quia et plantæ, cum advenerit tempus fructuum, lætæ exurgunt, et primo coronantur floribus et annuntiant suam lætitiam : « Non ex tristitia aut necessitate; hilarem » enim datorem diligit Deus[3]. » Et post hæc oratione confirmat adhortationem : « Potens est autem Deus in omni » gratia abundare in vos, ut ubique semper omnem sufficien-» tiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scri-» ptum est, Sparsit dedit pauperibus, justitia ejus manet in » æternum. » Contestatus autem ex veteri Testamento opera bona, et ostendens maximam veniam habere, iterum ad benedictionem convertitur, et dicit : « Qui autem adminis-» trat semen seminanti[4]. » Putas quia non erat alia nuncupatio Dei, sed cupiens admonere quia ex his quæ dat ex ipsis et accipit, « Qui subministrat, *inquit,* semen seminanti, » et panem ad manducandum tribuet, et multiplicabit se-» men vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ ves-» træ; » hoc est, impertiet unde et augebit, dixit, promptum animum vestrum, ut in omnibus locupletemini in omnem simplicitatem quæ per nos perficit gratiarum actionem Deo.

[1] 2 Cor. IX, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 7, 8. — [4] Ibid. 10.

Vult significare quæ virtus est operis boni. Et ne putetis, inquit, quia hoc ipsum est solum ut reficiat esurientes dum pascit; sed qui facit, ad gloriam Dei facit : « Quia adminis- » tratio officii hujus non solum supplevit quæ desunt sanc- » tis, » facit enim et hoc, « sed et abundavit per multam » gratiarum actionem Deo[1]. » Qui enim suscipiunt, agnoscunt magnitudinem gratiæ. Quantæ enim pecuniæ fuerunt, tanta et agnoscetur multitudo credentium; agnoscitur his qui in Judæa sunt : tanta transmittitur gratia ei qui vocavit, quia administratio officii hujus non solum supplevit ea quæ desunt cunctis. Facit enim et hoc, sed etiam abundavit per multam gratiarum actionem Deo : non simpliciter per gratiam, sed per multam gratiam abundavit Deo. Quemadmodum per probationem, inquit, ministrationis hujus magnificantes Deum obsequio confessionis vestræ. Videntes enim fructum agnoscunt quantum credideritis, per probationem ministerii hujus magnificantes Deum obsequio confessionis vestræ in Evangelium Chsisti, et simplicitatem communicationis in illos, et ipsorum obsecratione pro vobis. Ergo tanti sunt fructus suas quidem pecunias mittentes, replentes sanctis quod deest, agnoscetur in vobis credentium multitudo et magnitudo gratiæ transmittitur digna Deo. Quia ergo tanti sunt fructus ab operibus bonis totum agnoscentes, ad totum vos et porrigite : non solum enim hoc erit, sed et gratia pro gratia. Accipientes enim illi, inquit, quæ ad victum sunt necessaria, et ipsorum oratio erit pro vobis ad Deum; convertentur enim ad deprecandum pro vobis Deum.

[1] 2 Cor. IX, 12.



ANNOTATIONES.

Annot. (1), pag. 21.

Hæc S. Alexandri verba non satis accurate prolata sunt, cum ipsum Verbum Dei inter creaturas deputare videantur. Non tamen incusanda fides, sed excusanda locutio.

Annot. (2), pag. 239.

Marcellus, Ancyræ in Galatia episcopus, Arianæ perfidiæ hostis acerrimus, hæreticos illos sibi infensissimos semper expertus est, a quibus in concilio Constantinopolitano depositus, exilio mulctatus fuit; qui Romam ad Julium papam pergens ab eo absolutus, deinde in hæresim Photini incidisse dicitur, docentem Verbum non fuisse personam subsistentem antequam ex Virgine nasceretur: quod an revera Marcellus docuerit, necdum certum est, licet eum Eusebius in his suis libris contra ipsum circa annum 336 scriptis hujus erroris insimulet et refutet.

Annot. (3), pag. 249.

Marcellum ignorasse Scripturas male insimulare videtur hoc in loco Eusebius, et exaltatione mentis abreptus talia scripsisse credendus est.

Annot. (4), pag. 262.

Notandum est omnes illos quos hic nominat antistites, vocatque Ecclesiæ patres omnes fuisse Arianos, vel Arianismi fautores.

Annot. (5), pag. 306.

Constantinum intellige, quem vere religiosum, non tam forte

propter religionis provehendæ quam propter Arianismi promovendi zelum appellat.

Annot. (6), pag. 306.

Sacrosancta ista synodus quam tantopere jactat, nihil aliud est quam falsa Constantinopolitana synodus an. 336 congregata.

Annot. (7), pag. 441.

Diversum, idest, distinctum; Spiritus enim sanctus persona distinctus, sed non natura diversus est.

Annot. (8), pag. 442.

Errat et catholicæ fidei adversatur Eusebius cum Filium et Spiritum sanctum, sicuti reliqua visibilia et invisibilia, produxisse asserit : ait item quod Spiritus sanctus non sit Deus, quia non de Patre genesim accepit, et unus ex eorum censu est qui per Filium condebantur. Quæ omnia sunt contra fidem catholicam.



INDEX

TOMI DECIMI OCTAVI.

SANCTUS ALEXANDER ALEXANDRINUS.

JUVENCUS.

SANCTUS EUSTHATIUS.

EUSEBIUS.

DE ECCLESIASTICA THEOLOGIA, CONTRA MARCELLUM.

OPUSCULA QUATUORDECIM.

EXPLICIT INDEX.

